

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, IL

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT OPUS HOC SANCTITATI SUAE DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT
AC PRIORA EIUS VOLUMINA VIGINTI TRIA SIBI OBLATA
HONORIFICENTISSIMO CHIROGRAPHO COMMENDARE DIGNATUS EST.

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

II

EXODUS ET LEVITICUS

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

EXODUM ET LEVITICUM

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. J.

Cum approbatione Superiorum

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
WITHDRAWN
Chicago, Ill.
3140 Merame Street
ST. LOUIS, MO.

220.6
C977c
v.5

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1897

Omnia iura vindicabuntur.


The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220
C977c
v.7

1946

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est : Commentarius in Exodum et Leviticum, a P. Francisco de Hummelauer nostrae Societatis sacerdote compositum, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Exaeten 1 Jan. 1897.

HENRICUS HAAN S. J.
Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR,

Parisiis, die 13 Junii 1897.

† FRANCISCUS, CARD. RICHARD,
Archiepiscopus Parisiensis.

CORRIGENDA.

Pag. 77,6 pro הל lege הלוי. — Pag. 110,16 l. Ex. 11,1-12,36. — Pag. 124, 32 pro 4. 113 l. l. 113. — Pag. 134,31 pro non esse l. esse. — Pag. 187,38 pro ero l. vero. — Pag. 256,12 l. 20-23. — Pag. 264,21 dele : earumque limbi. — Pag. 324,30 pro עַבִי puncta עִבִי. — Pag. 384,7 pro *situm* l. *suum*.

LEO PP. XIII.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam Nobis cordi sit, ut Divinorum Librorum studia vigeant, abunde testantur Litterae, quas de Scripturis Sacris ad universos orbis catholici episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, Bibliorum Sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis eisdemque in fide catholica firmis ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea Librorum Divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetercantur.

Haec Nostra cum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque Scripturis Sacris rite enarrandis tuendisque animos ac diligentiam intendunt. Vos autem, Dilecti Filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio Libros omnes Sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis.

Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus

Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem apprecamur, quo coeptum ad auspicatum demum exitum deducatis.

Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus vestris, qui operi praeclaro vobiscum allaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis

Rodulfo Cornely, Iosepho Knabenbauer, Francisco de Hummelauer

Sodalibus e Soc. Iesu.

INTRODUCTIO

1. *Exodi et Levitici conspectus generalis.*

In Commentario in Genesin exponebamus, quomodo aevo praemosaico in stirpe electa formata sit et creverit sacra traditio. Verum non qualis ab initio erat una et continua in nostras manus pervenit haec traditio, sed in quinque Pentateuchi libros discreta. Haec divisio sitne temporibus LXX antiquior, quaeritur. Nostrum Exodi librum a Genesi merito distingui censemus. Si unus ab initio Genesis et Exodus liber erant, scribendum erat Ex. 1,1 « Hae sunt generationes filiorum Israel »; id Geneseos structura exigebat; id certe Exodo superscripsisset auctor, qualem neoterici volunt, ipsis eventibus longe posterior. Si unus liber erant, non erat ratio repetendi Ex. 1,1-5 elenchi filiorum Jacob, cum elenchi Gen. 35,23 sqq. et 46,8 sqq. abunde suffecissent : at, si Ex. 1,1 novus ordiebatur liber, non erat otiosus ille elenchus. Lev. item a Num. merito distinguitur. Licet enim lex Lev. 27 praecedentibus legibus, fere dixerim, negligenter sit adnexa, at leges Lev. multum differunt a documentis Num. 1-4, quae numeros tradunt. Verum Exodi et Levitici continua est narratio : pericope agens de institutione sacrorum Aaronicorum ab Ex. 24 ad Lev. 10 pertingit. Ceterum quaestio an, qui nunc Ex. et Lev. audiunt, ab ipsa prima scriptione fuerint duo libri distincti, non eo solo dirimitur, quod ostendatur aut adesse aut desiderari extremo libro Exodo narrationis intervallum : potuit prima librorum distinctio fieri propter rationes a solo usu petitas, sc. quod una pellium, quibus libri inscribebantur, congeries in iustam molem excrevisset ideoque a sequente narratione videretur seiungenda.

Ab Hebraeis hi libri a primis vocibus appellantur, Exodus שמות ואלה, Leviticus ויקרא. LXX nomina imposuere a rebus narratis petita : Ἔξοδος

ab Hebraeorum ex Aegypto emigratione, Λευιτικόν a legibus ad sacra spectantibus; ubi tamen aptior Rabbinorum appellatio « Liber sacerdotum », cum Lev. levitarum electionem et munera ignoret.

Distinguebamus in Genesi duo narrationis disponendae principia : *genealogias*, a quibus petuntur libri divisiones principales (Tholedoth), et *itineraria* (cf. Comment. p. 29 sqq.), quibus, ubicumque rerum narrandarum ratio permittit, adhaerent magnorum trium patriarcharum vitae. Antiquissimi sc. illi historiarum narratores tramite incedebant maxime obvio, eventus successione et *temporum* (genealogiae) et *locorum* (itineraria) invicem copulantes. Deficiente porro in Ex. et Lev. genealogia, unicae quippe generationis fata non integra describuntur, narratio uni adhaeret itinerario, cujus *stationes* compendio descriptas habes Num. 33,1-15. Quas Ex. omnes ex ordine pertractat, tribus exceptis, in quibus nihil memoria dignum actum esse videtur. Sunt igitur stationes Aegyptus (Ex. 1,1-12,36), Ramesse, Socoth (12,37-13,19), Etham (13,20-22), Phihahiroth, Mara (14,1-15,26), Elim (15,27), desertum Sin (Ex. 16), Raphidim (Ex. 17 sq.), desertum Sinai, ubi reliqua omnia quae narrantur acta sunt. Vides, non omnes stationes aeque memorabiles exstitisse; in aliquibus brevi, in aliis longiore tempore substitere Hebraei. Narratio stationibus inhaerens est instar cuiusdam magnorum illorum Africae interioris amnium, qui modo inter angustas ripas veluti de statione in stationem properant, modo in vastos ac fere interminos lacus dilatantur, hic paucas, ibi multas insulas circumfluunt. Narrationis inspiratae partes necessario sunt valde inaequales; nos minores stationes in unum colligentes, sequentes commentarii statuimus partes : acta Moysis in Aegypto Ex. 1,1-12,36; iter ex Aegypto in Sinai Ex. 12,37-23,33; novi sanctuarii et sacerdotii institutio Ex. 24-Lev. 10; leges variae Lev. 11-27.

Aliud item in narratione historica Exodi est observare, quod in Genesi notabamus l. c. p. 14 sqq. : « constans studium narrata coniungendi certis locis, monumentis, nominibus tam locorum quam personarum, tamquam adiumentis mnemoneuticis ». Phase Ex. 12 instituitur pro memoriali servatorum primogenitorum; azyma et primogenita Ex. 13 statuuntur memorialia liberationis; aliquid mannae 16,33 sq. asservari iubetur in sanctuario. In ipso adyto reconditur « testimonium » (25,21; cf. ad v. 16), quod igitur ipsum cum universo sanctuario omnibusque sacris efficitur memoriale foederis in Sinai pacti. Imo, in iis etiam locis eiusmodi memorialia exstruuntur, ubi Hebraei brevi tantum tempore erant moraturi neque postmodum rediturі : altare Iahve Nissi in valle Raphidim 17,14 sqq. tamquam memoriale fusorum Amalecitarum, et alterum altare cum duodecim titulis 24,4 in monte Sinai.

Monumentis tamen iam accedunt *scripta*, quae in Genesi desiderabantur: 17,14 scriptam Amalecitarum cladem enarrans; 24,4 liber foederis mandata recensens Ex. 20-23 tradita; tabulae legis 24,12 et 34,27 sqq.; canticum Ex. 15 quod mox scripto crediderim esse mandatum. Quibus simul sumptis suggeritur, tempore exodi et multitudinem fuisse legendi atque scribendi artis uti antehac ignaram, et aliquos easdem artes calluisse. Duplici igitur modo sacra tum narratio transmittebatur, partim orali partim scripta traditione. At, ubi pauca quaedam scriptis essent consignata, nascebatur plura scribendi desiderium, quo certius ac fidelius traditio praeservaretur; crescebat desiderium tanto vehementius, si forte oralis traditio in quibusdam labi aut obscurari deprehenderetur. Nascebatur imprimis desiderium scribendarum earum, quae tum ferebantur, *legum*, quarum praestabat haberi textum authenticum. Simul colligebantur et castigabantur antiquae electae stirpis traditiones, atque scriptis mandabantur. Haec natura duce tum fieri necesse erat. Erat tamen simul periculum, ne si mere humana auctoritate haec scriberentur, falsa veris admiscerentur. Decrevit igitur benignissimus Deus, ut et facta et leges sua divina auctoritate scriptis mandarentur. An varia ea scripta iam tum in Pentateuchum fuerint congesta, h. l. nondum inquirimus.

2. *De Hebraeorum sacris praemosaicis.*

Exodi ac Levitici rationem plene tamdiu non perspicies, quamdiu non adverteris, quaedam *consilio a sacro narratore reticeri*. Nonne iam Gen. 4 scelera quorumdam patriarcharum Sethitarum, praeter tenuissima quaedam vestigia, supprimebantur (cf. nostrum Comment. p. 203 sqq.)? Nonne Gen. 10 sq. et Ex. 1 tacetur, et Thare et Nachor in Mesopotamia et Hebraeos in Aegypto serviisse diis alienis, quam tamen superstitionem indubie prodit Ios. 24,2 sq. 14 (cf. Ez. 20,7 sqq. et *Knabenbauer* ib.)? Ne ergo mireris, etiam in Exodo aliqua taceri.

Perpende porro apud Hebraeos ante Moysen exstitisse *sacerdotes* (Ex. 19,22.24) et *tabernaculum* (33,7 sqq.) et in illo tabernaculo *testimonium* (16,34)[1]. Quorum sanctitatem Deus locis citatis ratam habet.

---

1. Vide eorum textuum interpretationem. Eorum, qui Exodum interpretati sunt, omnino *plerique* agnoscunt, Ex 19,22. 24 agi de *sacerdotibus* praeaaronicis: *Cai.*, *Tost.*, *Mar.*, *Malv.*, *Men.*, *Gord.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Calm.*, *Ians.*, *Sylv.*; cf. *Bible de Vence* (Parisiis 1748), et *V. Loch* et *W. Reischl* (Die hl. Schriften des A. T. Regensburg 1885). Et alii quidem rem affirmant nulla addita explicatione: alii coniiciunt, illos sacerdotes fuisse aut primogenitos, aut e variis familiis oriundos, aut a Moyse ad interim constitutos. Item *tabernaculum* sacrum praemosaicum agnoscunt *Cai.*, *Tost.*, *Mar.*, *Men.*, *Gord.*, *Bonfr.*, *Lap.*,

Si inquiras, cuiusmodi fuerint illa sacra, dicam fuisse sane ad instar sacrorum religionis primitivae et patriarcharum, sacerdotes imprimis fuisse *sacerdotes secundum ordinem Melchisedech*. Quid factum est de illis sacerdotibus, quando Moyses sacerdotium transtulit in domum Aaron? An illi tum sacerdotio privati sunt? Merito conieceris, illos repugnasse, turbas excitasse, erant seditiones inter Hebraeos aevi mosaici non ita infrequentes. Quodsi vero illi sacerdotes omnes lubentes supponantur passi esse se in laicorum ordinem redigi, exemplum profecto dedere pietatis omnibus futuris saeculis celebrandae : at silet de eorum laudibus Pentateuchus, silet Iosue, silet Eccli. Eos sacerdotes in eam sacerdotii translationem lubentes conspirasse, id omnem profecto humanam excedit pietatem atque patientiam. Quodsi tamen in ea translatione nulla eorum exaudiatur vox, querelae nullae, unum e duobus pro certo habeas : aut turbas excitarunt tum, quas sibi Moyses reticendas censuit, aut tum inter vivos non iam erant.

Videntur illi sacerdotes non fuisse boni et pii. Inferat illud quis e Ios. 24,14. Si tota gens, quorum illi erant sacerdotes, aut certe magna gentis pars coluit in Aegypto deos alienos, id sine aliqua sacerdotum negligentia aut indulgentia fieri haud potuit. At habemus evidentius rei argumentum Ex. 19. Sancit ibi Deus, ut triduo ante magnam illam theophaniam omnes se intra terminos a Moyse constituendos contineant, ipso vero theophaniae die omnes v. 13 ultra terminos progrediantur, soli vero cum Moyse *sacerdotes* v. 22 nubem ingrediantur. Hoc mandatum opere non est completum, terminos nemo transgressus est, Moyses v. 23 excusationem proponit satis obscuram. Illico Deus v. 24 mandatum revocat, solos Moysen et Aaronem iubet ascendere, reliquos vero tam *sacerdotes* quam populum intra terminos contineri; nullus iam sacerdotibus illis prae populo honor conceditur. Commissum sane fuerat peccatum : at ubi est eius peccati poena? Non consuevit Iahve eos, qui suo alicui solemniori mandato obstiterint, impunitos imo irreprehensos dimittere. Revertitur ad istud peccatum narratio

---

Calm., *Ians.*, *Sylv.*, *V. Loch* et *W. Reischl*. Ubi aliqui sensisse videntur, agi de Moysis tabernaculo privato, in quo coetus sacri haberentur : tabernaculum, in quo coetus sacri habebantur, et super quod nubes descendebat, necessario oportebat esse *sanctum*, i. e. ab omni usu profano remotum. *Testimonium* 16,34 ideo plerique (sed cf. *Mar.*) ignoravere, quod Vulg. minus accurate verterit « tabernaculum ». Ceterum, concessis semel sacerdotibus et tabernaculo praemosaicis, nulla est difficultas in testimonio item praemosaico concedendo, nulla est ratio affirmandi Ex 16,33 sq. esse per anticipationem dicta. Porro, quod sacerdotum illorum et tabernaculi tantum cap. 19 et 33 aliqua mentio habeatur, laudatorum interpretum attentionem fefellit quaestio, quaenam fuerint eorum sacerdotum eiusque tabernaculi fata. Tamen eam quaestionem minime esse negligendam, et rei natura ostendit et, quae dicturi sumus, demonstrabunt.

20,18 : « cunctus populus... steterunt procul ». Mox autem (Deut. 5,23) « omnes principes tribuum et maiores natu » ad Moysen accedentes rem composuerunt : non referuntur accessisse *sacerdotes*. Mox Iahve populum in gratiam recipit, « nec super eos, qui procul steterant de filiis Israel, misit manum suam » (Ex. 24,11). Inaudito plane privilegio cum Moyse, Aarone, Nadab et Abiu admittuntur v. 9 *septuaginta seniores* ad aspiciendum aliquo modo Deum Israel. Videsne, quomodo inde ab illo peccato Aaron vocetur, *sacerdotes* ignorentur? Subiacent hi ut ita dicam suspensionis poenae, nullum prae laicis honorem habent.

Duas nunc solvendas habemus quaestiones : primam, quomodo explicetur sacerdotum in translatione sacerdotii altum silentium; alteram, quamnam tandem poenam tulerint inobedientiae Ex. 19 commissae. Lege Ex. 32, quod est de superstitione vituli aurei, quodque refert Moysis mandato v. 28 tria millia virorum a levitis esse concisos. Quid si illi ter mille viri iidem etiam fuerint antiqui ordinis sacerdotes? Planam et plenam habes illarum duarum quaestionum solutionem.

Haec caedes exstitit inobedientiae digna poena, haec eadem explicat, quomodo brevi post nemine contradicente sacerdotium in Aaronitas sit delatum. Adverte levitas a Moyse iuberi ire « de porta usque ad portam per medium castrorum ». Supponas castrorum tum dispositionem fuisse eandem fere, atque postea : in mediis castris eminuisse vetus illud tabernaculum, circumdatum tentoriis eius tribus, e qua erant sacerdotes, hanc tribum atque tabernaculum coronae instar sepsisse reliquas tribus. Tum levitae e suis castris « per medium castrorum » incedentes impingebant primum in ipsos *sacerdotes*.

Dices : cur rem non totidem verbis narravit auctor? Ob similem utique rationem ei, propter quam patrum in Mesopotamia et Aegypto idololatriam tacuit. Erat illa sacerdotum caedes iusta quidem, attamen res si non mali, certe periculosi exempli. Quid si impius aliquis aliquando apud Hebraeos rex consilium caperet ita excutiendi invisos sacerdotes aaronicos, uti Aaron et sui excusserant antiqui ordinis sacerdotes? Cupiebat forte auctor ignorare posteros, nonnisi cruenta antecessorum suorum caede patuisse levitis aditum ad sacros honores.

Porro haec ubi semel admiseris, affunditur insperata lux obscurae narrationi Ex. 19, cuius obscuritas inde fluxisse deprehenditur, quod *noluerit* Moyses distincte narrare sacerdotum peccatum, quo distinctius narrato distinctius item ei narranda fuerat Ex. 32 eorumdem poena. Huius carnificinae ratio redditur plane sufficiens explicaturque, quomodo levitae per media castra obvium quemque trucidantes reapse

cos confecerint, qui maxime sontes fuissent. Lux affunditur capiti 18, quod quidam censuere legi loco non suo. Elucidantur minora dubia plura. Cur leges aliquae (v. g. Ex. 20,22-23,33) tali tempore, aliae alio tempore sint promulgatae, intelligitur. Universa totius libri narratio vigorem accipit et colorem, libri ratio intimius perspicitur. Licet igitur nostra de sacerdotum praemosaicorum exstinctione hypothesis gravibus in ipso Ex. 19 et 32 textu momentis fulciatur, non ob haec sola illam propugnamus, verum ob plurimam et inexspectatam lucem, quam variis textibus et eventibus universaeque narrationis rationi affundit. Rem ita habere, vel Introductione hac edocebere.

Quinam erant sacerdotes illi praemosaici? Sacerdotium illud, uti etiam leges praemosaicae, erat institutionis *humanae* : non enim dabatur lex divina positiva ab Adam usque ad Moysen (Rom. 5,13). Legem intelligo legum systema, non vero unam aliquam legem, uti Gen. 9,4; 17,10. Sacerdotium illud, quo iam Abel et Cain fungebantur, *haereditate* videtur esse transmissum. Sacrificabant primitus capita familiarum : filius non sacrificabat, nisi postquam familiam propriam nactus erat. Sic Iacob non obtulit sacrificium Gen. 28,18, quando caelebs in Mesopotamiam proficiscebatur; obtulit vero, quando indidem cum familia redibat, etiam ante patris mortem (Gen. 31,54; 33,20; 35,7). Hinc patet, ubi tribus in regna excrevere, penes reges imprimis sacerdotium fuisse. Erat rex sacerdos Melchisedech; erant reges sacerdotes antiquissimi illi Assyriorum reguli, qui *patesi* scribuntur. Defuncto Iacob unus erat, cui sacerdotium iure prae fratribus obveniret, *Ioseph* : quem pater moriens titulo « principis inter fratres » (נזיר Gen. 49,26) salutaverat, quem fratres principem ipsi agnoverunt (Gen. 50,17 sqq.). Primogenitus Ioseph erat ***Manasses***, patrique prae fratre Ephraim carus (Gen. 48,17), neque ideo minus carus, quod ab avo Iacob minorem benedictionem accepisset. Crediderim igitur exodi tempore sacerdotium penes *Manassaeos* fuisse; non ut omnes essent sacerdotes, sicut neque omnes postea levitae sacerdotes exstitere; et trucidatis Ex. 33 sacerdotum tribus millibus, superfuere tribus Manasse viri pugnatores 32,200 (Num. 2,21).

Nostram de Manassaeis sacerdotibus coniecturam confirmat eventus Num. 32. Rogantibus Ruben et Gad, ut sibi sedes ad orientem Iordanis concederentur, annuit Moyses eisque iungit nequaquam rogantem *dimidiam tribum Manasse*. Quo factum est, ut ea tribus in duas partes diffissa impar evaserit rebus magnis attentandis, atque principatum a Ioseph sibi attributum Ephraimitis (Gen. 48,19 sq.) invita sed inpotens concesserit. Sapit punitionem talis in unam tribum agendi ratio : quid ergo Manassaei deliquerant? Lege Ex. 19 et 32. Haud mirum, post trucidatos ter mille eius tribus sacerdotes, contribules superstites male affectos fuisse et ad excitandas turbas pronos, quorum Moyses divisit atque dividendo fregit potentiam. Lege item Iud. 8, 22 sqq. Rogatur *Gedeon Manassaeus*, ut regnum inter Hebraeos arripiat. Rem ab Ephraimitis (7,24-8,3) nunquam ferendam prudenter recusavit Gedeon. Postulavit autem, ut sibi concederentur hostium interfectorum inaures, ex inauribus confecit ephod pretiosum, ephod inquam habens rationale, et in illo rationali rem quamdam sacram similem Urim et Thummim. Regno, quod nullo Manassaeis nomine obtingeret, se excusavit Gedeon, conatus est autem antiquum suae tribus renovare pontificatum.

Neque dicas, nulla fuisse sacrificia, quae illi sacerdotes in Aegypto offerre pos-

sent, dicente Moyse Ex. 8,26 ad Pharaonem : « Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino ». Saepe, quae in uno Aegypti pago abominatio erant, in altero non erant. Neque Aegyptii sacrificiis cruentis carebant; frequenter parietibus depictam conspicimus immolationem tauri vel antilopae, quorum partes quaedam altari imponuntur (*Erman* p. 388. 435 sq. 536 sq.), licet an eaedem flammis absumptae sint ignoremus. Praeterea frequentissima erant apud Aegyptios sacrificia incruenta, quae ex Lev. 2 colliguntur eo aevo apud Hebraeos quoque exstitisse frequentiora, quam posterioribus saeculis fuere. Tandem fieri potuit, ut in Aegypto sacerdotes hebraei *ritu* Aegyptiorum sacrificarent, quod, cum omnes illi ab initio mundi ritus essent ab hominibus invecti, per se illicitum non erat, dummodo sacrificium tali ritu oblatum non offerretur *diis* Aegypti. Verum et his litasse sacerdotes hebraeos, collato textu Ios. 24,14 quis neget?

3. *Moysis acta in Aegypto* Ex. 1,1-12,36.

Praeludit narrationi pericope Ex. 1 sq., Hebraeorum in Aegypto oppressionem et Moysis origines describens. Consilium salutis Deus Moysi e rubo ardente manifestat : iubet eum Pharaonem adire et, ut Hebraeos ex Aegypto dimittat, Dei nomine postulare. Verum non potest Moyses legatione fungi pro Deo anonymo, ergo Ex. 3,13 ex Deo quaerit : « Si dixerint mihi : Quod est nomen eius? quid dicam eis? » Cum eo igitur communicat Deus *nomen*, quod ipse tamquam electae stirpis, quae iamiam in populum excrevit, peculiari titulo deus sibi *proprium* assumit, nomen *Iahve*. Hoc nomine Moyses Hebraeos adit, Pharaoni numinis iussa defert, renuenti plagas annuntiat, infligit, tandem veniam cum universo populo finibus excedendi extorquet. Abhinc omnia in Ex. et Lev. fiunt nomine Iahve : qua in Genesi premebamur difficultate de *nominibus divinis*, ea ab hisce libris exsulat; paucissimis tantum locis, praeter eos ubi pro nomine naturae adhibetur, scribitur nomen אלהים.

Ante revelatum Ex. 3,15 nomen יהוה scribitur, ut patet, אלהים. Ad 3,2. 4 cf. dicenda post 3,1. יהוה 3,7 aut scribitur per anticipationem, aut dicendum erit secundum Canonem 4 (Comment. in Gen. p. 9) suffectum esse in locum eius, quod antea ibi fuerit, אלהים; quo sc. gravissima illa revelatio Deo foederis appropriaretur. Quod autem inde a 3,15 nomen Iahve constanter adhibeatur, confirmat nostram sententiam, illud nomen ib. *primum* assumptum esse a Deo pro nomine proprio, itemque fuisse tum quadamtenus nomen *novum*. Tamen concedimus potuisse vel antea Hebraeis innotuisse nomen יה vel *Iao*, quod similiter se habeat ad *Iahve*, sicut *Abram* ad *Abraham*. Inde a 3,15 textus illi perpauci, qui nomen אלהים habent, aut explicantur secundum Canones l. c. traditos, aut ad amanuensium errores revocantur. Et nota, lectionum discordantium numerum longe maximum apud LXX reperiri.

Cum inde a 3,15 יהוה constanter scribatur, superflui iam sunt Canones 1. 2. 3. 4, qui erant de eo nomine in locum nominis אלהים sufficiendi. Aliqua habentur Canonis 6 exempla, nomen sanctissimum a profanorum colloquiis eximentis. Huc revoca

3,18, ubi *LXX* יהוה bis omittit in verbis ad Pharaonem dirigendis : inanis conatus, cum postea ipse contextus exigat, ut hoc idem nomen et Pharao et Moyses constanter ore versent. 4,1 et 5,2 in populi et Pharaonis verbis scribunt *LXX* אלהים; 8,28 in Pharaonis verbis omittunt יהוה; 8,29 in Moysis ad Pharaonem verbis pro יהוה substituunt אלהים. Illustrissimum exemplum habetur cap. 18, ubi, omnibus conspirantibus textibus, v. 12-23 Iethro non Hebraeus sacrificat non Iahve sed Elohim, non de Iahve disserit sed de Elohim (cf. Gen. 14). *Sam.* vero in additamento ad v. 25, ubi Moyses Iethronis consilium populo explicat, illico substituit nomen Iahve. — 18,1 altero loco omnes habent יהוה, priore loco omnes אלהים exceptis *LXX*. Ni mavis textum LXX contra reliquos genuinum pronuntiare, poteris dicere nomen ibi scribi e mente Iethronis aut e mente eorum, qui ipsi narrassent, adhibito, quod Hebraei non essent, vocabulo אלהים.

Textibus, quibus אלהים adhibetur tamquam nomen naturae (Can. 5) accenseas 4,11, ubi pro illo, quod extremo versu *Vulg.* omittit, יהוה scribunt *LXX* אלהים : sc. Deus pro divina sua natura fecit os hominis etc. Item 17,9 et 19,3; quo loco pro « ascendit ad Deum » habent *LXX* « ascendit ad montem Dei »; quae lectio si non sit ipsa genuina, utique mentem verborum aperit, ut « ascendere ad Deum » idem sit atque « ascendere in montem Dei ». — Ad eundem Can. licebit fortasse revocare 19,17. 19 et 20,19 sq. (20,19 *Vulg.* יהוה) : in terribili illa theophania id, quod populum maxime percellebat, erat audiri et quadamtenus conspici non tam *Iahve*, quam ipsum *Deum;* terrebat magis *natura* quam *nomen.*

Haec praecipua. Reliquos textus ex ordine describimus. — 4,24 *LXX Chald.* במלאך יהוה loco יהוה (cf. dicenda ad 3,2). — 4,30 sq. loco יהוה *LXX* אלהים, quod falsum esse evincit v. 28 cum v. 30 comparatus. — 5,2 apud *LXX* priore loco excidit, quod reliqui habent, יהוה, aliis postmodum codicibus illud rursum suppleutibus, et aliis sufficientibus אלהים (cf. Field). — 5,17 τῷ θεῷ ἡμῶν est plus quam merum τῷ θεῷ, respondetque ei quod reliqui habent יהוה. — 6,2 *Hebr. LXX* אלהים, reliqui יהוה. — 6,26 *LXX* אלהים pro יהוה. — Pro יהוה habet 9,3 *Vulg. mea*; 9,4 *LXX ego*. — 9,5 mendose pro יהוה *LXX* אלהים, non enim in uno brevi versu primitus diversa erant nomina divina. — 9,30 *Hebr. Chald. Symm. Vulg. Syr.* יהוה אלהים; *LXX Sam.* יהוה, dissentientibus tamen quatuor codicibus LXX. — 10,9 *Hebr. Sam. Chald. Syr.* יהיה לנו : vocem לנו *LXX* omittunt, *Vulg.* in אלהינו defigurat. — 10,24 *LXX Syr.* יהיה אלהים, fortasse e v. 25 transumptum. 11,3 veram lectionem nomine divino carentem habet *Sam.*, reliquis falsae lectioni adscribentibus יהוה. Cf. v. 4. — 12,27 extremo versu *Syr.* mendose supplet יהוה. — 12,31 *LXX* יהוה אלהים pro יהוה; item 13,5. 11 *Sam. LXX* : et his quidem duobus versibus facile excidebat אלהים, sequente אל. — 13,8 pro יהוה *LXX* יהוה אלהים, *Syr.* אלהי. — 13,17-19, ubi omnes habent אלהים, parenthesis quaedam est, fortasse recentiore manu adscripta. Indidem אלהים apud *LXX* etiam in v. 21 irrepsit. — 14,19 *Syr.* במלאך יהוה, reliqui במלאך אלהים. Sed duae versus partes fortasse sunt duae eiusdem textus lectiones, quarum prior eliminanda. — 14,31 pro tertio יהוה *LXX* אלהים; item 15,1. — 15,2 nomen divinum יה apud *LXX* excidit ob similitudinem sequentis יהי. — 15,3 *Vulg.* יהוה vertit « omnipotens » (אל שדי?). — 15,17 altero loco *Hebr.* אדני, *Sam. Syr.* יהוה : ad utram lectionem *Vulg. LXX* revocentur, non liquet. — 16,7-9 loco יהוה *LXX* אלהים : sed nota textum v. 7 sq. non esse plane genuinum. — 16,26 in *Vulg.* irrepsit יהוה, et v. 29 in *Syr.* — 16,33 pro יהוה *LXX* אלהים. — 17,16 discordant textus : nomen divinum verius videtur supprimendum. — 19,3 altero loco *LXX Syr.* אלהים; item *LXX* v. 7. 8. 18. 21-24. — 20,1 *Hebr. Sam. Syr.* אלהים; *LXX Vulg.* יהוה. — 21,13 in lege Moyse antiquiore vox אלהים retinebatur. — 24,2 sq. 5. 16; 28,29 *LXX* אלהים. —

29,25 unum apud *Sam.*, unum apud *Vulg.* desideratur יהוה. — 32,9 : versus deest apud *LXX*. — 32,30 pro יהוה *LXX* אלהים. — 34,6 alterum יהוה deest apud *LXX*; *Vulg.*, ne bis scriberet « domine Domine », scripsit « dominator Domine ». — 34,10 primum יהיה (*LXX Vulg.*) reliqui ignorant. — 34,14 nomen divinum אל *LXX Vulg.* vertunt « Deus ». — 34,29 nomen divinum supplet *Vulg.* יהוה, *Syr.* אלהים. — 35,30; 36,2 (cf. etiam v. 1) loco יהוה *LXX* אלהים. — Lev. 2,13 pro nomine naturae « Dei tui » *LXX* יהוה. — 9,14 *Vulg.* addit alterum יהוה. — Veteres leges non sacrae Lev. 19 (cf. leges sacras v. 5.8. 21) habent « Deus tuus ». Cui v. 12 *Chald.*, v. 32 *Vulg.*, v. 14 *Vulg. LXX* praefigunt יהוה. — In legibus Lev. 21,1-22,16 ad sacerdotes editis, praeter clausulas, deus potius « Deus eorum » audit quam « Iahve » : 21,6 sq. (*LXX* addit יהוה). 12 (*Vulg.* addit יהוה). 17; sc. speciali omnino titulo Iahve erat Deus sacerdotum aaronicorum. — 21,21 pro יהוה *LXX* « Dei tui », quod proprie in idem recidit. Similiter « Dei vestri» 22,25; 25,36. 43. — 27,2 pro יהוה sola *Vulg.* אלהים.

Duo signa, virgae sc. in serpentem mutandae et manus lepra inficiendae, Moysi conceduntur ad auctoritatem apud *Hebraeos;* unum virgae in crocodilum mutandae ad auctoritatem apud *Pharaonem* conciliandam. Hebraei primum ei facile adhaerent 4,31, sed in adversis rebus rursum animis deficiunt 6,12, tandem portentis ad fiduciam revocantur. De quibus plura dicemus sequente paragrapho. Ubi Pharao signo virgae non movetur, initium sumit stupenda illa Moysen inter et Pharaonem concertatio, quam textus 4,22 sq. et (secundum Sam.) 11,7 exhibent tamquam *concertationem pro primogenitis :* postulat Moyses, ut Pharao primogenitum Iahve Israelem dimittat; ni faciat, primogenitorum per universam Aegyptum caedem minatur. Plagis Pharao, ut petita concedat, adigitur. Quae indoli quidem Aegypti singulae conformantur et a naturalibus causis proficiscuntur, at tantae sunt eaque ratione praenuntiantur, limitantur, terminantur, ut veri nominis divina portenta agnosci debeant. Finis omnium portentorum is est, ut Pharao et Aegyptii *Iahven sciant,* ejus potentiam agnoscant populumque dimittant. Extremae narrationi *leges* aliquae, quo ordine latae sunt, inseruntur : lex divina 12,1-13 de primo Phase, et altera lex divina v. 14-20 de Phase quotannis celebrando; quibus Moyses v. 21-27 aliqua monita de suo adnectit, imprimis ut aliquando terram promissam ingressi filiis ejus celebrationis rationem gratis animis explicent.

4. *Iter ex Aegypto in Sinai* Ex. 12,37-23,33.

Narratio, quod monebamus, *stationibus* adhaeret. Demonstrabamus iam veteris ordinis sacerdotum publicam Ex. 19 in Iahven inobedientiam, eosque a Iahve primum tacite reprobatos (19,24; 24,1. 9; Deut. 5,23), mox sacerdotio privandos. Num unica illa inobedientia deli-

querunt? an prius iam Moysi infensi et a cultu Iahve alieni exstitere? Optimorum corruptio non subito effici consuevit, sed a tenuibus atque minus patentibus initiis profecta in apertum tandem prorumpit. Illorum igitur sacerdotum invidias non in Sinai sed in Aegypto primas radices egisse, rei natura suadet; eritque hoc tanto magis adstruendum, si illi, dum in Aegypto degebant, ab impietate Ios. 24,14 narrata supponantur non fuisse plane immunes. Quicumque religionem aliquam aggreditur reformandum, eius religionis ministros primos nanciscitur adversarios : timent quippe suis honoribus, redditibus, emolumentis. Id factum est in omnibus, qui religiones sive falsas sive veras reformare studuerunt, imprimis in ipso Christo servatore.

Memineris Hebraeos, licet fuerint stirps electa, tamen semper etiam fuisse homines, nihilque humanum ab illis alienum ducas. Quando Moyses e Madianitide redux primum se tamquam prophetam Iahve populo stetit, ecquid veri similius, quam viros suae tribus Levi se illi ceteris promptiores iunxisse? Libentius credebant prophetae cognato, divitias sibi et principatum tali duce promittebant. Quid item veri similius, quam Moysen antiqui ordinis sacerdotes tum habuisse primum clam, mox etiam palam adversarios? Fuerant illi sane superstitionum duces atque magistri (cf. Iud. 19) atque ex illis quaestum faciebant; ollis carnium delectabantur, quas certis diebus variorum sacrorum sacerdotibus munifice submittebat Pharao; suae apud populum auctoritati timebant. Iam haec prae oculis servans Exodi narrationem perlustres. Venienti primum Moysi 4,31 facile omnes junguntur, levitae ut contribuli (cf. 32,26), plebs angariis oppressa tamquam liberatori; antiqui ordinis sacerdotes, quid ageretur incerti, ad quidquam agendum imparati, videbantur etiam ipsi ab eius partibus stare. At ubi Pharaonem non demulciri sed indignari conspexerunt, scribis Hebraeis 5,21 Moysen et Aaronem conviciis impetentibus, non Moysis defensionem suscepere sacerdotes illi neque 6,9 iteratis ejus promissis acquieverunt, sed totum late populum ad diffidentiam excitarunt.

At res in melius versae sunt, quando Moyses coram Pharaone tot portenta operatus est, et ea quidem etiam portenta, quae solos Aegyptios affligerent, Hebraeos non attingerent (8,22; 9,6,26; 10,23; 11,7). Quare tempore decimae plagae iam plena inter Hebraeos auctoritate fruitur Moyses, nemine contradicente leges promulgat, populum a pristinis sedibus avulsum deducit. Tot effecta portenta, tot impletae praedictiones, imprimis etiam illa de pretiosis donis ab Aegyptiis accipiendis multitudinis animos demulserant. Exsistebat tamen pars adversa, omnem carpens querelarum occasionem (14,11 sq.; 16,3; 17,2 sq.). Cuius partis capita equidem crediderim antiqui ordinis sacerdotes fuisse. Malebant illi servire Aegyptiis cum bona pace, desiderabant ollas carnium, ubique mortes imaginabantur. Non operarii in Aegypto ollis carnium reficiebantur, sed imprimis sacerdotes, Pharaone singulis templis statam copiam carnium, panis etc.,

pendente. Pauperes operarii non carnibus reficiebantur, sed imprimis piscibus (*Erman* p. 182).

Sopitae ad tempus invidiae prima data occasione in apertum rursus proruperunt. Ubi primum conspecti sunt insequentes Aegyptii : « Forsitan non erant sepulcra in Aegypto », inquiunt 14,11 sq., « ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine? Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Aegypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Aegypto dicentes : Recede a nobis, ut serviamus Aegyptiis? Multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine ». Non hos humile vulgus excogitavit sermones, quod angariis exhaustum, inedia exanimatum inconditos edit rugitus et atrocia maledicta : sunt haec cultiorum, enervatorum, qui honestam servitutem anteferant morti, qua malum acerbius norunt nullum. Per oratores crediderim haec ad Moysen esse delata. Vix insigni portento liberati fuerant Hebraei, cum deficiente Marae aqua potabili 15,23 in murmurationes prorumpunt 15,24, paucisque interiectis diebus 16,3 rursum querelas edunt : « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium et comedebamus panem in saturitate. Cur eduxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? » Oratores hi se ipsos a « multitudine » distinguunt, quae certe non ita laute in Aegypto vivebat. Verba sunt hominum omnem querelarum occasionem captantium, molestiam quamque exaggerantium. Paucis elapsis diebus 17,2 rursus seditionem commovent.

Adest tandem fatalis ille Ex. 19 dies solemni triduo initiatus. Qui modo v. 8 se ad quaelibet praestanda paratos protestati erant Hebraei, iidem terrore montis fumantis et tonantis cohibentur et, accedere iussi, « stant procul », fucatamque submittunt excusationem. Ceteris anteire oportuerat promptis animis antiqui ordinis sacerdotes, qui praemissa speciali v. 22 purificatione et propius ad Iahve fuissent accessuri et reliquis exemplo obedientiae futuri. Pedem non movent ipsi, reliquos cohibent aut solo inobedientiae exemplo aut etiam sollicitationibus. An Israelis tam publica, tam universalis contumacia impunita manebit? Fucatam excusationem v. 24 admittere videtur Iahve. Populo reconciliatur, imo seniores ad sui quemdam obtutum admittit (Ex. 24,10) : sacerdotes illos, quod supra demonstrabamus, excludit, ignorat, in laicorum veluti ordinem relegat. Praesagia haec sunt ingruentis tempestatis et ruinae.

Hanc tum imminuisse plenius perspicies consideratis *legibus*, quae 12,37-23,33 inseruntur. Habes 12,43-49 legem de admittendis ad Phase celebrandum. Cur ea lex h. l., fere post celebratum primum Phase, inscritur? Respondeo : praeter ipsos Hebraeos se Moysi iunxerat 12,38 « vulgus promiscuum plurimum », qui seminis electi iuribus non fruebantur, a sacerdotibus aliisque facilius opprimebantur. Eis

hac lege Moyses viam demonstrat, qua omnibus Hebraeorum iuribus participent, *circumcisionem*. Haec eius legis eo tempore edendae et h. l. inserendae ratio princeps. Hac lege eam hominum classem sibi devinciebat Moyses.

Considerandae porro veniunt leges 20,22-23,19, quae quorumdam decalogi mandatorum novellas habent. Quarum legum delectus adamussim congruit iis, quae de temporum illorum turbis dicebamus. Praescius igitur prudentissimus Deus brevi futurae rebellionis et ruinae antiqui ordinis sacerdotum, leges de sacris tum edidit perpaucas, de moribus vero fere antiquitus receptas leges instauravit, paucas admodum novas intermiscens. Ita seditionum praecisa opportunitas. De *sacris* tulit legem 20,22-26 probabilius nihil novi habentem, nisi quod Iahve nomine nunc promulgaretur, ad intolerabilem sacerdotum superstitionem et indecentiam removendam. Ea lex, quae cultum antiquitus receptum spectabat, abrogabatur brevi post abdicato illo cultu sacrisque aaronicis in eius locum suffectis. Unde nulla est contradictio inter altare de terra v. 24 et altare de lignis setim etc. Mandata de iis, quae sanctuario debebantur, mature persolvendis et de festis observandis (22,29 sq.; 23,14-17) sacerdotibus debebant esse accepta, quod eorum redditus augerent. Lex de requie sabbatica 23, 10-12 immediate non cultum sacrum attingebat sed laborum cessationem, fueratque cap. 16 insigni et permanente miraculo confirmata. Nihil erat in istis legibus, uti neque in mandatis 22,31 et 23,18 sq., quod iuste quererentur illi sacerdotes. Aliae porro leges spectabant *emendandos plebis mores :* leges de percussione, de reparatione damni illati, de iustitia in iudiciis servanda etc. Non poterant his occurrere sacerdotes, quod essent omnino sanctae, a maioribus acceptae, quamvis ad illud usque tempus plurimum neque a solis laicis negligerentur. Etenim, quoties in V. T. offendimus sacerdotes superstitionis, quaestus, vitae lautioris studiosos, offendimus eosdem civium oppressores, iniustos, violentos. Inculcata lege 21,2-11, quae durationem servitutis limitat, sibi *servorum* animos devinciebat Moyses. Ab ipso primum Moyse videntur profectae esse leges in favorem *advenarum*, *viduarum*, *pupillorum*, *egenorum* 22,21-27 latae. Qui homines a sacerdotum aliorumque insolentia defendebantur Moysisque partibus iungebantur. Tandem 22,28 *magistratuum* reverentia inculcatur : principum, seniorum et imprimis eorum, qui cap. 18 instituti fuerant, *iudicum*. Annon sapientissime, aliis omissis, hae leges hoc tempore ferebantur? Quae et mores emendarent, et Moysis partes roborarent, neque tamen adversariis brevi perimendis ansam querelarum praeberent.

Lex vero de magistratibus 22,28 nos revocat ad Ex. 18, quod caput ingenia exercuit interpretum, non recentiorum solummodo. Quod si cum iis conferas, quae de turbis in Moysen concitatis disputamus, facile perspicies caput non esse e Num. 10 huc delapsum, sed suo loco velut arborem solo fixam prostare. Sacerdotes sane illi praemosaici, uti sacerdotum collegia in Aegypto, Babylonia aliisque Asiae anterioris partibus, erant certo ordine compositi et distincti inter se, alii superiores et alii inferiores, communia studia, cultiora ingenia. Moyses unus erat, aut solo Aarone utebatur consiliorum adiutore, causis minoribus opprimebatur. Adest post Amalecitarum stragem Iethro, victorem prope suos fines iter facientem salutaturus, uti Melchisedech salutaverat Abrahamum. Adest socer filiam Sephoram marito reconciliaturus. Moysi, cui favet ut genero Deique amico, suggerit *iudicum* institutum. Consilium utile arripit Moyses, iudices instituit. Iam opponuntur castra castris; ut ita dicam, organizatio organizationi. Habes sacerdotes ubique et apud omnes se insinuantes; sed habes ex adverso chiliarchas, centuriones, quinquagenarios, decanos. Erat profecto Moyses non solum vir Deo carus et propheta, sed idem vir fortis ac prudens rebusque gerendis in paucis aptus.

Moysen sequebantur *Levitae* ad unum omnes; cuius tamen tribus bellatores non sunt permissi numerari[1]. Duos praeterea Moyses adiutores habebat praecipuos, Iosuen et Hur (Ex. 17,10. 12; 24,14), quorum ille *Ephraimitis* praeibat ad praelium, hic *Iudaeus* erat. Iuda tribuum erat omnium numerosissima, numerabat quippe viros pugnatores 74.600 (Num. 1,27); cui Iacob moriens principatum praenuntiaverat. Ephraimitae habebant viros pugnatores 40.500 (Num. 1,33), quibus idem patriarcha praedixerat excellentiam prae Manassaeis obtinendam. E contra tribus Manasse, nobilissima quidem omnium in Aegypto, quod Ioseph patriarchae esset prima proles, numeris tamen erat ceteris tribubus quibusque infirmior, pugnatores habens 32.200 (Num. 1,35). Tres illae tribus (Levi, Iuda, Ephraim) videntur Moysi fuisse fidae et certae; Manassaei utique infensi; reliquae tribus quarum partium fuerint nescimus; fortasse non erant semper fide constantes. Illud « vulgus promiscuum » (Ex. 12,38), omniumque tribuum egeni et servi Moysi potius favebant. Levitae singuli *gladios* habebant (Ex. 32,27). Etiam Ephraimitis aliqua fuisse arma aenea col-

1. Ita Num. 1,49 : bellatores aliarum tribuum v. 3 numerabantur ab anno 20° et supra. Num. 3,15 sqq. numerantur levitarum mares ab uno mense et supra, subintraturi in locum primogenitorum Israelis, qui eodem fere erant numero. Num. 4 numerantur levitae ab anno 30° ad 50um (v. 3), qui adhibendi essent ad opera cultus; qui inventi sunt numero 8580. Sed *bellatores* tribus Levi non numerabantur.

ligo ex eorum ad certamen alacritate. Hur erat pater Beseleel, famosi istius fabri, cui dedit Iahve sapientiam et intellectum ad omne opus. Cuius viri laus in memoriam revocat inclitos quosdam fabros, qui in populorum quorumdam exordiis floruere, artis fabrilis arcana a patribus edocti ad filios transmisere. Erantne eiusmodi fabri Beseleel, Beseleelisque pater Hur? Quibus vero artefactis tantam sibi famam comparaverat Beseleel, etiam antea quam novis sacris cudendis atque fundendis manum admoveret? an solos effingebat, emendabat cacabos, lebetes et huiuscemodi alia utilia vasa? Quid cuderat inclitus ille faber Tubalcain? Ensem. Quid cudebant Hebraeorum fabri Iudicum aevo? Nonne gladios et lanceas (1 Reg. 13,19)? Cudebat etiam Beseleel gladios. Ergo viri tribus Iuda, vel certe plures inter illos, erant bene armati. Moyses et arma habebat et armorum officinas. Reliquae tribus non erant omnes ita bene armatae : erant ibi etiam baculi, fundae, etc. Vides Moysen media etiam humana non neglexisse : volebat finem, parabat media.

5. *Novorum sacrorum institutio* Ex. 24-Lev. 10.

Adverte, tum nondum indixisse Iahven, ut populus longo tempore in deserto detineretur : brevi itinere fuerat in terram promissam deducendus. Promiserat porro Iahve Hebraeis 19,6, si pactis starent, *regnum sacerdotale* seu *regnum sacerdotum*, i. e. conditionem politicam aeque ac religiosam ab initio perfectam, quae haberet cum sacerdotium ab ipso Iahve institutum, tum regiam auctoritatem ab eodem stabilitam. Gravis Ex. 19 populi et antiquorum sacerdotum inobedientia duplici iam poena mulctatur. De *regno* in praesens instituendo silet Iahve, licet illud aliquando instituendum Deut. 17,14 sqq. commemoret. *Sacerdotium antiquum* abrogat eique *novum* substituit : novum autem sacerdotium novum item *sanctuarium* exigit. Deus igitur novo *nomine* Iahve appellandus in novo *sanctuario* per novi ordinis *sacerdotes* colctur. Haec narrationis Ex. 24-Lev. 10 summa.

Praesciebat Iahve, antiqui ordinis sacerdotes suae ipsos ruinae auctores futuros ob vituli aurei futuram superstitionem seditionemque in Moysen attentandam. Ipse interim eorum poenam praeparat, vel ante commissum scelus Moysi novi sanctuarii et sacerdotii rationes demonstrat. Eum finem accersendi in montem Sinai Moysis nondum potest Iahve *palam* enuntiare : solus, qui in medium profertur, finis hic est, foederi inter Iahven et Israelem illud adhuc deesse, ut solemniter sanciatur. Ascendunt cum Moyse Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta senes, non vero praemosaici sacerdotes, quo et populi post inobe-

dentiam Ex. 19 redintegrata gratia et sacerdotii in Aaronitas futura translatio adumbratur. Foederis instrumento, libro sc. illo, quod mandata Ex. 20-23 descripta habebat, praelecto et victimarum sanguine consperso, viri illi ad videndum quadamtenus Iahve inaudito privilegio admittuntur. Moyses vero rursum ascendere iubetur, cui suum vicissim foederis instrumentum, tabulas sc. digito Dei inscriptas, tradat Iahve. In priorum sociorum locum a Iahve sufficitur *Iosue* 24,13, ille sc. vir qui unus seditionem Ex. 32 praesens compescuisset. Una aliqua ratio, cur Iahve Moysen quadraginta omnino diebus in monte detinuerit, ea sane fuit, quo iniquorum in castris coniuratio maturesceret. Non uno die illae in Moysen querelae natae sunt. Diebus bene multis per castra serpserant, e latibulis in apertum proruperant, donec tam late grassarentur, tam alte undequaque exaudirentur, ut Aaron petita plene detrectari posse desperaverit atque ad conditiones descenderit. Timida viri obsequentia Ex. 32 describitur, non praecedentium quadraginta dierum fides.

Cur vero seditiosi non ipsi misso Aarone simulacra confecere? Quia Aaroni obsequebantur viri armati bene multi. Quem si seditiosi vi aggrederentur, timendum erat ne incerta, quae in medio fluctuaret, multitudo illi iungeretur. Vicissim verebatur Aaron, ne, si adversariorum petita denegaret omnia, ad illos incertum vulgus converteretur. Ergo ad conditiones sibi descendendum esse arbitratus est. Tamen ne suspiceris fidem Aaronem aut Moysi aut Iahve fefellisse. Quodsi fecisset, non levem atque iocosam v. 22 sqq. protulisset excusationem, vix sacerdotio potitus esset. Iahve cultum per omnia tueri nitebatur, ad eum tamen honestissimum finem omnia sibi media, simulationem etiam et fraudem, licita esse arbitrabatur astutus Semita. Primum igitur petita se impleturum pollicetur ea conditione, quam tamquam nimis gravem recusatum iri confideret : tradi sibi postulat pretiosas inaures. Tradunt illi. Quid agat miser? Pedem retro ferre, promissa retractare nequit. Fundit simulacrum *unicum,* repraesentans ipsum *Iahve,* inclamatque : « Ecce Deus tuus, Israel, qui te eduxit de terra Aegypti! » (Cf. Comment.). Vocem arripit mobile vulgus et, qui modo Iahven renuntiasse videbantur, eius nunc nomine et laudibus aera replent.

Illico Iahve solemnitatem in sequentem diem indicit Aaron. Victimas producit plurimas, potum copiosum. Sacrificium quippe excipit convivium, convivium ebrietas, donec somno sopita iacent omnia. Non omnia omnino : contuere Levitas prope sua tentoria stantes, vigiles, sobrios, armatos; reliquos humi fusos, sopitos, ebrios, inermes, nudaverat enim eos Aaron armis (v. 25). Perspicis iam exitiale Aaronis in Iahve contemptores consilium : necem paraverat, propter quod probabile

consilium sibi vituli etiam cultum facete v. 22 sqq. condonari debere innuit.

Moyses idipsum, quod Aaron in mente habuerat, pro legitima auctoritate ipse exsecutus est : levitas per media castra mittit trucidaturos sacerdotes, qui ibidem circa vetus tabernaculum discubabant. Quomodo triplici dein supplicatione Iahven populo plene reconciliaverit, Commentarium consule. Tabulas defert digito non iam Iahve, sed suo descriptas. Novum sanctuarium aedificat et consecrat. Quae vero in privatorum manibus supererat *aeris* copia, eius certe maxima pars 38,29, non bellicis usibus sed sanctuario ornando destinata, in sacerdotum aaronicorum manus transiit.

Exspectabas narrationem illico gressum esse facturam ad describendam novorum sacerdotum consecrationem : sed inseritur Lev. 1-7 *Thora Sacrificiorum* ob eam potissimum rationem, quod in ea consecratione sacrificia plura essent offerenda, ideoque eorum offerendorum ritus ante consecrationem nomine Iahve esset promulgandus. Leges h. l. describuntur, quia post sanctuarii et ante sacerdotum consecrationem fuere promulgatae. Tandem Lev. 8 Aaron et filii consecrantur, Lev. 9 eorum prima sacrificia insigni miraculo honestantur, Lev. 10 sacerdotii aaronici neglectus portento punitur simulque Aaron acerbam poenam fert eorum, quae cap. 32 superstitiose et insidiose egerat. Sane huius universae Ex. 24-Lev. 10 narrationis mira est unitas.

6. *Liber Legum* Lev. 11-27.

Hoc nomine, quod respondet alteri Ex. 24,7 « Liber Foederis » pro Ex. 20,22-23,33 statuto, complectimur leges Lev. 11-27. Quae et in Sinai editae esse 26,45 et 27,34 (cf. 1,1) scribuntur, et quibusdam eventibus 16,1 et 24,10 sqq. copulantur, ut sensus obvius certe is sit, promulgatas ibi esse eas leges eo, quo recensentur, ordine illisque interiectis eventibus. Qui sensus erit retinendus, ni graves obstent rationes : verum, tantum abest ut graves obstent rationes, ut potius rationes aliquae non spernendae illum sensum confirment. Quo aevo Hebraeorum literae in cunabulis quodammodo adhuc versabantur, eo credendus est scriptor sine arte res omnes, tam eventus quam legum promulgationes, quo ordine evenerant enarrasse; idque tanto magis, quod uti Geneseos auctor ordini stationum itineris stricte adhaereat, ordinem vero stationum necessario consequatur ordo temporum. Praeterea, quam apte suis locis descriptae sint leges Exodi et Lev. 1-7, supra demonstrabamus : at apte item leges Lev. 11-27 suis locis insertae esse deprehenduntur.

Ostenderant Lev. 10,10 Nadab et Abiu, se ignorare discrimen inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum : haec certe fuit apta occasio inserendae Thorae Munditiei Lev. 11-15, quae agit de animalibus mundis et immundis, de immunditia puerperae, leprae, fluxus seminis et sanguinis. Annuum expiationis festum Lev. 16 explicite asseritur esse institutum occasione interitus Nadab et Abiu. Ergo haec duo apte narrationem illius interitus consequuntur. Legis de mactationibus Lev. 17 finis primarius is est, praepedire quominus sanguis contra vetitum divinum Gen. 9,4 comederetur. Contra quod nefas repetitis vicibus Moyses insurgit, erant in illud Hebraei proniores, estque de se perquam probabile eum, brevi post nova instituta sacra, de ea re legem tulisse. Sequitur Thora Sanctitatis Lev. 18-22. Sanctitatem ordinis sacerdotum Lev. 21 sq. omnino necesse erat quam primum post nova instituta sacra inculcari; et eventus Lev. 10 necessaria fere erat occasio (cf. v. 6 legum de luctu sacerdotum ferendarum. Leges item de matrimoniis vetitis, quae alia sunt pars Thorae Sanctitatis, erant in se gravissimae neque earum promulgatio differenda, ne stirps electa ipsaque sacerdotum sanctitas foedaretur. Catalogum festorum Lev. 23 describi, rursum quis miretur? Erat is mature promulgandus, quo illico post instituta nova sacra festa ex ordine celebrarentur. 24,1-9 de iis agit, quae quotidie in tabernaculo essent observanda, sc. de oleo lucernarum et panibus propositionis. Supplicii hominis blasphemi v. 10-23 vix aliam cum hac de oleo et panibus lege rationem quis imaginetur, quam supplicium illud primum fuisse eventum scitu dignum, qui post eam legem latam acciderit. Sequitur tandem Lev. 25 sq. totius Libri Legum epilogus, cui appendicis loco adscribitur Lev. 27 lex de redemptione votorum. Ergo nulla est ratio affirmandi in Lev. quaedam describi non eo, quo evenerint, loco.

Sequentibus agimus non de solis legibus Lev. 11-27, sed de legibus Exodi et Levitici universis; lectorem tamen monemus, plurium, quae h. l. attingemus, pleniorem in ipso Commentario rationem nos esse daturos.

A. Legum accessoria. Ea nulla vel pauciora sunt in prioribus legibus, frequentiora in mediis (Lev. 1-7; 11-15), frequentissima in extremis (Lev. 18-22). Nude enarrantur leges Ex. 12,14-20. 43-49; 13,2; tamen prima lex de Phase 12,12 formula « Ego Iahve » quasi sigillo insignitur. Decalogus item Ex. 20,2 formulam « Ego Iahve Deus tuus, qui eduxi te etc. » fronti inscriptam gestat. Nonnihil ornatior iam est decalogi commentarius 20,22-23,33. Inter primam sc. et secundam seriem earum, quae proximum respiciunt, legum 22,31 intercedit formula : « viri sancti eritis mihi »; inter secundam et tertiam 23,13 altera formula : « omnia, quae dixi vobis, custodite »; tandem oratio desinit in solemnem epilogum 23,20-33; leges ipsae inter illas formulas numeris sacris collectae esse videntur. Multo ornatior est Thora Sacrificiorum Lev. 1-7. E schemate a nobis adscripto perspicies, quam artificiose plura numeris digerantur, clausulae singulis

orationis articulis adhibeantur. Sunt vero hae clausulae ex ipso textu natae, non in illum importatae : « Hoc est holocaustum », « Sacrosanctum est hoc », etc. Simile quid cernere est in Thora Munditiei Lev. 11-15, ubi in locum unius generalis subscriptionis 7,37 sq. : « Haec est thora holocausti et minchae etc. », succedunt ejusdem formae inscriptiones singulis ejus thorae legibus affixae 11,46 sq.; 12,7; 13,59; 14,32. 54-57; 15,32 sq. (cf. 26,45; 27, 34). Thora Sanctitatis Lev. 18-22 subscriptionem quidem non habet, articulos vero distinguit perquam artificiose certis quibusdam formulis, non quidem ex ipso contextu natis, sed eidem studiose intextis : « Ego Iahve », « Custodite mandata mea », « Iuxta consuetudinem gentium ne faciatis », « Sancti estote ».

Quarum omnium formularum triplex videtur esse *finis*. Formula « Ego Iahve » et subscriptio « Haec est thora etc. » pondus addunt legibus, quod eas non humana, sed *Iahve auctoritate* promulgatas esse demonstrent. Auctoritas vero legifera Iahve non alio magis tempore fuit assidue inculcanda quam eo, quo Hebraei modo inceperant Deum avitum nomine Iahve appellare, ergo Moysis tempore. — Hae formulae, uti etiam reliquae, sunt *adjumenta memoriae* nosque revocant ad illud tempus, quando paucissimis legendi et scribendi artem callentibus, leges e memoria potissimum recitabantur. In legibus porro tam multis, tam complexis, tam haud raro inter se similibus recitandis conveniens erat haberi intervalla quaedam, quibus memoria quiesceret et dirigeretur. Quare eas formulas tantum abest, ut recentius textui adhibitas esse concedamus, ut eas potius tamquam *venerandae antiquitatis vestigia* veneremur. Quis unquam evangelia ejusmodi formulis distinguere attentavit? Id vero ideo non est factum, quod nusquam aevo christiano defuerint, qui evangelia e scriptis et legerent ipsi et aliis praelegerent. Est et alia ratio, quae suadet formulas illas esse perantiquas : non eaedem omnibus pariter legibus affiguntur. Recentior autem scriba idem potius formularum genus ubique textui sacro adhibuisset. — Tertius tandem quandoque accedit finis : formulae, imprimis inscriptiones et subscriptiones, *leges diversas in unam thoram contexunt*. Id in Thoris Sacrificiorum, Munditiei, Sanctitatis evidentissimum est.

Porro formula זאת תורת re eadem est cum inscriptione Ex. 12,43 זאת חקת, (cf. Lev. 17,2 זה הדבר אשר צוה יהוה), et haec eadem est cum expressione חקת עולם, quae nonnisi institutis vere mosaicis, i. e. iis quae *ante* Moysen certe non exstitebant, adscribitur ad perpetuam illis auctoritatem faciendam : Phase (Ex. 12,14. 17. 24), quibusdam spectantibus sacerdotes aaronicos (28,43; 30,21; Lev. 6,18), festis a Moyse recenter institutis (Lev. 16,29. 34; 23,21. 31.41), mactationibus universis ritu sacro faciendis (Lev. 17,7), oleo lampadum et panibus propositionis (Lev. 24,3. 9). Coniiciat igitur quis non improbabiliter, formulam etiam זאת תורת adhibitam esse ab ipso Moyse ad auctoritatem conciliandam suis quibusdam legibus sive recenter conditis sive ex aliis antiquioribus in unum coactis. — Formula item « Ego Iahve » Moyse antiquior certe non est. — Israelis « sanctitatem » tota Pentateuchi narratio proclamat (cf. Genesin et Deut. 7,6; 14, 2.21; 26,19; 28,9); sed ea rursum nullo tempore magis erat inculcanda eo, quo leges in Sinai ferebantur. Formulas « Cu-

stodite », etc. fusius digerunt solemnes epilogi Ex. 23,20-33 et Lev. 25 sq. totumque Deut.

B. Legum textus.

1. Duae certe sunt leges non uno continuo calamo descriptae, sed quae *successivis paulatim augmentis increvere*, et quidem antequam in librum Exodi vel Levitici receptae sunt. Una est *lex de animalibus mundis et immundis* Lev. 11, altera *novella de laesionibus corporis* Ex. 21,12-36. In illa istud etiam percommodum, et legis initia ad diluvium saltem (Gen. 7,2) quod novimus pertingere, et ejus legis Deut. 14 aliam haberi recensionem.

Igitur lex illa antea longe brevior fuerat et simplicior, erat lex *ciborum*, de solis pecoribus, aquatilibus, altilibus agebat v. 2-20, quae horum animalium comedere fas esset quaeve nefas, modo specierum elenchis (v. g. v. 13-19), modo generalibus regulis (v. g. v. 3 sq. 9 sq.) definiebat; altilia quadrupedia universa confodiebat v. 20. Verum huic canoni postmodum visa est appendenda exceptio (v. 21-25) quoad locustas, quae voce אך subnectebatur legi prius exsistenti. Posthaec nata est quaestio de quibusdam pecoribus, quae v. 2-8 erant omissa, de iis sc. quae neque ungulam dividerent neque ruminarent, et de iis quae non ungulis sed manibus incederent : de quibus adscriptus est canon, non tamen extremo de pecoribus tractatui v. 8, sed extremae qualis tum erat legi v. 26-28. Dum prima lex v. 2-20 solam *comestionem* prohibebat et, quo certius comestio excluderetur, etiam *tactum*, haec additamenta v. 21-25 et v. 26-28 tactui magis insistunt prohibentque *tangere* et *portare*. Lex eousque de reptilibus siluerat, de quibus comedendis nemini in mentem venerat. Ubi vero eo ventum est, ut lex (v. 2-28) tactui jam fere magis insisteret quam comestioni, visa est omnino lex ad reptilia quoque esse extendenda : igitur legi, qualis tum erat, adscriptum est v. 29-35 vetitum, quo octo specierum reptilium attactus severe inhibebatur; de comestione silet hoc additum, licet ea indirecte excluderetur, quod enim attingere nefas erat, haud poterat comedi. Tactus vero proscribitur non immediatus tantum, sed *mediatus*, quo vel vasa, vestes, cibi conspurcentur. Generalis tamen ea proscriptio brevi visa est haud ferenda : saepe quippe reptilium cadavera in cisternis frugumve acervis reperiebantur. An ergo haec semper immunda et constanter purificanda ? Adscripta est proscriptionis exceptio v. 38-39. Videbatur tandem omnibus numeris perfecta esse lex de animalibus : at brevi pullulavere dubiola duo. Quid de pecoribus specie quidem mundis, sed per accidens immundis ? Ea prohibebantur tangi, comedi, portari v. 39 sq.; prohibitio tamen non inserebatur praecedenti de pecoribus tractatui (post v. 8 vel v. 28), sed ad calcem legis qualis tum erat. Alterum dubiolum illud erat, v. 29-38 plurima haberi de reptilium contactu, nihil de comestione : cujus v. 41 sq. adiecta est explicita condemnatio. Collector tandem legum addidit subscriptionem primum legis de reptilibus v. 43-45, ac postea totius legis animalium v. 46 sq. — Simili ratione novella de laesionibus corporis agit primum de homicidio deque aliis tribus delictis capitalibus, sc. de percussione et maledictione parentum et abductione hominis; post quae v. 18-23 tria adscribit de homicidio additamenta. Sequitur lex de mutilatione seu talionis v. 24-27, cui appenduntur v. 28-32 quaedam non mutilationem, sed rursum percussionem lethalem spectantia. Cf. quae descripsimus harum legum schemata.

Hae igitur duae leges longis ante Moysen temporum spatiis paulatim crevere. Longissime aberat illorum hominum Moyse antiquiorum agendi

ratio a criticorum modernorum commentis. Traditae legis etiam humanae textum non forcipe dissecabant, non sua interpolabant, sed *summa traditae legis tenebantur reverentia*, textum aeque sacrum habebant atque ipsam legem, ei non violentas manus inferebant sed, si quae decursu temporum addenda viderentur, ea non legi, qualem ipsi traditam acceperant, inserebant sed ad calcem eidem adnectebant. Nonne similibus fere incrementis auctum est etiam Corpus Iuris Canonici, labyrinthus ille, quo facile ignarus et incautus absorbetur? Ergo Moyses vel quisquis hunc legum codicem composuit, non omnes leges condidit novas, sed aliquas certe, quae ante ipsum exstiterant, leges humanas auctoritate Iahve confirmatas ad ordinem legum divinarum evexit.

2. *Thora Sacrificiorum* duabus partibus constat, quarum *altera complementum est prioris*. Sc. pars Lev. 1,1-6,7 *ritum* variorum sacrificiorum tradit, differentiam item inter sacrificium pro peccato et pro delicto, quod eam notam supponat, non explicat; pars vero 6,8-7,36 evidenter complementi rationem habet, imprimis Aaronitarum partes et officia describit. Qui scribendi modus maxime convenit ei auctori, qui ritus a patriarchis traditos servat, simul tamen pro temporum necessitate complet. Ecquis dubitaverit, quin ritus sacrificandi non mutatus sit servatus, qualis ab Abraham traditus fuerit? Neque ideo dicimus textum legis 6,8-7,36 prorsus eundem mansisse, qui ante fuerat : pro nomine divino antiquiore et pro voce « sacerdotes » scribebatur « Iahve » et « filii Aaron »; leges de holocaustis, de minchis, de pacificis, de sacrificiis pro peccato et pro delicto in unum collectae; addita, uti crediderim, Lev. 2,11-16; 3,16 sq.; 5,7-13; 6,1-7. — Quomodo legis de *lepra* humana paragrapho alteri adnexa fuerit lex de lepra vestium, et paragrapho tertiae lex de lepra domorum, suo loco exponemus.

3. Habemus jam illud, *quasdam* Moysen leges, tam profanas quam sacras, non novas effinxisse, sed a majoribus traditas suas fecisse : leges de animalibus mundis et immundis, de laesionibus corporis, de sacrificiorum offerendorum ritu. Ex quo facto exsurgit ratio perquam probabilis asserendi, *plures etiam alias leges antiquas Moysen transumpsisse*.

a. Et primum quidem feruntur leges quaedam de *ritibus externis minutis*, qui si a Deo primo invecti esse adstruantur, sapiunt nescio quid angusti Deoque parum digni. Age, cur Deus optimus maximus tam severe iterato prohibuerit teneras hoeduli carnes coqui in generoso adipe matris (Ex. 23, 19; 34,26; Deut. 14,21)? Cur de vertice coeli praeceperit, ut servo, qui libertatem recusaret anno sabbatico, perforaretur auris (Ex. 21,6)? Cur possessorem probibuerit residuas post segetem et vindemiam spicas et uvas colligere (Lev. 19,9 sq.)? et equum et bovem arare una? aut duplici semine eundem agrum seri (Lev. 19,19)? Cur legem tulerit de praeputio arborum (Lev. 19,23-25)? Res fit plana et perspicua, si supponantur illi aliique similes ritus antiquitus jam in stirpe electa esse observati ad res iustas et sanctas exprimendas. Erant igitur illi ritus *mores*, eratque Deo minime indignum, ut pios illos mores lege etiam data confirmaret. Plura

quippe, quae ad mores spectant, in se quidem minuta esse quis reputet, sunt autem non spernendi momenti ad populos in pietate et iustitia continendos.

b. Inter ea quae legibus Exodi et Levitici sanciuntur, sunt plura, quae vel a patriarchis vel ab aliis gentibus servabantur. Patriarcharum illos mores apud posteros usque Moysen perseverasse, per se patet. Quae vero Hebraeorum cum aliis gentibus sunt communia, ea non Moysis tandem aevo ab illis gentibus mutuati sunt Hebraei : quis enim affirmaverit, Iahven mores et leges aliquas Aegyptiorum, Chananaeorum etc. eo ipso tempore in Hebraeos transtulisse, quo illos ab imitandis earum gentium moribus et consuetudinibus tam assidue dehortabatur? Sed illa e communi Noachidarum ante dispersionem fonte manarunt. Certis tandem legibus vel ante Moysen Hebraei vivebant : eas Iahve, ubi opus esset emendatas, retinuit suaque sanxit auctoritate.

Generatim conceduntur Hebraeorum sacra in pluribus affinia fuisse sacrorum cum Aegyptiorum tum anterioris Asiae populorum, mores vero et leges exstitisse prorsus *semitica*. Fratres sunt Babyloniorum, Chananaeorum et imprimis Arabum Hebraei. Holocausta, minchae, pacifica vel in Genesi commemorantur. Hostias pro peccato offerebat Iob 1,5, licet totas victimas combureret. Servi aurem perforabant Arabes aliique (v. infra). Matrimonia prohibita apud Arabes fere eadem atque Lev. 18. Etc. etc.

c. Finge totam illam legem, cum sacram tum profanam, Hebraeis impositam esse *novam*. Recole porro, quot nostri levitae tirones, dum rubricis assuefiunt, naevos committant, quot absurda rustici legum ignari quandoque perpetrent; et imaginare continuam circa Moysen in deserto rerum omnium perturbationem, Aaronitis constanter praevaricantibus contra caerimonias tam novas tamque impeditas, cunctis se infinitis implicantibus impuritatibus legalibus. Non unum altare suffecisset absorbendis illis pro peccato et pro delicto hecatombis [1], non Moyses cum Aaron quatuorque filiis, imo neque septuaginta, qui Ex. 18 constituti fuerant, iudices tot componendis dubiis.

d. Redimus ad ea, quae de legum *textu* dicebamus. Novella de laesionibus corporis Ex. 21,12-36, quam Moyse antiquiorem esse affirmabamus, frequenter capita orationis orditur voce כי (v. 14. 18. 20. 22. 26. 28. 33. 35), membra vero subordinata voce אם (v. 27. 29. 30. 32). Eandem rationem ib. v. 2-11 sequitur novella de servis (כי v. 2. 7 — אם v. 3-5. 8-11), novella de damnificatione Ex. 22,1-17, quae septem capitibus voce כי incipientibus

1. Perperam ex Am. 5,25 (cf. Act. 7,42) intulere aliqui, sacrificia in deserto ab Israelitis offerri non consuevisse. Id nimis aperte contradicit textibus claris Ex. et Lev. Praeterea textus illi alium facile induunt sensum : nonne sacrificia obtulistis mihi in deserto quadraginta annis; et *simul* portastis tabernaculum Moloch? ergo sacrificia vestra, quae jam in deserto conspurcabatis, in posterum repudio. Vel ita : Num fideliter *quadraginta continuis annis* mihi soli in deserto obtulistis sacrificia, an vel ibi meum cultum superstitione Moloch foedastis?

(v. 1. 3. 6. 7. 10. 14. 16) membra subordinat voce אם (v. 8. 12 sq. 15 bis. 17). Hae leges uno omnes stilo sunt descriptae. Patet vero, Moysen non solam legem de laesionibus corporis ab antiquis mutuatum esse, sed sane etiam leges de damnificatione et de servis. Novella de tribus delictis capitalibus Ex. 22,18-20 debuit esse eiusdem fere antiquitatis atque lex de quatuor delictis capitalibus Ex. 21,12-17; maleficia, bestialitas (cf. Lev. 20,15), idololatria sine dubio ante Moysen suam habebant poenam.

Prior eaque item antiquior pars Thorae Sacrificiorum stilo affinis est legum Ex. 21 sq. : singula capita ordiuntur expressione נפש כי (אדם כי), membra voce אם. Cf. Schema. Thora Munditiei (excepto cap. 11) capita orditur ab איש כי similive expressione, membra ab אם. Idem dicendum quoad legem de mactationibus Lev. 17. Lex de re matrimoniali Lev. 18, quam omnes agnoscunt esse perantiquam, ob subiectam materiam non potuit quidem iisdem illis vocibus articulos ordiri, sed singulos fere inchoat voce ערות; verum lex Lev. 20, quae cum lege Lev. 18 intime connectitur, rursum capita orditur expressione איש איש, membra expressione איש אשר. Eiusdem formae est lex de redemptione votorum Lev. 27 et lex de coitu cum ancilla 19,20-22.

Possumus igitur universim affirmare illum, quem recensebamus, describendarum legum stilum esse *perantiquum*. Neque tamen, ubicunque is stilus deprehendatur, illico sequitur legem esse Moyse antiquiorem. Non enim novis et inauditis expressionibus loquebatur Moyses, sed, dum novas leges condebat, facile antiquiorum legum stilum imitabatur. Ei concesserim v. g. Lev. 21,16-22,9, de irregularitatibus sacerdotum; fortasse item 22,17-30 et 24,15-22. Sed *ubi ille stilus deprehenditur, praesumptio favet origini praemosaicae.*

Aliae sunt antiquissimarum legum formae. *Forma negativa* : negatio לא, addito verbo (« non furaberis ») vel brevissima sententiola. Leges negativae videntur omnium primae esse natae, ante enim prohibenda erant mala, ad quae perversa natura pelliciebat, quam imperanda bona, quae ipsa sana ratio facienda esse demonstrabat. Uti patet, posterioribus item temporibus addebantur novae leges negativae : eae quandoque non ita conciso stilo deprehenduntur esse exaratae, imo parallelismo quodam indulgent (cf. Ex. 20, 4-7). — Adest praeterea *forma absoluta*, incipiens a nomine vel participio : vide leges de septem delictis capitalibus et legem talionis (Ex. 21,12. 15-17. 24 sq.; 22,18-20); item Lev. 18. — Primae leges, quod essent prima fere stili tentamina et ab omnibus memoria retinendae, verbis exprimebantur quam maxime simplicibus et concisis : res facienda absolute proponebatur, rei vitandae negatio praefigebatur; quae facienda erant, simplici *forma conditionata* proponebantur (אם — איש כי, אם — כי) : si quis hoc fecerit, illud praestabit; si quis tale sacrificium offerat, ita procedat. Et quod essent ingenia tum simpliciora, neque artem callerent eiusdem rei diversis modis exprimendae, praeterea quod scientia legum semper fuerit iciunior et a cultu verborum abhorrens : ideo idem legislator iisdem locutionibus loquebatur in legibus posterioribus atque in prioribus, et alii post ipsum legislatores iisdem fere locutionibus continebantur. Quare ex solis quibusdam expressionibus, quod supra monebamus, non efficitur certo, sitne aliqua lex Moyse antiquior necne.

4. Dicebamus de indole legum Moyse antiquiorum : addemus aliqua de *legibus Moysi ut primo auctori adscribendis.* Huc certe spectant leges de Phase, de sacerdotio Aaronico etc. : Ex. 12,14-20. 43-49; 13,3-16; 20,22-26; 23,20-33; Lev. 16; 23; 24,1-9; 25 sq. Horum stilus saepe est minus concisus quam legum certe antiquissimarum, est facundior, non nuda tradens mandata, sed eorum attingens rationes, poenas et praemia demonstrans.

Quandoque adduntur legibus quaedam *in favorem pauperum etc.* Duplex indulgentia Lev. 5,7-10. 11-13 statuitur pro paupere, cui pro certis quibusdam delictis offerendum est sacrificium pro peccato. Pro puerpera paupere Lev. 12,8 indulgentia, et quidem *post* legis subscriptionem v. 7 (« Ista est lex etc. ») adscribitur; item pro paupere a lepra sanato Lev. 14,21-31, quod additamentum propriam v. 32 subscriptionem habet. *Advenae* fere iisdem verbis commendantur Ex. 22,21 et 23,9 itemque Lev. 19,33 sq., adiecta ratione Hebraeos ipsos in Aegypto advenas fuisse; dein priore loco adscribitur commendatio *viduarum* et *pupillorum*, debitoris et commodatarii *egeni* v. 22-25, et quidem non stilo presso, qualis antiquarum legum proprius esse consuevit, sed potius facundo et oratorio. Porro, cum p. 12 speciales indicaverimus rationes, quas habebat Moyses pauperum etc. fovendorum suisque partibus iungendorum, licebit fortasse illas in favorem pauperum etc. leges et additamenta Moysi tribuere auctori. Non tamen omnes, cum pauperes et advenas etiam ante Moysen benigne fuisse habendos et per se pateat, et ex anno sabbatico (Ex. 23,10 sq.; Lev. 25,4-7) colligatur, quod institutum Ex. 21,2 notum supponitur annique fructus pauperibus advenis colligendos concedebat. Verum sanctam illam misericordiae regulam a patribus traditam Moyses ob rationes assignatas inculcaverit et ampliaverit.

Plures praeterea legibus accrevere *appendices.* Legi de minchis, quam pridem usque ad Lev. 2,10 tantum pertigisse arbitramur, adscribebatur primum v. 10-13 regula de fermento, sale, melle; dein tamquam tertium minchae genus subiiciebatur v. 14-16 primitiarum oblatio, quae fortasse antea sacrificium stricte dictum a pluribus non habebatur. Extremae legi de pacificis Lev. 3,16 sq. appendebatur monitum de sanguine et adipe Iahve reservandis. Brevis Lev. 5,14-18 tractatus de sacrificio pro delicto v. 19 solemni clausula absolvitur; sed *post* hanc clausulam, non ante illam, adscribitur 6,1-7 lex de delicto commisso in re non sacra. Legi Lev. 21,9 *post* clausulam v. 8 adscribitur lex de sacerdotis filia scorto. Lex de redemptione votorum Lev. 27 tres habet appendices v. 26-33. Potuere quidem ejusmodi appendices ab ipso primo legis auctore adiici, sive dum legem scriberet et aliqua superessent, quae in legem inseri commode non possent, sive aliquamdiu post conscriptam legem. Eiusmodi quid evenisse concesserim in appendicibus Lev. 7,23-27. 29-36 adnectendis thoris 6,8-7,21, quas ipsum Moysen adnexuisse suggerebamus antiquo sacrificiorum ritui 1,1-6,7; item in appendicula Lev. 17,15 sq. adscribenda, imo fortasse in tribus ib. appendicibus v. 8 sq. 10-12. 13 sq. subnectendis, veluti totidem canonibus Concilii cuiusdam definitionis caput excipientibus. Verum, cum illud probatum habeamus, Moysen leges etiam antiquiores suas fecisse, haud minus probabiliter adstruemus, appendices illas certe aliquas ab ipso textibus antiquioribus esse additas.

Porro inter ea, quae certe tota a Moyse profecta sunt, et ea, quae tota ipse uti Lev. 11 a majoribus transsumpsit, interiacent plurima alia, quae cuius partis sint non ita facile definitur; praesertim cum Moyses persaepe stilo antiquiorum legum loquatur, antiquiores leges transformet. Neque

ulla est ratio, cur his omnibus dirimendis insudemus, neque id quantavis collata ope efficere valemus.

Cf. quae ad Ex. 12,4; 16,16; 21,12-36; Lev. 5,1-13; 11; 17,3 etc. dicemus de quarumdam legum stilo *casuisticam* sapiente.

C. Tempora mosaica praemosaicis comparata. Critici moderni plures in Ex. et Lev. subodorati stili inaequalitates easque omnes a librorum *compositione* repetentes, librorum *explicationi* praemittunt eorumdem *decompositionem*, atque ea decompositione dilabuntur ad thesin de *Pentateuchi origine postmosaica*. Nos a librorum explicatione orsi, eamque optimam ducem rati ad eorum tandem etiam compositionem evolvendam, eo deducimur ut modernorum thesi thesin opponamus de *origine praemosaica plurium Pentateuchi partium*. Inaequalem concedimus aetatem, originem Moyse recentiorem universim negamus. Stili vero inaequalitates si quae non studiose confictae in ipso textu deprehendantur, eas potius quam libri compositioni, eiusdem *vitiosae praeservationi* attribuimus.

Ante Moysen non erat lex : hoc S. Pauli ad Romanos principium. Sc. non erat lex *divina positiva* seu revelata. Erant paucae quaedam leges divinae particulares permanenter datae : prohibitio esus sanguinis et homicidii Noachidis imposita, et lex circumcisionis Abrahamidis data. Sed *non erat systema legum sive civilium sive religiosarum* a Deo revelatione profectum. Ritus religiosos patriarchae, veritate naturali et revelata praelucente, ipsi instituerant. Deus immisso igne sacrificia Abel et Abraham (Gen. 4,4; 15,17) probasse quidem legitur, non tamen instituisse; Gen. 7,2 distinctionem inter animalia munda et immunda confirmasse, non invexisse. Leges item morales et civiles in primitiva illa republica mox efflorere. Dum vero cognitionis tam naturalis quam revelatae lumen homines dirigebat ad bonum, naturae corruptio eos ad vitia et superstitionem constanter pelliciebat. Omnes vero tum gentes ingrediebantur vias suas (Act. 14,15). Adfuit tandem tempus, quo stirps electa et in numerosum populum adoleverat, et ipsa fere iam Aegypti superstitionibus absorbebatur. Tum Deus reliquas quidem gentes, uti antea, « dimisit ingredi vias suas », stirpem vero electam, populum Israel, traduxit in *viam Dei*, data illis in monte Sinai lege caerimoniali, morali et civili.

Quae porro erat eius viae Dei ad eam, quae ante fuerat, viam Israelis et etiam gentium, quae legis Iahve ad legem patriarcharum ratio? *Totam legem humanam*, qualis patriarcharum aevo in stirpe electa pedetentim efflorverat, Iahve per Moysen, ubi opus esset purgatam, correctam et auctam, *suam fecit*, sigillo sui nominis obsignavit. Apex aevi patriarcharum est aevum mosaicum. Si quaeris, quibus fere

legibus patriarchae vixerint, lege Exodum et Leviticum; si quaeris, quo ritu sacra fecerint, consule Lev. 1-7. Novum sanctuarium cum novo sacerdotum ordine Iahve novo nomine appellandus sibi comparavit; memorialia quaedam portentorum in Aegypto factorum instituit: de cetero ritum sacrum, leges civiles et morales retinuit.

Unde plana se offert solutio difficultatis, quae pluribus visa est gravissima: leges Sinaiticae totae quantae supponunt *populum agrorum cultorem*: cf. anni sabbatici institutum, quod Ex. 21,2 *notum* supponitur. Verum Hebraei in Aegypto et Chanaanitide agricolae non fuerant, sed pastores. Respondeo, Hebraeos tam in Chanaanitide quam in Aegypto versatos esse peregrinorum instar et tamquam in terra non sua. E patria profecti erant Babylonia et regione Eden, ibi agros coluerant, leges nacti erant, quas alta mente servabant et, quantum tempora ferebant, observabant, donec in novam promissam patriam segetum feracem devenirent. Sperabant autem se brevi eo deventuros, sed ob sua peccata detenti sunt in deserto quadraginta annis. Si leges a Moyse supponas esse latas *novas*, plures in deserto non poterant observari: in nova autem lege, ni omnia simul observentur, confunduntur omnia. Aliud est, si agatur de lege vetere, a patribus tradita. Haec plenam servat auctoritatem, etsi aliqua eius pars ad tempus observari nequeat.

7. *Exodi et Levitici interpretes.*

Commentariorum elenchum tradit *R. Cornely*: Historica et critica introductio in U. T. libros sacros II. 1. 161 sqq., Paris. 1887. Exodum et Leviticum commentati sunt auctores longe pauciores quam Genesin; eorum plures paucas aliquas quaestiones fusius tractabant, reliquis aut omissis aut breviter expeditis. Nos eorum, quos frequentius adhibitisque abbreviationibus quibusdam citamus, h. l. nomina et opera describimus; reliquos in opere ipso suis locis sine abbreviationibus citabimus. Auctoribus antiquioribus adscribimus tomum collectionis *Migne*.

Theodoret.: Quaestiones in Exodum et Leviticum *M.* 80. 225 sqq.
Proc.: Procopii Gazaei Commentarius in Ex. et Lev. *M.* 87 a. 511 sqq.
Hesych.: Hesychii Hierosol. Commentarius in Lev. *M.* 93. 787 sqq.
Aug.: S. Augustini Quaestiones in Heptateuchum *M.* 34. 597 sqq. Intelliguntur hae Quaestiones, quoties non adscribitur alterius libri ab eodem S. D. conscripti titulus.
Walafr.: Walafridi Strabonis Glossa ordinaria *M.* 113. 183 sqq.
Hugo: Hugonis a S. Victore Annotationes elucidatoriae in Pentateuchon *M.* 175. 61 sqq.
Rup.: Ruperti Tuitiensis libri De Trinitate et operibus eius *M.* 167. 565 sqq.

Accedunt:

Bonfr.: I. Bonfrerii S. I. Pentateuchus Moysis commentario illustratus, Antwerpiae 1625.

Cai. : Card. Th. de Vio Caietani O. P. in S. Scripturam Commentarii I, Lugduni 1639.
Calm. : A. Calmet O. S. B. Commentarius literalis I sq., Wirceburgi 1789.
Cler. : I. Clerici Moysis prophetae Exodus et Leviticus, Tubingae 1733.
Dillm. : A. Dillmann, Die Bücher Exodus und Leviticus, Leipzig 1880.
Ebers (G.), Aegypten : Aegypten und die Bücher Mose, Leipzig 1870.
Ebers (G.), Gosen : Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872.
Erman (A.) : Aegypten und aegyptisches Leben im Alterthum, Tübingen 1885.
Friedreich (I. B.) : Zur Bibel. Naturhistorische, anthropologische und medizinische Fragmente. Nürnberg 1848.
Gord. : I. Gordonus S. I. in : Biblia Sacra cum selectissimis litteralibus commentariis, I, Venetiis 1747.
Hoonacker (A. van) : Le lieu du culte dans la législation rituelle des Hébreux, Gand et Leipzig 1894.
Ians. : Cornelii Iansenii episcopi Iprensis Pentateuchus, Lovanii 1685.
Keil (C. F.) : Biblischer Commentar über die Bücher Mose's, I u. II, Leipzig 1866. 1862.
Kn. : A. Knobel, Die Bücher Exodus und Leviticus, Leipzig 1857.
Lyr. : N. Lyrani Postilla.
Malv. : Th. Malvenda O. P., in : Biblia Sacra, v. s.
Mar. : I. Mariana S. I., ib.
Men. : I. St. Menochius S. I., ib.
Müller (W. M.) : Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern, Leipzig 1893.
Ros. : E. F. C. Rosenmülleri Scholia in V. T., I. 2 et II, Lipsiae 1823. 1824.
Schrader (E.) : Die Keilinschriften und das Alte Testament. Citamus translationem anglicam O. C. Whitehouse : The cuneiform inscriptions and the Old Testament, London 1885-8.
Smith (W.) : The book of Moses, London 1868.
Sylv. (F.) : Operum tom. VI. 178 sqq., Venetiis 1726
Tir. : I. Tirinus S. I., in : Biblia Sacra, v. s.
Tost. (A., dictus Abulensis) : Operum tom. II. III, Coloniae Agrippinae 1613.
Vat. : I, Vatablus, in : Critici Sacri I, Amstelodami 1698.
Vig., Manuel : F. Vigouroux, Manuel biblique, 9e édition, Paris, 1895.
Vig., Bible : id., la Bible et les découvertes modernes, 3e édition, Paris, 1881.

Quoad ipsum textum sacrum :

Field (F.) : Origenis Hexaplorum quae supersunt I, Oxonii 1875.
Levy (I.) : Chaldäisches Wörterbuch über die Targumim, Leipzig 1881.
Verc. : C. Vercellone, Variae lectiones Vulgatae latinae Bibliorum I, Romae 1860.

MOYSIS ACTA IN AEGYPTO

EX. 1,1-12,36

RAMESSES — MERENPTHAH

Quae hac parte narrantur, historiam Aegyptiorum contingunt. Pharaonem Hebraeorum oppressorem plerique iam pronuntiant exstitisse Ramessen II, qui, si cum *E. Mahler* ortum Sothiacum 20 Iulii 1318 a. C. anno regni eius 30° attribuas, regnabat 1347-1281 a. C. (Zeitschrift für äg. Sprache u. Altertumskunde t. 27 p. 97 sqq.; *H. Brugsch :* Die Aegyptologie, Leipzig 1891, p. 335. 482); Pharaonem exodi eiusdem filium et successorem Merenpthah. Concordat cum Ex. 2,23; 7,7; Act. 7,23 longa regni Ramessis duratio; cum Ex. 1,11 reperta ab *E. Naville* urbs Phithom cum promptuariis utique a Ramesse II constructis. Explicitam exodi narrationem frustra a monumentis aegyptiis requiras, cum non assueverint Pharaones suas clades monumentis celebrare. Sed insignem confirmationem nuper reperit *Flinders Petrie* (Academy 4. April 1896; Contemporary Review, May 1896; cf. Revue biblique 1. Iul. 1896, V. 467 sq. et *W. Spiegelberg* in : Zeitschrift für aeg. Sprache, Berlin 1896, p. 1 sqq.), hymnum in laudem Merenpthah conscriptum. Sc. quinto regni anno terra marique, a septentrione et ab oriente in Aegyptum irrupere nationes variae, imprimis Libyes, quas Merenpthah misso exercitu devicit. Quam victoriam celebrat ille hymnus, eiusque extrema stropha in gentes reliquas effectum breviter describit; inter has autem recensetur etiam *Israilu.*

« Nomadum nullus caput attollit post Libyum cladem. Hethaei pacem servant, pessimi quique terrae Chanaan sunt captivi (?), Ascalonitae abducuntur, incolae Gezer in vinculis rapiuntur, urbs Ianuamim ad nihilum redacta est, Israelitae exstirpati sunt eorumque segetes destructae (?), Charu sicut viduae Aegypti luget, omnes regiones in pace unitae sunt ». Gezer aiunt esse Tell Dschezer prope Ascalonem. Audacius Ianuanim in montana Iudaeae relegant. Charu est tractus ad Mare Mediterraneum proxime adiacens finibus Aegypti : « regio Charu inde a Taru ». Erat autem Taru extrema Aegypti proprie dictae arx, ad orientem Delta, ad meridiem Pelusii (cf. *Müller* p. 149). Ne turberis, quaeso, lector, verbis Israelitas exstirpatos esse. Nam primum, eorum praecise verborum versio est incerta; praeterea hymnodae aegyptii omnia in illustres Pharaonum victorias transformant. Unus alterve mora-

tor Hebraeus in itinere oppressus hymnodae abunde satis erat, quo gentem radicitus exstirpatam caneret. Porro ex ordine recensitarum gentium coniicit *Maspero* (Journal des Débats, 14 juin 1896) designari Israelitas post exodum prope Cades Barnea morantes : Ascalon, Gezer, Ianuamim, Israilu. Sed e iuxtapositis Israilu et Charu aequo iure coniicio, indicari Israelitarum circa desertum Etham castra. Sc. primi producuntur Hethaei ab Aegyptiis ceteris remotiores nulloque ab illis bello tum impetiti (« pacem servant »), dein variae gentes medio inter Aegyptios et Hethaeos itinere incolentes (Chanaan, Ascalon etc.), quarum aliquas urbes Pharao ad obsequium revocaverit, tandem ipsi Aegypti proprie dictae fines a Suez ad Taru (Israilu, Charu). Hymnodae verba, vehementi adhibito euphemismo, possunt ad ipsos eventus Ex. 12-14 referri.

Immerito tandem *Fl. de Moor* (L'histoire primitive d'Israël, in : Revue des questions historiques 1891 II. 358) affirmat secundum Ps. 135 (136), 15 ipsum Pharaonem oppressorem in Mari Rubro esse submersum, dum sepulcrum Merenpthah exstet. Dicit enim Psalmus, Pharaonem et exercitum eius esse *excussum* in Mari Rubro (ita *Vulg.*; item *LXX* ἐκτινάξαντι); idemque piel verbi נער 2 Esdr. 5,13 sic explicatur, ut vestimentum *excussum* fiat *vacuum*. Verum excuti, evacuari minime idem sonat atque submergi vel interimi, sed commode de morali clade accipitur, ut etiam *Syr.* טרף, *percussit*. Pharaonem aquis esse *suffocatum* utique sentiebat *Chald.* שנק, sed perperam, cum immerito supponatur Psalmista novam de facto Ex. 14 pandere revelationem, neque sistere in ib. narratis poetice amplificandis. — Narrationem universim spectatam indoli et moribus Aegypti egregie consonare, iam uno ore concedunt auctores.

A. Praeambulum actorum Moysis Ex. 1 sq.

Cap. 1 sq. rationem habet introductionis pulchreque 2,24 sq. desinit in quintuplex אלהים. *Masor. Sam.* post 1,7. 22; 2,22 orationem distinguunt, itemque *Sam.* post 1,14; 2,10. Reapse oratio in duas trinarum paragraphorum partes dividitur. Pars prior (cap. 1) Hebraeorum oppressionem, pars altera (cap. 2) Moysis initia describit. Partis prioris paragraphus prima 1,1-7 oppressionis causam Hebraeorum incrementa recenset; paragraphus secunda 1,8-14 oppressionis primum gradum, quando ad urbes exstruendas, imo praeterea ad lateres coquendos et agros colendos adigebantur Hebraei, irrito conatu, cum eorum constanter numerus augeretur. Unde mox ulterius progressus oppressor pueros Hebraeorum interimere conatus est, primum per obstetrices et postea lege lata. Quod refert paragraphus tertia 1, 15-22. Partis porro secundae paragraphus prima 2,1-10 Moysen narrat in flumine expositum indidemque ereptum, secunda 2,11-22 ex Aegypto profugum et in Madianitide advenam, dum tertia paragraphus 2,23-25 persecutoris mortem, Hebraeorum miserrimam conditionem, divinum liberandorum decretum attingit.

I. HEBRAEORUM IN AEGYPTO OPPRESSIO Ex. 1.

1. *Hebraeorum incrementa* Ex. 1,1-7.

Arg. — Rursum recensentur filii Iacob, et quidem duodecim; non enim scribuntur Ephraim et Manasse, sed solus v. 5 Ioseph, ideo fortasse, quod illico v. 6 de morte Ioseph, v. 8 de Ioseph a posteriore Pharaone ignorato agatur. Recensitis filiorum nominibus, qui futurarum tribuum essent antecessores, et adscripto v. 5 exiguo eorum omnium, qui una Aegyptum ingrediebantur, numero, enuntiatur v. 7 factum totius huius pericopae princeps Israelitarum in immensum mulplicatorum.

Cap. I v. 1 copula ordiuntur *Hebr. Sam. Chald. Syr. : « Haec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob : singuli cum domibus suis introierunt »*. Contra *Vulg. Syr.* iungunt reliqui : *cum Iacob singuli domusque eorum iverunt. Filii Israel* iam evasit nomen *gentis,* unde ne mireris, in eodem versu *patriarcham* mox designari nomine *Iacob,* quo perspicias agi non de eadem gente, sed de individuo homine. *Domum* feliciter *Chald.* explicat *viros domus,* seu potius homines : etiam servos et ancillas, non tamen pecora et supellectilem (*Tost., Bonfr.*), quae ea voce minime includuntur, licet utique in Aegyptum fuerint inducta. v. 2 « *Ruben, Simeon, Levi, Iudas,* » v. 3 « *Issachar, Zabulon et Beniamin* », v. 4 « *Dan et Nephthali, Gad et Aser* ». v. 5 « *Erant igitur omnes animae eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta* » — *LXX* hic, uti Gen. 46,27, *septuaginta quinque :* cf. quae dicebamus ibi. « *Ioseph autem* », qui hoc numero septuagenario includitur, » *in Aegypto erat* », non cum Iacob ingressus est, sed ante illum.

Nominum series, uti Gen. 35,23-26, primos enumerat uxorum, postea ancillarum filios; unum est illudque leve discrimen, Ioseph ibi cum Beniamin recenseri, hic ad calcem adscribi. E contra Gen. 46,8 sqq. primi recensentur Liae et ancillae Zelphae, posteriores Rachelis et ancillae Balae filii. Tamen h. l. numerus 70 (75) omnino ad Gen. 46 nos revocat. Ergo utrumque elenchum Gen. 35 et 46 noster auctor norat, alterum compendio repetit. Cur repetat, rationem assignat *Kn.* elohistae verbosum dicendi genus. Dicas novum ordiri narrationis caput, in qua duodecim tribus constanter nominentur; imo novum librum. Quodsi enim continuam cum libro Genesis narrationem auctor sacer producere volebat, inscribere hanc pericopen debebat « Hae sunt generationes filiorum Israel ». Cur vero numeri 70 rursum habetur mentio ? Quo et impleri iam coepta exhibeatur Dei de multiplicando patriarcharum semine promissio, et incrementum v. 7 clarius celebretur a tam exiguis initiis profectum (*Sylv.*).

v. 6 « *Quo mortuo et universis fratribus ejus omnique cognatione*

illa », seu potius *generatione* (cf. Iud. 2,10), v. 7 « *filii Israel creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram* » Gessen. Cumulatis expressionibus praeoccupat quasi s. auctor recentiorum de numero Israelitarum Aegypto egredientium cavillos (*H. A. Harper :* The Bible and modern discoveries, London 1890 p. 77). Cum *Hebr.* versum 6 versui 7 non subordinet sed coordinet, incrementum v. 7 non obtinuit tantum post, sed imprimis ante exstinctam illam generationem. Cf. Gen. 4,27 (*Sylv.*).

2. *Hebraeorum oppressio* Ex. 1,8-22.

a. Primus gradus : angariae Ex. 1,8-14.

Arg. — Hebraei a regibus Pastoribus benigne habiti vitaque pastorum viventes, cum numeris ac robore crevissent et extremam Aegypti provinciam Asiam versus obtinerent, novo regi Pastorum inimico invidiam movere. Ne igitur Pastoribus forte redituris socios se iungerent, eorum permultos a gregibus suis (cf. 9,4) abstractos ad angariam adegit primum duarum urbium exstruendarum, dein laterum etiam coquendorum agrorumque irrigandorum. Quo et laboribus opprimerentur, et ad generandum essent ineptiores, et ab invicem separarentur, ne unus essent populus.

v. 8 « *Surrexit* [*interea*] *rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph* ». Rex *novus* non est mere rex *alius* (*LXX*), sed rex « ex alia familia » (*Ios.*), ex alia dynastia (*Tost.*). Non dicitur immediate successisse ei, qui Iosephum exaltaverat; imo neque dicitur e nova dynastia exstitisse primus. Sacer textus eos duos pharaones novit solos, qui gentis electae fatis admiscebantur, reliquos ignorat : illorum alter priori comparatus exstitit *novus*. Porro cum e monumentis cum auctoribus antiquis collatis sciamus, Hebraeos sub regibus Pastoribus Aegyptum esse ingressos, sub dynastia Thebaea egressos, regem hunc novum non immerito Thebaeis accensebimus. Is non *norat* Ioseph : nomen fortasse et acta audierat; sed uti Pharaonem, cui Ioseph servierat, usurpatorem reputabat ideoque sine dubio ejus nomen et imagines e monumentis delebat, ita principem eius ministrum Ioseph ignorabat, leges ab illo latas repudiabat (*Chald.*), ejus contribules aversabatur. v. 9. « *Et ait ad populum suum : Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est* ». Vox *nobis* iungatur cum *fortior;* non necessario item cum *multus*. Verba per hyperbolen dicta putat *Calm.; Dillm.* illud *nobis* intelligit non ut sonet « quam nos », sed « pro nobis » : fortior est, quam nos prudenter ferre possumus. Optime *Ebers,* Gosen

p. 74 Pharaonem ait loqui non de tota Aegypto, sed de sola regione Gessen, in qua reapse Hebraei numeris praevaluerint. v. 10 « *Venite, sapienter opprimamus eum* », *Hebr. astutos nos exhibeamus quoad eum,* « *ne forte multiplicetur et, si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra* ». Non sequitur Pharaonem novisse Ioseph vaticinium, Hebraeos quondam Aegypto esse egressuros (*Bonfr.*), sed reges Aegypti nitebantur advenas in Aegypto retinere ad servitium, et transfugas reducere.

v. 11 « *Praeposuit itaque eis magistros operum* », seu *angariae*, מיכים, pro quo *Sam.* מישים; vertuntque *Chald. Syr.*, nescio cur, מיש *malus*, — « *ut affligerent eos oneribus* ». « Quibus non tam utilitatem propriam intendebat rex, quam filiorum Israel debilitationem, ut cum essent laboribus fatigati, non liberet eis generationi vacare sicque desinerent crescere » (*Sylv.*) Cf. v. 12. — « *Aedificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Ramesses* ». Pi Tum seu Ha Tum, quod nomen sonat « habitaculum Dei Tum », caput erat provinciae Thuku vel Thaket i. e. Socoth (Ex. 12,37); demonstravitque *E. Naville* (The store-city of Pithom and the route of the Exodus, London 1885) fuisse eo loco, ubi Romanorum tempore Heroopolis seu Ero Castra, nunc Tell el Maskhutah, inter Tell el Kebir et lacum Timsah. Cum in monumentis ib. praeter nomen Ramessis II insculptum reperiatur nomen regium nullum, hinc plurimum confirmatur opinio communis oppressorem Hebraeorum exstitisse Ramessen II. *Ramesses* urbs Ex. 1,11 erat fortasse in pago Ramesses, qui Gen. 47,6.11 videtur fuisse pars terrae Gessen, eratque statio a pago Socoth (Ex. 12,37) diversa atque in interiore regionis parte sita. Is autem pagus Ramesses, unde profecti sunt Hebraei, e tota plagarum aegyptiarum narratione colligitur non ita longe abfuisse a Pharaonis Ramessis II sede. Is plurimum morabatur in Tani seu Zoan, eam urbem plurimis aedificiis ornavit et amplificavit, ut urbis etiam nomen aliquod esset Pa Ramesses, i. e. Ramessis urbs (*Ebers* l. c. p. 500). Cumque tandem Ps. 77 (78), 12.43 affirmentur Moysis portenta effecta esse « in campo Taneos », reapse veri simillimum est Ramessen Ex. 1,11 eandem esse atque Tanin. Pharao primum Hebraeis in urbe Phithom exstruenda usus, postea eosdem urbi regni capiti amplificandae adhibuit. Cf. *Ps. Ion.* « Tanis et Pelusium » (!) et, quoad aliorum placita *Dillm.*, *Ebers*.

ערי מסכנות iam explanabat *Chald. promptuaria*, eadem voce atque Gen. 41,56 usus; et cf. 3 Reg. 9,19; 2 Par. 8,4; 16,4; 17, 12; 32,28. Nomen coniiciunt aegyptiaci cuiusdam nominis esse affine : *Ebers* p. 521 sq. — Videtur ipsa illa aedificia in Tell el Maskhutah *Naville* reperisse, ita solida ut etiam expressioni LXX πόλεις ὀχυρὰς omnino satisfaciant : sunt ea magno ambitu aedificia, muros habentia laterum coctorum

tenuibus arenati stratis ligatorum, latitudinis 1·8-2·7 m., eximia cura constructos. Quibus concluduntur camerae plures quadratae, ab invicem separatae, quae non alii usui videntur inserviisse, quam ut essent promptuaria, quibus reconderetur frumentum pro exercitibus desertum traiecturis, pro « caravanis » et viatoribus Syriam petentibus.

v. 12 « *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant* ». Duritiae effectus providente Deo exstitit omnino contrarius eius, quem Aegyptii intendebant. v. 13 « *Oderantque filios Israel Aegyptii* ». *Hebr. : frangebantur* animis *a facie filiorum Israel.* Quinam potissimum affectus ea animorum confractione exprimitur? *Vulg.* idem verbum Num. 22,3 vertit « pertimuissent », Is. 7,16 « detestaris ». *LXX Aq.* « taedium » exprimunt, *Chald. Syr.* « angustias »; qui omnes affectus « fracto » animo congruunt, non item « odium ». Qui modo putaverant Hebraeos callide opprimi posse, Aegyptii iam « livore et dolore afficiebantur » (*Calm.*), sacro veluti horrore numinis cuiusdam Hebraeis faventis. « *Et affligebant illudentes eis* ». *Hebr. et servire faciebant* בפרך, i. e. *dure* (*Chald. Syr.*), durius quam ante. Proximus divinae protectionis effectus fuere horror ille saeviorque oppressio. v. 14 « *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris* », — sat pulchram alliterationem habet *Vulg.;* argilla (*Hebr.*) lateribus conficiendis insumebatur — « *omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur* ». Sed *Hebr. : in operibus gravibus in argilla et lateribus, et in omnibus operibus in agris* (cf. Deut. 11,10), erat autem agrorum in Aegypto irrigatio labor gravissimus (*Kn.*); *cum* (*Malv., Calm.*) *omnibus operibus eorum* seu *praeter* (*Field*) *omnia opera eorum, quae faciebant per eos dure.* Ultima vox eadem est atque extrema v. 13 vox et ad idem angariae genus refertur, aedificationem sc. promptuariorum. Cum in hac Hebraeorum numeros usque augeri viderent Aegyptii, duplicem aliam angariam addidere laterum faciendorum et agrorum curandorum. Quodsi ita interpreteris particulam את, plana habetur constructio, neque ulla manet ratio supremi incisi diverso auctori assignandi. Eiusmodi porro angariae in monumentis Aegyptiorum identidem depictae conspiciuntur. Cf. etiam *Ios.*

b. Secundus gradus : pueri interempti Ex. 1,15-22.

Arg. — E contextu colligitur, non obstantibus tam gravibus angariis Hebraeorum numeros crevisse; quare novum opprimendorum consilium iniit impius rex. Primum obstetricibus persuadere conatus est, ut pueros Hebraeorum in ipsa nativitate interimerent; dein publica lege lata eosdem aquis suffocari praecepit. Cum tot alloquiis Dei po-

pulum suum iamiam defensuri conferre liceat triplex persecutoris alloquium v. 9. 15. 22.

v. 15 « *Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebraeorum* », seu accuratius *Hebraearum*, secundum *Masor.* autem *hebraeis* : expressio anceps, quae vel eas designat obstetrices, quae Hebraeas in partu iuvabant, licet ipsae Hebraeae fortasse non essent, vel obstetrices Hebraeas, quae utique Hebraeas potissimum aut unice iuvabant. « *Quarum una vocabatur Sephora, altera Phua* ».

Nomina secus non recurrunt in scriptura; non sunt necessario hebraea, sed fortasse aegyptia origine, et in Hebraeorum oribus in formam quasi hebraeam redacta. Ex quibus, cuius nationis eae mulieres fuerint, haud edocemur. *Vig.*, Bible II. 234 in comparationem adducit nomina aegyptiaca Schepmau et Pue: Hebraeas putabat *Aug.* (Contra mendacium cap. 17; *M.* 11. 541); rationemque suggerit *Malv.* aegyptiis non fuisse usuras mulieres hebraeas. Sed verius aegyptias pronuntiant *Ios.*, *Men.* aliique : cf. earum v. 19 verba. Cur *duas* tantum iubet rex? Has obstetricum quodammodo principes fuisse, aliqui tenent, monente tamen *Cai.* : « Non solita est inter obstetrices praesidentia ». Duae utique obstetrices tot Hebraearum partibus haud erant pares. Haec narratio sane ab ipso Moyse tradi coepta est; ipse narrabat quae matrem narrantem audierat; haec non omnes obstetrices notas habuit, sed duarum tradidit nomina. Alias etiam fortasse allocutus est rex. Neque necessarium est supponere eum multas tentasse : cum paucarum experimento comperit, se per obstetrices rem tuto perficere non posse, decrevit universali lata lege intenta exsequi. Narratio sua se simplicitate commendat.

v. 16 « *Praecipiens eis : Quando obstetricabitis Hebraeas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si femina, reservate* ».

Illud וראיתן על האבנים versiones euphemistice reddunt. Quid praecise nomen sonet ignorari perspicies, si legeris quae *Dillm.* habet. Unum audi *Sylv.* : « Pro quibus in Hebraeo est : et videbitis super sellas (?); hoc est, in vulva seu in ostiis vulvae, quae pueri sedes est. Non erat Pharaonis intentio, ut proles aliquanto tempore servaretur viva et postea interficeretur; sed callida obstetricum vafritie volebat in ipso partus momento necari; et quidem ita latenter, ut vel casu vel ex partus difficultate putarent accidere, et non per industriam fieri ». — Notat *Harper* l. c. p. 91 sq., haud raro ab ipsis earum regionum nomadibus interfici *filias* recens natas : Pharaonis itaque ars atrox quidem erat, sed non inaudita. Reservabat ipse filias futuras ancillas et stirpis non hebraeae matres.

v. 17 « *Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares* ». v. 18 « *Quibus ad se accersitis rex ait : Quidnam est hoc, quod facere voluistis, ut pueros servaretis?* » v. 19 « *Quae responderunt : Non sunt Hebraeae sicut Aegyptiae mulieres; ipsae enim obstetricandi habent scientiam* », — ita etiam *Symm.*, eodemque recidit *Chald.* et *Ps. Ion.* חכימן = *gallice*

« sages femmes ». Sed חיות est vivus, vivax, *vegetus* : *Ps. Ion.* זריזן, aliqua versio graeca apud Field ὑγιαίνουσιν, concordantque *Aq.* τοκάδες et *Theod.* ζωογονοῦσιν, quae voces eas videntur designare mulieres, quae ipsae nulla adiuvante partus edant — « *et, priusquam veniamus ad eas, pariunt* ». Veritatem exaggeravere obstetrices, non omnia sunt ementitae. Mulieres in oriente, imprimis Arabes, saepe nulla adiuvante facillime pariunt. *Cf. Calm.* et *Kn.* Obstetrices non esse locutas veri absimilia inde quoque inferas, quod rex eis « crediderit » (*Tost.*) neque poenam inflixerit. v. 20 « *Bene ergo fecit Deus obstetricibus; et crevit populus confortatusque est nimis* ». Nondum aperte Pharao vitas Hebraeorum attentaverat, tamen omnes eius fraudes effectu misere caruerunt. v. 21 « *Et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos* », i. e. amplam eis concessit posteritatem : hic enim expressionis sensus est, cf. Deut. 25,9; Ruth. 4,11 etc. Versus utique distinctius enuntiat illud, quod prior v. 20 pars affirmaverat : non ideo necessario alius affirmandus scriptor. Potuit illud sapienter iterari, quod in historia populi electi summi erat momenti : eos, qui Hebraeos contra oppressores iuvarent, nullum incurrere damnum, sed a Deo protegi et praemia ferre. Potuit in quibusdam manuscriptis sententia obliterari, ut iam solus sensus, non verba discernerentur; dein ex aliis manuscriptis sententia integra transcribi, ut iam utramque lectionem uterque textus obtinuerit. Neoterici unicam norunt omnium criticarum difficultatum solutionem diversos auctores, forficem et gluten. Adverte v. 21 intime connecti cum v. 17. v. 22 « *Praecepit ergo Pharao omni populo suo* », tam Aegyptiis, qui potissimo nomine *sui* essent, quam Hebraeis, uti colligitur 2,3, « *dicens : Quidquid masculini sexus natum fuerit* » *Hebraeis* (*Sam. LXX Chald.*), « *in flumen proiicite; quidquid feminini, reservate* ». « Cernens se prioribus dolis ad Hebraeorum extinctionem non proficere, ad apertam et publicam infantum necem gradum facit » (*Sylv.*).

v. 21 להם formae masculinae ad obstetrices utique refertur; narratio genus exprimit liberius, quod fit etiam secus. *LXX* ἐποίησαν ἑαυταῖς; e contra *Aq. Symm.* ἐποίησεν αὐταῖς ; contextus omnino suggerit referri, non quod obstetrices fecerint pro se, sed quod Deus fecerit pro obstetricibus.

II. VITAE MOYSIS INITIA Ex. 2.

1. *Moyses ex aquis salvatus* Ex. 2,1-10.

Arg. — Moyses Pharaonis edicto aquis permissus a Pharaonis filia adoptatur, a propria matre enutritur, imago factus futurae sortis populi electi.

Cap. II v. 1 « *Egressus est* [*post haec*] *vir de domo Levi, et accepit uxorem stirpis suae* »; sed *Hebr. : filiam Levi.* Vir, cuius nomen non traditur, accepit uxorem vere Hebraeam, e Levi oriundam.

« Vox וילך specie tenus otiosa consuevit adscribi narrandis maioris momenti gestis, habetque sensum suscipiendae vel aggrediendae rei : cf. Gen. 35,22; Deut. 31,1; Ios. 23,16 » (*Kn.*). — In ויקח את בת לוי deprehendebat *Ps. Ion.* nomen proprium mulieris *Bath Levi.* Ubi duo erunt supponenda : primum, excidisse ex hoc textu nomen *patris* Moysis, nam auctor utique non solum *matris* nomen scribebat; alterum, nomen matris e Bath Levi postmodum mutatum esse in Iochabed (6,20). Igitur *Vulg.* post *LXX* intellexit nomen appellativum, quod vertendum est non *de filiabus Levi* (*LXX*), non « filiam levitae cuiusdam », quod esset בת איש לוי, sed *filiam Levi*, e Levi sive mediate sive immediate progenitam. Praefigitur את (si tamen ea vox genuina sit), notam illam filiam Levi designans, notam sc. ob datum Hebraeis magnum legislatorem. — *Vir de domo Levi* non est idem atque *filius Levi*, cum *domus* (cf. 1,1) etiam servos etc. complecteretur. Porro illustrium inter Hebraeos virorum genus celebrari consuevit. Natales tum tantum tacentur, quando in parentibus aliquid inest, quod filius merito erubescat. Ita Lev. 24,11 reticetur nomen Israelitae blasphemi et patris eius Aegyptii; Iud. 11,1 reticetur nomen matris Iephte meretricis; Saulis natales 1 Reg. 9,1 usque ad Beniaminitam quemdam anonymum revocantur, qui videtur superfuisse exitiali tribus cladi Iud. 20. Ergo sat facilis sensus verborum Ex. 2,1 est, natum esse Moysen patre, qui Ex. 2,2 sq. accenseretur quidem Hebraeis, esset de domo cuiusdam viri levitae, sed hebraeus origine non esset, sed adoptione tantum.

Quem verborum Ex. 2,1 sensum confirmare videtur *Manetho* (Ios. c. Apion. I. 26) Moysi tribuens originem aegyptiam e sacerdotibus Heliopoleos, cuius nomen primum fuerit Osarsiph, i. e. Osarsupi = « pertinens ad Osarsup », nomen Osiridis Heliopolitani (*Ebers*, Gosen p. 548).

Confirmare eundem videtur genealogia Moysis Ex. 6,13-28 duplici sutura inepte inserta (cf. ib.). Notandum porro, Iosue etiam et Hur natales primum taceri (Ex. 17,9 sq.). An igitur hi quoque viri eorumve patres Hebraei exstitere non origine, sed adoptione? An Hebraeorum liberationem effecere potissimum viri aliqui origine non Hebraei? Tamen talia quaerentibus alia quaestio opponi potest : Putatisne, plura illa centena hominum millia, qui cum Moyse ex Aegypto egressi sunt, omnes e lumbis Abrahae naturali generatione prodiisse?

Illud « vulgus promiscuum plurimum » (12,38), quod Israelitis Aegypto excedentibus iunctum est, non neglexit sane Moysis monitum 12,48, ut suscepta circumcisione aequalia cum Israelitis iura nancisceretur. Circumcisione effecti sunt » filii Israel » et « semen Abrahae ». Sed filii Israel omnes alicui e tredecim tribubus accensebantur : efficiebantur ergo illi circumcisione « filii Levi » vel « filii Ephraim » vel alius cuiusdam tribus filii. Verum Israelita quisque non ad tribum solummodo aliquam pertinebat, sed ad aliquam eius tribus cognationem Num. 1,2. Ergo, qui suscepta circumcisione accensebatur v. g. tribui Levi, ille idem accensebatur « filiis

Caath » vel « filiis Gersam » vel « filiis Merari ». Ergo difficultas non est in eo, quod Ex. 6.18 et 1 Par. 6,2 et 23,13 Amram dicatur « filius Caath ». Et si in genealogia servatoris Luc. 3,23. 27 recensentur Heli et Neri, qui exstitere patres legales titulo leviratus, non est cur in genealogia Moysis non agnoscatur Caath fuisse pater Amram titulo legalis adoptionis. Adoptionis autem voce utimur quoad eos solos, qui circumcisione suscepta ad sacra Hebraeorum accedebant : inter ipsos quippe Hebraeos, quantum novimus, adoptioni locus non erat.

In religione Hebraeorum, quae omnino innitebatur genealogia, simul tamen admittebat proselytas iustitiae, debebat haberi ratio, qua proselyta intra genealogiam reciperetur. Eius plurimus debuit esse usus aevo mosaico, dum aevo iudicum res in desuetudinem fere abiisse videtur, Christique tempore Pharisaei ab Hebraeis hellenistis de ratione agendi cum proselytis dissentiebant. Qui autem non ita diu ante Moysen vixerant Iacob patriarcha eiusque filii, Gen. 34,16 fatebantur, suscepta circumcisione potuisse Salemitas universos cum stirpe electa fieri « unus populus ». Ne mireris antiquos illos Hebraeos « semen Abrahae » intellexisse sensu minus carnali, generosiore, imo veriore, quam posteriores rabbinos.

Ceterum, cum « vir de domo Levi » possit tandem etiam filium a Levi progenitum designare, et textus Ex. 2,1 fortasse aliquam corruptionem expertus sit, neque eam a limine sententiam repudiamus, quae Amram a Caath prognatum esse defendit.

v. 2 « *Quae concepit et peperit filium* ». Eadem verba leguntur Gen. 4,1. 17; 38,2 sq.; Os. 1,3, ubi tamen agi de *primogenitis* non solis illis verbis efficitur, sed contextu. Contextus h. l. efficit Moysen non fuisse matris primum partum; aderat certe v. 4 soror natu maior, quam aliam fuisse atque Mariam nulla est ratio defendendi; erat Aaron natu maior, neque est ratio sufficiens affirmandi eum aut Mariam alia esse natum matre. « *Et videns eum elegantem* », tanto minus animum inducere potuit mater, ut eum permitteret interimi, sed « *abscondit tribus mensibus* », divini auxilii fide reprimens timorem tyranni (Hebr. 11,23). « Sed quis nesciat facilius quempiam abscondi exiguo tempore quam longo »! (*Sylv.*). v. 3 « *Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam* », canistrum e papyro, « *et linivit eam bitumine* » (cf. Gen. 11,3; 14,10) » *ac pice, posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto* », in iuncis, « *ripae fluminis* », v. 4 « *stante procul sorore eius et considerante eventum rei* ».

גבא, *aeg.* קבא (*Erman* in : Zeitschrift der Deutsch-Morgenländischen Gesellschaft, 1892 p. 120), *kopt.* gome : Cyperus papyrus L. Cf. *Knabenbauer* in Iob 8,11. Vide, quae habet *Erman* (Aegypten p. 635 sqq.) de scaphis e colligatis papyri calamis confectis, quibus, quod ita leves essent, Aegyptii potissimum in aquis tenuibus utebantur. Etiam canistra e papyro conficiebantur, ib. p. 594. Coniicit *Ebers* p. 82 haec facta esse, non prope Memphim, ubi rapidiores undae mox canistrum e conspectu sororis removissent, sed prope Tanin vel Ramessen, quo saepe concedebat Ramesses II fluebantque aquae lentiores, ut facile canistrum intra iuncos haerere potuerit.

v. 5 « *Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine* », in loco aliquo secretiore inter opaca iuncorum (*Sylv.*). Nomen *Ios.* tradit fuisse Thermuthis, *Eusebius* (Praep. evang. IX. 27; *M.* 21. 729 sq.) Merris, censetque *Ebers* p. 525, utrumque nomen revocari posse ad Mer-en-mut. « dilecta a dea Mut », quod est nomen uxoris cuiusdam regis Ramessis II. At, inquies, quaeritur filia Pharaonis, non uxor. Omnino, sed intelligi potest filia Pharaonis Seti I, patris Ramessis II : reges Aegypti saepe uxores ducebant suas ipsorum sorores. Ceterum, an e fide digna traditione nomen fluxerit, quod habet Ios., non liquet. « *Et puellae eius gradiebantur per crepidinem alvei* », secus ripam fluminis. « *Quae cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis* », non : « extendit manum suam » (*Ps. Ion.*). אמה est « cubitus » pro mensura acceptus, deberetque scribi ידה. « *Et allatam* » v. 6 « *aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta eius ait : De infantibus Hebraeorum est hic* », agnoscens eum non e circumcisione (*Theodoret.*), quam etiam Aegyptii observabant, sed e facto, quod in flumine esset expositus. v. 7 « *Cui soror pueri : Vis, inquit, ut vadam et vocem tibi mulierem Hebraeam, quae nutrire possit infantulum?* » Monet *Tost.*, ex hoc agendi modo colligi fuisse Mariam multo maiorem natu Moyse, quindecim vel pluribus annis; item Aarone qui ex 7,7 nonnisi tribus ante fratrem annis erat natus. Vocanda autem fuit Hebraea, quod Aegyptia nunquam id muneris suscepisset : cf. Gen. 43,32. v. 8 « *Respondit : Vade. Perrexit puella et vocavit matrem suam* », reliqui *pueri*. v. 9 « *Ad quam locuta filia Pharaonis : Accipe, ait, puerum istum et nutri mihi; ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier et nutrivit puerum, adultumque tradidit filiae Pharaonis* ». v. 10 « *Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen eius Moyses dicens : Quia de aqua tuli eum* ».

Explanatio recurrit ad משה, *extrahere* : sed « extractus » esset מישוי. Explanatio uti aliae plures, maxime in Genesi, est mnemoneutica, non etymologica; nomen in memoriam revocet servatae vitae rationem. Nomen sine dubio filia Pharaonis petebat e lingua aegyptiaca, quare tempore *LXX* vigebat explanatio aliqua ex ea lingua deprompta, cui ipsi nominis scriptionem graecam Μωϋσῆς adaptarunt : « Aquam Aegyptii vocant μῶ, σῆς eos qui ex aqua salvantur » (*Ios.*). Quam explanationem *Iablonski* (Opuscula I. p. 152 sqq.) revocavit ad *kopt. mo* = aqua, *ugai* = servari. Verum secundum indolem linguae aeg. hae radices deberent inverso ordine componi : *udscha(n)-mou*. Quare iam recentiores (*R. Lepsius* : Chronologie I. 327; *Ebers* p. 525; etc.) nomen משה declarant idem esse cum voce aeg. *mes*, *mesu* i. e. natus; quam *Brugsch* (Woerterbuch p. 698) censet derivari a radice significationis *extrahendi*, sc. ab utero, ut explicatio Ex. 2,10 sit simul in lingua aeg. et etymologica et mnemoneutica. Sed hoc incertum. Nomen *Mes* in monumentis haud infrequens. Notandus imprimis gubernator Aethiopiae *Messi* tempore Ramessis II eiusque successoris; dein nomina composita *Totmes*, *Aahmes*, *Ramessu* et alia. Potuit igitur puero a filia Pharaonis

imponi nomen *mes* addito nomine alicuius numinis aegyptiaci, quod alterum Moses postmodum tamquam idololatriam sapiens renuntiaverit: potuit imponi simplex nomen *mes*. Cf. *Ebers*, *Dillm.*, *Vig.* Haud dubium est parentes puero, antequam in flumen demitteretur, probabilius in circumcisione eius, aliquod imposuisse nomen : an illud revera fuerit Ioachim (*Clem. Alex.* Strom. I. 23; *M.* 8. 897), definiri haud potest. Eiusmodi sc. hebraea traditio tenuem habet auctoritatem. Alia de Moyse apud Hebraeos tradebantur Act. 7,22 : « Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis »; et plura narrat *Ios.* de Moyse Aegyptiorum exercitum ducente contra Aethiopes, sed an vera omnia, quis definiat?

2. *Moyses advena in Madianitide* Ex. 2,11-22.

Arg. — Moyses fratribus opem ferre studens, sed omni tam apud ipsos quam apud Pharaonem destitutus auctoritate, fugere compellitur in Sinaitiden (cf. cap. 18), ibidem uxorem nanciscitur et filium. Ita et regioni illi assuefit et fata populi adumbrat in eodem deserto laeta incrementa accepturi.

v. 11 « *In diebus illis, postquam creverat Moyses* », « cum impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, ut visitaret fratres suos, filios Israel » (Act. 7,23), de quibus fortasse antea fuerat parum sollicitus, et « *egressus est ad fratres suos* »; exivit de civitate regia et palatio, ubi habitabat, in locum, ubi Hebraei angariae insudabant (*Tost.*). Audacius putat *Sylv.*, eum antea iam ad fratres exire consuevisse : id certe demonstrari nequit et, si aspectui eorum afflictionis assuetus erat, non ita facile in caedem istius Aegyptii abripiebatur. Potuit fieri, ut tot annis fratres neglexerit. « *Viditque afflictionem eorum, et virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebraeis fratribus suis* », — addunt *LXX Syr. filiis Israel.* Quaerit *Cai.*, fueritne percussio gravis an levis; v. 12 idem verbum certe mortiferam percussionem denotat. Quodsi Aegyptius reapse Hebraeo mortem minabatur, iuste Moyses fratrem defendit interfecto etiam aggressore. Certe factum laudatur Act. 7,24 sq. : « Et cum vidisset quemdam iniuriam patientem, vindicavit illum et fecit ultionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt ». v. 12 « *Cumque circumspexisset huc illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo* ». v. 13 « *Et egressus die altero* », « sequenti die » (Act. 7,26), « *conspexit duos Hebraeos rixantes; dixitque ei, qui faciebat iniuriam : Quare percutis proximum tuum?* » « Ille, qui iniuriam patiebatur, videns pro se bene sententiari non reclamavit; alius autem iudicem recusavit » (*Tost.*). Sapienter autem providit Deus ut, qui postea Pharaonem et Hebraeos auctoritate a Deo

accepta esset audacter increpaturus, experientia doceretur, quam parum sine auctoritate proficiat bona voluntas. v. 14 « *Qui respondit : Quis te constituit principem et iudicem super nos? Num occidere me tuvis, sicut heri* » — אמיש praecedenti אמר persimile omisere *Hebr. Sam. Chald.* — « *occidisti Aegyptium? Timuit Moyses et ait : Quomodo palam factum est verbum istud?* » v. 15 « *Audiritque Pharao sermonem hunc, et quaerebat occidere Moysen* », non ob meram Aegyptii minus nobilis necem, sed quod audiret eum exire ad exosos invisendos Hebraeos, eorum defensionem contra Aegyptios suscipere, et quod ab aulicis Moysi invidentibus incitaretur (*Sylv., Tost.*). « *Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian* ». Cf. Gen, 25,2. Madianitae hi secundum 3,1 haud procul monte Horeb versabantur.

Ibi Moyses tutus erat, quod paeninsula Sinaitica non esset sub ditione regum Aegyptiorum. Inde ab exeunte tertia dynastia obtinuerant utique Pharaones ibidem fodinas gemmarum et aeris, quarum vestigia exstant, quasque praesidiis munierant : sed earum regnante Ramesse II ultima habetur mentio, videnturque tum ab Aegyptiis esse desertae. *Ebers* p. 136 sqq. Certe Pharaonis auctoritas non extendebatur ultra illas fodinas ad interiora paeninsulae.

Quae modo generali omnino expressione innuebatur « mora in Madian », ea iam accuratius describitur, narrato Moysis apud Raguel adventu et nuptiis. « *Et* », *cum venit in terram Madian* (*LXX*), « *sedit iuxta puteum* ». v. 16 « *Erant autem sacerdoti Madian* », de cuius nomine vide v. 18, « *septem filiae, quae venerunt ad hauriendam aquam et, impletis canalibus* » (cf. Gen. 30,38. 41), « *adaquare cupiebant greges patris sui* ». Virum *Chald.* facit *principem,* respuens sacerdotium non israeliticum. Sed non est ratio, cur is non potuerit aequo iure, atque Melchisedech, sacerdos esse veri Dei; 18,12 certe offert sacrificium. Historiam, quae iam narretur, censet *Dillm.* alterius Gen. 29 esse perquam similem. Omnino ita est. Sed adverte, uti medio aevo saepe numero nobili equiti defendenda fuit virgo oppressa, ita patriarcharum aevo viris cordatis non ita raro iuvandas fuisse puellas prope puteos. v. 17 « *Supervenere pastores et eiecerunt eas; surrexitque Moyses et, defensis puellis, adaquavit oves earum* ». v. 18 « *Quae cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas : Cur velocius venistis solito?* »

De nomine patris puellarum habetur difficultas. Sensus obvius narrationis v. 16-21 is est, ***Raguelem*** exstitisse puellarum patrem, non avum. Quo nomine (cf. Gen. 36,4. 10; 1 Par. 9,8) vir item appellatur Num. 10,29 : « Hobab, filius Raguel Madianitae, cognatus Moysis ». Unde colligas, alium esse Hobab a Raguele. Hobab Iud. 4,11 rursum dicitur « cognatus Moysis »; quo doceris, vocem חתן non solum socerum designare, sed uti vocem אח latius accipi. Hobab nunquam dicitur « sacerdos Madian ». Sed adest *Iethro* Ex. 3,1; 4,18 sq.; 18,1 sqq., qui dicitur « sacerdos Madian » et « cognatus Moysis » ita, ut secundum sensum obvium Moysis revera socer

fuisse videatur. Notandum hic additamentum LXX ad v. 16 *pascentes oves patris sui Iethro*. Quod videtur in textum LXX irrepsisse, quo tempore iam v. 18 Raguel et 3,1 Iethro habebat. Habet illud non sufficientem contra textus reliquos omnes auctoritatem; multo vero minus ex solitaria Vaticani αὐτοῦ (contra αὐτῶν) lectione inferre fas est, fuisse Raguelem patrem Iethro. Ad nominis formas quod attinet, Ex. 4,18 legitur יתר, 3,1 et 18,1 sqq. יתרו; 3 Reg. 2,5. 32 et 1 Par. 2,17 Amasae pater vocatur יתר, sed idem 2 Reg. 17,25 יתרא; et, qui 1 Par. 7,37 vocabatur יתרן, idem sequenti versu videtur scribi יתר. *Syr.* socerum Moysis scribit יתרון. Igitur *Ios.* declarabat iam, illum Moysis socerum fuisse binomium; quod si concesseris, debebis tamen fere concedere Ex. 2,18 et 3,1 esse diversorum scriptorum, cum idem scriptor, tam parvo interiecto intervallo, vix credi possit nulla addita explicatione eundem virum appellasse modo Raguelem, modo Iethro. Aliam solutionem videtur suggerere Iosephus. Is virum semper appellat Raguelem (cf. Ant. II. 13. 1; III. 3; III. 4); at II. 12. 1 eundem etiam cognomen habuisse Ἰεθεγλαῖος. Videtur Ios. esse suspicatus nomen primitus fuisse יתרעואל vel eiusmodi quid, ac postmodum scribarum incuria factum esse, ut in quisbusdam textibus sola nominis pars posterior רעואל, in plerisque sola pars anterior יתר superfuerit. Liceat aliam proferre solutionem. Sicut rex Aegypti praeter nomen proprium, quod quidem Gen. et Ex. reticet, habebat nomen officii *pharao* (sine articulo), ita « sacerdos Madian » apud Madianitas item habebat nomen officii *raguel*, i. e. amicus Dei. Hoc nomen officii seu honoris habetur Ex. 2,18 et Num. 10,29.

v. 19 « *Responderunt : Vir Aegyptius liberavit nos de manu pastorum, insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus* ». v. 20 « *At ille : Ubi est? inquit. Quare dimisistis hominem? Vocate eum, ut comedat panem* », seu cibum. v. 21 « *Iuravit ergo Moyses, quod habitaret cum eo* ». Item *Symm.*, secutus traditionem aliquam rabbinicam : sed יאל non est iurare, sed *incipere* (*Theod.*), *velle* (*Chald. Syr.*) : ergo Moyses petenti, ut apud se maneret, annuit; ille virum robustum, omnium artium Aegyptiorum, etiam artis militaris gnarum sibi devincire studebat. « *Accepitque Sephoram filiam eius uxorem* ». v. 22 « *Quae peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens : Advena fui in terra aliena* ». גר advena, שם ibi. Explicatio certe non est etymologica, sed mnemoneutica. Si nomen a radice גרש derivetur, habebitur significatio *exsul*, quo nomine Moyses pulchre exprimebat suae gentis desiderium eiusque repetendae voluntatem. ויקרא formae masc., licet secus etiam de muliere praedicetur, recte tamen *LXX* h. l. ad Moysen retulerunt : non enim Sephora advena erat, sed Moyses. Monet *Sylv.*, haec non illico facta esse, cum Moyse in Aegyptum revertente 4,20 sqq. Gersam adhuc fuerit parvulus. Aut Moyses plures apud Iethro annos servivit, donec filiam accepit uxorem; aut haec nonnisi elapsis pluribus coniugii annis Gersam genuit. Sequentem versus partem soli habent *Vulg. Syr.;* videtur ea ex 18,4 huc esse transumpta. « [*Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens : Deus enim patris mei adiutor meus, eripuit me de manu Pharaonis*] ».

III. PRAEAMBULI CLAUSULA Ex. 2,23-25.

v. 23 « *Post multum vero temporis mortuus est rex Aegypti* », ille sane, quo regnante fuerat Moyses expositus et educatus. Quod Seti I non esset de regia stirpe, eius filius Ramesses II ab ipsa nativitate regio nomine ornatus est. Mortuo patre octodecim annos natus coepit ipse regnare per se, regnavitque annos sexaginta sex ad aetatem octoginta quatuor annorum usque. Bene igitur potuere eo regnante ea omnia fieri, quae hic de Moyse narrantur. Eius autem mors Moysi redeundi occasio fuit, quod iam poena patratae caedis non esset timenda : accedebat mox divinum mandatum. « *Et ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus* ». Speraverant, sua onera alleviatum iri : sed novus rex Merenpthah gravioribus etiam oneribus illos opprimebat (*Tost.*). v. 24 « *Et audivit* » *Deus* « *gemitum eorum* » ; nunc tandem, ubi tribulatio praedefinitam a se mensuram impleverat, exauditionis signa edere coepit : « *ac recordatus est* » *Deus* « *foederis, quod pepigit cum Abraham, Isaac et Iacob* » ; v. 25 « *et respexit Dominus* » — reliqui *Deus* — « *filios Israel et cognovit* [*eos*] » *Deus*. Quid cognovit? Id sane, de quo in praecedentibus sermo erat, quodque ideo repeti non oportebat, afflictionem populi sui. Moratur quandoque Deus, specie tenus non audit, non recordatur, non respicit; sed, ubi tandem valido supplicantium clamore, ut respiciat, moveri se permisit, illico etiam causam *cognoscit*, examinat, iudicat. Quem vero ea iudicialis cognitio effectum tulerit, tota sequens pandit oratio incipiens a vocatione Moysis. Est igitur verbi illius ידע pulcherrimus sensus, quem ignorant penitus recentiores centonum suturam subodorati. Deus ita populi sui causam cognoscens et iudicans *cognoscitur* etiam ipse (*LXX*), tam a populo suo quam ab Aegyptiis : tamen hic non est immediatus vocis sensus. Adverte nomen אלהים quinquies repetitum, antequam narrari incipiat nominis secretioris revelatio.

B. Moysis vocatio Ex. 3,1-4,18.

Cur pericopen cum *Sam.* usque ad v. 18 inclusive, non vero cum *Masor.* solum usque v. 17 producamus, initio sequentis pericopae explicabimus. Nostrae pericopae Masorethae nullas adhibent subdivisiones; Sam. e contra has : 3,1-13. 14-18[a] (verba « et audient vocem tuam » sapienter ad priora trahens); 3,18[b]-4,1; 4,2-5. 6-10. 11-18. Sam., uti in sequentibus passim, novas paragraphos a novis divinis eloquiis orditur, quae incipiunt vocibus « Locutus est Dominus ». Quae dividendi ratio generatim est apta, quia Deus non rogatus sua eloquia

ordiri soleat, at h. l. minus conveniens, quia Deus ad Moysis quaesita respondet. Sam. autem suis distinctionibus responsa a suis quaesitis seiungit. Quem errorem si corrigas, commode Sam. distinctiones retinebis. — Igitur 3,1-12 (non 13) Dei describitur apparitio et generale propositum; 3,13-22 primum roganti Moysi nomen Iahve (v. 13-15) revelatur, postea Dei propositum distinctius panditur, suscipiendae sc. (v. 16-18ª) a Moyse ad seniores, inde (v. 18ᵇ-22) ad ipsum Pharaonem legationis. 4,1-9 (non 2-10) Moyses signa impetrat : v. 1-5 virgae, v. 6-8 leprae, v. 9 aquae in sanguinem mutandae. v. 10-17 Moyses se ob linguae impedimentum excusare conatur, cui Deus v. 10-12 specialem assistentiam, v. 13-17 Aaronis cum virga opem promittit. Concludit v. 18 pericope Moysis a socero discessum breviter commemorans.

I. DEI APPARITIO ET GENERALE PROPOSITUM Ex. 3,1-12.

Arg. — « Respicit » (2,25) Deus Israelem « apparitione » (3,2) Moysi facta. Apparet ei autem « in flamma ignis de medio rubi ». Rubus, vilis planta sed cum foliis intacta perseverans, adumbrat populum electum, oppressum; ignis Deum, qui in columna ignis populo praesto futurus, persecutores oppressurus est (cf. *Cai.*). « Clamore » (v. 9; cf. 2,23 sq.) populi commotus Deus liberationem decrevit, cuius efficiendae causa mittit Moysen ad Pharaonem, speciali auxilio promisso.

Cap. III v. 1 « *Moyses autem pascebat* » — *Hebr. : erat pascens*, pastoris officio fungebatur (*Ios.*), id muneris susceperat, quando Sephoram nactus est uxorem (*Tost.*), vel etiam antea — « *oves Iethro, soceri sui, sacerdotis Madian* ». צאן, oves vel caprae : eiusmodi tantum hic et 2,16 sq. Iethro attribuuntur. Reapse Arabia boves non alit ob pastus penuriam, sed oves, capras, asinos, camelos, equos. Voluit Deus, Moysen quadraginta annis (Act. 7,30) pastorali vita praeparari ad regimen hominum (*Clem. Alex.* Strom. I. 23; *M.* 8. 903 sq.). « *Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb* ».

Consuevere nomades imminente aestate, relictis pascuis demissioribus, ad tractus altiores se recipere, qui humorem et virorem diutius servent. Igitur Moyses gregem duxit *post* desertum, relative ad Madianitiden (*Cai.*) itemque Aegyptum, in regionem a Mari Rubro remotiorem, prospicientem magis orientem versus, ergo *ad interiora deserti*. Dici *montem Dei* proleptice, ob manifestatam ib. postmodum gloriam Dei, putavere *Targumim*. Videtur iam *Ios.* nomen inde explicasse, quod mons iste esset omnium Sinaitidis montium altissimus. 18,5 idem nomen videtur reapse etiam nominis proprii aliquam habere rationem : unde licebit cum *Ios.* addere, eum vel ante Moysen montem habitum esse quodammodo sacrum numinisque sedem. Reapse

Egyptii tractus ad orientem Nili, imprimis vero Sinaitiden nomine designabant « regionis Dei », fortasse ab oriente sole seu deo Ra petito (*Erman* p. 667 sqq.). Quid veri similius, quam altissimum regionis Dei montem nomen habuisse *montis Dei* ? Erat iste mons *Horeb*, de quo *Hier.* (Liber de situ et nominibus locorum hebr.; *M.* 23. 889) : « Mihi autem videtur, quod duplici nomine idem mons nunc Sinai, nunc Horeb vocatur ». « Haec visio rubi ardentis, quae dicitur hic facta in monte Horeb, dicitur Act. 7 facta in deserto montis Sina, et lex quae Act. 7 et alibi dicitur data in monte Sina, Deut. 5,2 et 29,1 dicitur data in monte Horeb » (*Bonfr.*). « Ea duo nomina sunt perfecte synonyma » (*Ebers* p. 381).

Dum 1,17. 20; 2,23 sqq.; 3,6. 7. 11-15, i. e. *ante* revelatum nomen divinum יהוה, constanter legatur nomen divinum אלהים, *post* revelatum autem v. 15 nomen יהוה hoc ipsum perpetuo usurpetur, 3, 2. 4 deprehenduntur vestigia mutatorum in textu divinorum nominum. v. 2 contra *Vulg. Dominus* legunt omnes *angelus Domini* : et tamen, cum tota secus narratio *angelum* ignoret, cum aliquando apud Iudaeos certe obtinuerit pruritus substituendi illius angeli in locum ss. nominis, lectio Vulg. minime est spernenda. Rursum v. 4 priore loco legunt יהוה omnes, praeter *Sam.* אלהים, ut, si eum solum locum perpendas, illa lectio omnino appareat probabilior. Altero loco *Vulg.* nomen divinum reticet, at non reticeret, ni idem in suo textu atque priore loco legisset. Ergo habemus *Vulg. LXX* יהוה contra *Hebr. Sam. Syr.* אלהים, quae lectio critice praevalet. Ceterum in uno v. 4 primitus non duo sane diversa, sed unicum legebatur nomen divinum : ergo, cum priore versus parte lectio non sit plane certa, cum illud e Genesi compertum habeamus, nomen יהוה saepe in locum alterius divini nominis subintrasse, cum analogia Ex. 1 sq., et 3,6-15 suadeat, etiam 3,4 primitus nomen אלים habuisse : hinc lectio יהוה ib. merito in dubium vocatur.

v. 2 « *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; et videbat, quod rubus arderet et non combureretur* ». *Apparuit* in rubo Deus, quatenus portento rubi ardentis manifestabatur, indeque loquens audiebatur (*Tost.*). v. 3 « *Dixit ergo Moyses* » « intra se » (*Tost.*) : « *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* ». Non perspexerat agi de portento divino, sed de re insolita, mirabili agi reputabat : voluit igitur propius accedens rei causam indagare (*Tost.*). v. 4 « *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum* », — hoc membrum pronuntiat *Dillm.* « profecto superfluum » esse, ergo ex alio scriptore depromptum; sed num auctor sacer semper maximae, quae fieri possit, brachylogiae studere debet? — « *vocavit eum de medio rubi et ait : Moyses, Moyses. Qui respondit : Adsum* ». Sensum non infeliciter reddidere *LXX : Quid est?* Rebatur forte hominem ibi aliquem latere insoliti effectus auctorem. v. 5 « *Ait ille : Ne appropies, inquit, huc. Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est* ». Vetatur Moyses propius ad Deum accedere atque in loco, ubi erat, calceamenta exuere iubetur (cf. Ios. 5,16; hebr. 15). Mos est orientalibus loca sacra nudis pedibus intrare : cf. *Dillm.* v. 6 « *Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob* ». *Sam. Deus patrum tuo-*

rum vere sensum reddit et fortasse est verior lectio. Secus cum *Cai.* dicendum erit, non alios tandem ea expressione designari patres, quam illos tres; non agi de Deo Amram, sed de Deo *paterno*. Recensentur autem hic, uti alias, illi tres, quia illis promissa erat terra Chanaan, in quam populus iamiam erat introducendus, et quia in his populus hebraeus ab aliis nationibus fuerat segregatus (*Sylv.*). Iam indolem portenti plene intelligit Moyses, hinc : « *Abscondit Moyses faciem suam* » ob timorem et reverentiam (*Bonfr.*), sive declinans in terram, sive uti Elias 3 Reg. 19,13 pallio operiens (*Sylv.*). « *Non enim audebat aspicere contra Deum* ».

Pandit porro Deus rationem, cur appareat : v. 7 « *Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, et clamorem eius audivi* » *a facie oppressorum eius,* seu liberius *Vulg.* : « *propter duritiam eorum, qui praesunt operibus* », v. 8 « *et sciens dolorem eius* » — sed hoc membrum trahi oportet ad praecedentia, et כי intelligendum asseverativum : *profecto novi afflictionem eius.* Hoc ידעתי nos revocat ad וידע 2,25 : causam cognovit Deus ut iudex et nunc eam oppido novit. « *Descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam* », i. e. meliorem, magisque spatiosam (*Tost.*) : terra Gessen solum pascua offerebat, non agros; in ea Hebraei coarctabantur, cum ob numeros constanter crescentes, tum ob admixtos Aegyptios variarumque tribuum exterarum homines; — « *in terram, quae fluit lacte et melle, ad loca Chananaei et Hethaei et Amorrhaei et Pherezaei et Hevaei et Iebusaei* ». Promissa haec fuerant Gen. 15,20 sq., ubi vide de illis gentibus; cf. etiam Ex. 23,23; 33,2; 34,11. « Locutio, etsi hyperbolica sit, indicat tamen summam copiam omnium non tantum necessariorum, sed etiam quae ad delicias et voluptatem faciunt, eamque tantam, ut more fontium et rivulorum quasi fluere viderentur; quod haud dubie dictum est propter pascua optima et uberrima, quae ab armentis depasta optimum lac exprimerent, et frequentia apum examina, quae in summa copia mel praeberent » (*Bonfr.*). Expressio bene congruit genti pastorum, qui et lac procurant et melle sine labore invento delectantur. Lactis et mellis nomine censet *Sylv.* venire esculenta omnia, ut frumentum, oleum, uvas.

Cum v. 9 uti v. 10 a ועתה ordiatur, hi duo versus intime sunt iungendi : Deus rursum visa et audita commemorat, quo Moysen instrumentum promissae salutis demonstret. v. 9 « *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptiis opprimuntur* ». v. 10 « *Sed veni* », seu potius *vade,* nam Moysi non est propius ad rubum accedendum, « *et mittam te ad Pharaonem, ut edu-*

eas populum meum, filios Israel, de Aegypto ». Moyses, qui dum iunior esset, non dubitaverat causam Israelitae contra percussorem Aegyptium dirimendam suscipere, iam factus humilior et cautior (*Dillm.*) suggerit, se, qui Pharaoni sit exosus ob homicidium, Hebraeis vix notus, opibus carens, tanto operi esse omnino imparem : v. 11 « *Dixitque Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Aegypto?* » Moysen natura officio esse imparem agnoscit Deus (*Tost.*) : v. 12 « *Qui dixit ei : Ego ero tecum; et hoc habebis signum, quod miserim te : cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum* », *Hebr. servietis Deo :* id refertur ad omnem cultum Deo in monte Sinai exhibendum.

Quaeritur, quodnam *signum* h. l. demonstretur. *Tost.*, *Mar.* signum interpretantur ipsum rubum ardentem; sed de hoc in immediato contextu nequaquam agitur (*Sylv.*). *Bonfr.*, *Sylv.*, *Tir.* signum deprehendunt in constanti divina protectione expressa verbis « Ego ero tecum » ; quae protectio Moysi futura sit signum suae divinae missionis. Sed formula « hoc erit signum », *praecedere* consuevit verba signum exprimentia; itemque asyndeticum illud בהוציאך ostendit, ibi non narrationem continuari, sed signum describi (*Dillm.*). Ergo signum constat cultu in futuro in monte Sinai Deo persolvendo. Quod signum, quo tempore Deus e rubo loquebatur, nondum exsistebat; habiturum autem erat valorem, ubi primum esset exstituturum. Quo die Moyses cum populo sacra facturus erat Deo in monte Sinai, eo die is cultus a Deo e rubo loquente diu ante praenuntiatus illustrissimum futurus erat divinae Moysis missionis signum et argumentum. At, inquies, tali signo in futuro adimplendo nullatenus roboratur Moyses, ut audacter adeat Pharaonem. Neque ad eum finem signum nunc datur, ut sapienter monet *Calm.*, ad Pharaonem adeundum abunde confortabatur Moyses signo rubi ardentis, neque altero ad hoc idem signo opus erat. Signo autem cultus in monte Sinai aliquando obeundi concedetur ipsi illustris suae missionis confirmatio eo praecise tempore, quo ipse in tot legibus sacris ferendis religiosisque institutis stabiliendis speciali robore et auctoritate indigebit. Roboratur tamen Moyses quadamtenus etiam in praesenti. Cum sc. ob signum rubi Deo iam perfecte fidat, de signo cultus promisso aliquando implendo ne minimum quidem dubitat, atque ita suavi repletur fiducia atque ad generose agendum provocatur.

II. DIVINI CONSILII PLENIOR EXPLICATIO Ex. 3,13-22.

Arg. — Moyses nequit nomine Dei anonymi populi liberationem postulare : ergo Dei *nomen proprium* tamquam suae legationis auctoritatem exquirit. Revelatur ei, quod sibi iamiam Deus proprium facit, nomen Iahve v. 13-15. Nomine Iahve Dei mandatum Moyses ad populum deferet v. 16-18[a], quem habebit obsequentem, et ad Pharaonem v. 18[b]-22, qui portentis ad obsequendum compelletur.

1. *Nomen Iahve a Deo assumptum* Ex. 3,13-15.

Divino promisso auxilio, uti etiam praemonstrato futuro suo cum

populo ad montem Sinai glorioso adventu, confortatus Moyses iam omnem mittit pusillanimitatem et confidenter exclamans (*Tost.*) : v. 13 « *ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos* ». Non loquitur h. l. de adeundo Pharaone, quia perspiciebat sibi primos adeundos fore seniores Israel (*Sylv.*). Illico autem subiungit interrogationem : « *Si dixerint mihi : Quod est nomen eius? quid dicam eis?* »

Magna est in explicando huius sententiae cum prioribus nexu obscuritas; quem interpretes non pauci illustrare omisere, toti intenti in nominis Iahve etymologia et significatione explicanda. Igitur *Cler.* censet : « Potuit existimare Moyses cum Israelitis nondum diu versatus, Deum Israelis singulari nomine solere appellari; quod quaesivit, ut eo apud Israelitas uteretur. Homo in Ægyptiorum disciplinis institutus necdum prophetico lumine illustratus, errare ea in re, nec periculoso sane errore, facile potuit ». Haec Moysis ignorantia gratis omnino affingitur; vix putandus est, qui tanto zelo unius cuiusdam Israelitae iniuriam ultus est, ita fuisse rerum Israeliticarum imperitus, ut, quo nomine Israelitae Deum appellarent, ignoraverit. — *Kn.* ex Lev. 17,7 infert, Israelitas in Ægypto plures diversos deos coluisse, ideoque Moysen nomine Dei patrum eorum accedentem interrogaturos fuisse nomen istius dei, quo illum ab aliis discernerent. Quodsi verum esset, debuisset Moyses ante omnia non *novum*, sed antiquum et vulgatissimum divinum nomen proferre. Kn. etiam nimium premit Lev. 17,7. — *Keil* censet, quaeri nomen, quod Dei naturam verius ceteris exprimat, invocatumque Deum efficacius moveat, ut suam nomine expressam naturam manifestet et opere demonstret. Ubi sapienter monent *Bonfr.* aliique, nullum dari nomen, quod naturam divinam plene exhauriat. Invocationis efficacia plurimum pendet ab invocantis fide, et valde parum a nominis invocati grammatica vel etymologica veritate. Sed Rabbini tandem in eam devenere superstitionem, ut ss. nomini vim nescio quam, vix non magicam tribuerent. Keilii porro expositio non solum Hebraeos in Ægypto oppressos gratuito fingit ei superstitioni indulsisse, sed praeterea in theodicaea mire profecisse. Homines tota die in gregibus pascendis, lateribus coquendis, agris colendis occupatos nihil antiquius habuisse quam ut de nomine divinam essentiam ceteris plenius exprimente inquirerent, difficile credideris.

Alia est explanatio, quae quibusdam arrisit interpretibus catholicis, nomen quaeri tamquam *divinae missionis argumentum* (« une légitimation »). « Tu dicis, te a Deo ad nos missum : quod nomen est eius, qui misit te? » (*Sylv.*). Verum enimvero, nomen nullum neque vetus neque novum ullam habiturum erat efficaciam ad divinam eius, qui illud nomen pronuntiaret, missionem demonstrandam. Efficax missionis documentum illud debebat praeter omne dubium declarare, Moysen, qui se Dei affirmaret legatum, neque deceptorem esse neque deceptum : neutrum declarabat pronuntiatum nomen Iahve. Nomen vel a deceptore fingi potuit, si supponatur tum fuisse omnino novum; facilius etiam a deceptore usurpari potuit, si supponatur iam ante Hebraeis innotuisse. Num dices, nomen eiusmodi fuisse, quod Moysen illud pronuntiantem Dei legatum demonstraret, quodque fingi haud potuerit? Cur ita? Eratne Moysi necessaria revelatio immediate divina, qua intelligeret Deum esse « eum, qui est », plenitudinem essendi omnisque perfectionis? Si dicas, non fuisse necessariam, ergo potuit Moyses nomen Iahve fingere. Si necessariam affirmes, admirare acumen et subtilitatem illorum pastorum laterumque coctorum, qui illico omnes funditus atque clare perspexerint nominis tam arcani sensum, originem atque probandi vim.

Paulo aliter eandem rationem alii proponunt. Hebraeos sibi fingunt non tam in Moysen suspiciosos, quam animis deiectos, qui Deum quidquam grande ad se adiuvandos facturum esse iam penitus desperassent. Moysi divinam missionem affirmanti responsuri illi erant : Quis ille Deus est, de quo nobis loqueris? cuius opis ferendae causa te mittit ad nos? noli nos decipere inani spe. — Verum, quam longe haec absunt a simplici illa quaestione : Quod est nomen eius? Gratuito supponuntur Hebraei ita deiecti tum animis fuisse, ut legato divino non essent alacriter obsecuturi; falsoque ad id probandum appellatur Ex. 6, 9, cum Hebraei primum 4,31 utique videantur prompte Moysi adhaesisse ac nonnisi serius, Pharaone angarias augente, iterum defecisse animis. Gratuito iidem supponuntur diffidentiam expressuri fuisse verbis supra descriptis, aut eum sensum tributuri fuisse simplici quaestioni : Quod est nomen eius? Gratuito supponitur Moyses praevidisse, eos hac ipsa quaestiuncula illos sensus esse expressuros, quae sensu obvio intellecta nihil diffidentiae habet. Gratuito tribuitur soli nomini Iahve tanta vis ad tot hominum animos erigendos.

Ut ad probabiliorem deveniamus solutionem, primum quo loco tum fuerint Hebraeorum res examinemus. Quos Moyses iamiam erat aditurus, fretus ipse argumento rubi ardentis et promissione adfuturi divini auxilii, licet quibus praeterea portentis Deus opem esset laturus ignoraret adhuc. Hebraei quanto durius opprimebantur, tanto certius credebant promissionibus patribus factis, tanto impatientius earum impletionem differri experiebantur. Eo desperationis devenerant ob intolerandam constanterque ingravescentem servitutem, ut *vix ulla divinae auctoritatis documenta quaesituri essent* ab eo, qui se a Deo missum ad eos Ægypto educendos protestaretur. Similiter sentiebant, atque postmodum sensere Iudaei Hadriano imperatore, qui messiam avide praestolati et oppressionis impatientes secuti sunt Barcochbam. Tamen non sine validis divinae voluntatis documentis eos aditurus erat Moyses : erat virga aliaque portenta. Quam facile iis universum populum ad suas traduxerit partes, audi : « Et fecit signa coram populo. Et credidit populus; audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum, et proni adoraverunt »(4,30 sq.). Quod ergo 3,13 ante omnia quaerebatur, non erat signum, quo sibi Moyses apud Hebraeos auctoritatem conciliaret (« une légitimation »), sed conditio necessario adimplenda, antequam aut ipse solus aut cum eo Hebraei ad Pharaonem prodirent aut quidquam ab eo peterent. Non sufficiebat Moysen Hebraeos habere obsequentes; non sufficiebat Pharaonem rogare *nomine Dei Hebraeorum*, ut populum dimitteret. Nonne Pharao audiens Hebraeorum deum, qui nullas eo nomine in regno haberet aras atque in aula eousque penitus ignoraretur, interrogaturus erat : Quod est *nomen* eius? Hanc Pharaonis primam futuram quaestionem praevisuri omnino erant Hebraei a Moyse adeundi; adeuntem illico interrogaturi erant : Quod est nomen, quo apud Pharaonem vocari decrevit Deus? Hanc primum Hebraeorum, postea Pharaonis primam futuram quaestionèm praevidebat Moyses : ideo, ubi animum ad divinam legationem suscipiendam paratum professus erat, illico quaerit de nomine.

Antehac Israelitae familia fuerant in immensum excrescens, non gens suos habens magistratus suasque leges. Deum nominibus appellabant apud alios etiam Semitas usitatis : El Schaddai, vel etiam El Elion. At natio quaeque, in Ægypto urbs fere quaeque, supremum numen *nomine* appellabat *suo*. Ubi tandem Deus eo se demittere dignabatur, ut unius prae ceteris nationis Deum se profiteretur, necesse erat ab ea natione eum *proprio nomine* appellari. Quod igitur Moyses Deum interroget de nomine, id non est animi pusilli aut meticulosi, sed ad explendum Dei mandatum promptissimi et eius explendi media utilia sedulo circumspicientis.

1946

Non affirmamus, quod putavit quidam, ante Moysen nullo ab Hebraeis nomine proprio appellatum esse Deum. Eiusmodi nomen proprium fuerat, teste ipsa scriptura 6,3, nomen El Schaddai. At, licet illud exstiterit Dei proprium, non erat idem simul solorum Hebraeorum proprium, ut a solis Hebraeis Deus nomine El Schaddai appellaretur. Eiusmodi autem nomen in votis erat, quod et Deum tamquam speciali prae aliis gentibus titulo Hebraeorum deum efferret, et a reliquarum gentium diis penitus secerneret. Qui numen nomine Ammon appellabat, censebatur illud in sanctuario Thebano venerari et Pharaoni Ammonis filio obsequi. Si Hebraeorum Deus nomine Baal fuisset appellandus, mox Baal Israel aequalis habitus esset Baalis Tyrii, Baalis Sidonii ceterorumque Baalim. Putasne dimissurum fuisse Pharaonem Hebraeos, si nomine Seth, Baal aliusve numinis rogaretur, quorum agmina ante ipse aut antecessores fudissent? Requirebatur nomen Dei proprium nationale, quo ipse a solis Hebraeis appellaretur.

v. 14 « *Dixit Deus ad Moysen : Ego sum, qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est* », seu verius *Sum*, « *misit me ad vos* ». v. 15 « *Dixitque iterum Deus ad Moysen : Haec dices filiis Israel : Dominus* », quae vox hebraeum *Iahve* exprimit, « *Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob, misit me ad vos : hoc nomen mihi est in aeternum* », duraturum tamdiu quamdiu durabit foedus Gen. 17,7 sq. 13.19, « *et hoc memoriale meum in generationem et generationem* ». Cf. Os. 12,5 (6). Cum זכר, *memoria* seu *memoriale*, etiam alias *nomen* significet (Os. 14,8; Ps. 30,5; Cant. 1,3), h. l. ob parallelismum cum voce *nomen* eandem sibi vindicat significationem. Est autem nomen memoriale, quatenus appellatum eius, qui illud nomen habet, memoriam et attentionem excitat; iis, qui illud audiunt, eundem in memoriam revocat. Unde etiam sequitur : « sub hoc nomine memorabuntur seu recordabuntur mei meque invocabunt » (*Sylv.*). Nomen autem illud intelligi nomen *Iahve*, totus contextus clamat; quare infelicius illud *Ps. Ion.* h. l. suppressit.

Responsum ad quaestionem v. 13 indubie habetur v. 15. Quaerebatur : « Quod est nomen eius? » Respondetur : « Iahve... hoc est nomen meum ». Quaerebat v. 13 Moyses nomen, quod Israelitis interrogantibus annuntiaret; respondetur ei v. 15 : « Haec dices filiis Israel ». Reapse nomen Iahve Moyses et Israelitis et Pharaoni annuntiavit. Quid vero sibi vult v. 14? Eius duas partes seorsim considerabimus. Igitur verba « Ego sum, qui sum » locutus est Deus ad solum Moysen, non iussit Israelitis referre, licet sine dubio retulerit. Illis verbis rationem pandit Deus assumpti nominis Iahve : Sum, qui sum : ideo nomine volo vocari Est, Iahve. Fortasse, praeter ea tria verba, plura Deus de sua natura ad Moysen locutus est, quae ille non iudicavit populo esse communicanda. Sed, quid sibi vult altera v. 14 pars : « Ait : Sic dices filiis Israel : Sum misit me ad vos »? *Sum*, אהיה non est alterum

Dei *nomen*. Duo nomina confusionem peperissent tam apud populum quam apud Pharaonem. Neque populo neque Pharaoni annuntiavit Moyses nomen *Sum*, ignoratur illud ab universo V. T. Eo ipso, quod v. 15 *Est* emphatice proclamatur Dei esse nomen et memoriale, significatur quodlibet aliud nomen non eodem emphatico sensu esse nomen et memoriale. Verum, annon voce *Sum* v. 14 Deus se designat? Omnino, sed non omne id, quo res vel persona designatur, eo ipso est rei vel personae nomen proprium. Nonne Deus etiam designatur vocibus « omnipotens », « antiquus dierum »? Potest quis designari enuntiata *proprietate* aliqua, quae ipsi prae ceteris competit (« omnipotens ») ; potest designari *voce*, quam ipse solus pleno sensu et absoluto iure usurpare potest — et sic Deus v. 14 designatur voce *Sum*. Nomen Dei proprium interrogatus Moyses primum iubetur suae missionis Israelitis reddere rationem : *Sum*, misit me ad vos, vobisque mandat, ut nomine *Est* illum colatis. Ita, uti v. 14ª Deus soli Moysi nominis Iahve rationem manifestaverat, ita v. 14ᵇ eandem Israelitis item propalat, minus tamen directe et perspicue. Adverte, quantum pondus gravissimae v. 14 sq. orationi addat triplex illud ויאמר : tres illas tanti momenti sententias, a quibus universa iam gentis Israeliticae fata pendent. Deus singulas singulis, ut ita dicam, respirationibus profatur. Nomen petitum non illico pronuntiat : primum, quis ipse sit, verbis arcanis indicat; deinde voce se ipsum designat, quae licet nomen proprium non sit, tamen uni Deo plene adaptatur nominisque proprii mox revelandi sensui intelligendo viam parat; tandem nomen ipsum pronuntiat. Totius vero sermonis duas tertias solummodo partes populo renuntiari iubet, non primam : quo Moysen significet intimius reliquis ad divinorum arcanorum conscientiam adscisci. Deo totus hic sermo est perquam dignus. Ex cuius artificiosa structura illud etiam discas, verba *sum qui sum* non esse glossam textui insertam aevo aliquo posteriore, quod philosophicis argutiis delectaretur.

אהיה אשר אהיה. *Aben Esra* primum אהיה sumit pro *nomine proprio*, et אשר אהיה pro adiecta aliqua explanatione : « Sum (etenim sum) », vel « Ero (nam utique ero) ». Remotior significatio *etenim* non est voci אשר ita facile affigenda. Dein verba sic constructa minime dant responsum ad quaestionem immediate praecedentem : « Quid dicam eis? » Igitur אהיה אשר אהיה accipiendum est ut *sententia* aliqua explicans alterum אהיה; responsio vero ad quaestionem extremo v. 13 enuntiatam habetur v. 15. — Plures sententiam illam vertunt « ero, qui ero », ἔσομαι ἔσομαι (*Aq. Theod.*), inter quas duas voces probabilius excidit ὃς. Ubi *Cler.* recte iudicans, Deum nomen suum tandem v. 15 enuntiare יהוה, putat eum nunc Moysis quaestionem veluti transmittere : « Non est, quod nomen quaeras, quod nullum mihi hactenus tribui; is ero Israeli Deus, qui ero; quocunque me nomine adpellitent, perinde est ». Sed ita sententia « Ero misit me ad vos » est illusoria Deoque indigna. Raschi respiciens v. 12 : « Ero

(tecum), qui ero (tecum) », i. e. adiuvabo te. Verum sic reticetur illud praecise, quod in sententia omnino primarium est, sc. « tecum »; deberet nomen esse non יהוה, sed עמך. *Cai.* aliique illud « ero, qui ero » interpretantur: semper idem ero aeternitate, veracitate, fidelitate. Secundum hos יהוה significat « futurus », quod non est nomen conveniens Deo. — Alii igitur cum *Vulg.* vertunt « sum, qui sum »; idque plures explicant fere ut Cai., ubi monet *Dillm.* e genio linguae hebr. scribendum fuisse : אהיה אשר היתי. Alii, similiter atque Cler., exponunt de natura divina, quae explicari aut nomine exprimi nequeat; cf. 33, 19. — Plerique cum *LXX* (Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν) explicant : ego sum, qui vere sum. *Tost.* : « Ego sum, qui vere sum vel cui proprie esse convenit. Vere enim sum, quia, id quod sum, ex me sum et non ab aliqua alia essentia vel natura esse recepi. Aliae autem res non sunt, quae sunt, quia suum esse non ex se, sed ex Deo habent... Etiam notatur in hoc aeternitas Dei et immutabilitas in essendo. Deus enim est quod est, quia id quod est perditurus nunquam est. Caetera autem non sunt quae sunt, quia id quod sunt aut perditura sunt, aut de se perdere patent, nisi ipse, qui esse dedit, illud gubernet ». Ei, cuius natura per *esse* definitur, *esse* competit magis proprie quam reliquis exsistentibus omnibus. Hic dein sensus clare in altera versus parte enuntiatur : Ille qui voce Sum prae reliquis exprimitur, misit me ad vos.

Post exsilium babylonicum Iudaei, perperam interpretati Lev. 24.16, coeperunt a pronuntiando ss. nomine abstinere : quare exstincta est traditio, quibus vocalibus consonantes essent pronuntiandae. Loco ss. nominis pronuntiabatur אדני, *LXX* κύριος, unde postea *Masor.* vocem יהוה ornavere punctis vocalibus voci אדני correspondentibus. Tamen pronuntiatio *Iehova* indubie est falsa. — Ex auctorum antiquorum dictis effici videtur, nomen pronuntiatum esse *Iao* : *Diodor.* I. 94; *Porphyr.* (apud Theodoret. : Sermo II de Princ.; *M.* 83. 840. Cf. Euseb. : Praepar. ev. I. 9; X. 9; *M.* 21. 72. 803); *Hesych.* (Lex. ad Ὀζειάς et Ἰωαθάμ); *Or.* (in Is. tom. II; *M.* 14. 105); *Euseb.* (Demonstr. ev. X; M. 22. 765); *Theodoret.* (In Par. prooem.; *M.* 80.805); *Ps. Hier.* (Breviar. in Ps. : *Ps.* 8,1; *M.* 26. 838); *Iren.* (Adv. haer. II. 35. 3; *M.* 7. 840). Verum haec nominis pronuntiatio derivata videtur e praelectis a Iudaeis, quod ipsi sibi licere arbitrabantur, nominibus propriis, e. g. ירביהו, ישעיהו, in quibus nomen divinum habetur contractum et abbreviatum (*Kn.*). — Praeferunt recentiores omnes pronuntiationem *Iahve*, tamquam legibus grammaticae hebr. magis consentientem. Eam tradidere *Or.* (Selecta in Ps. : Ps. 2; *M.* 12. 1104) et *Theodoret.* (In Exod. quaest. 15; M. 80. 244). Porro forma יְהוֶה derivari quidem potest a verbo hiphil, ut sonet *auctorem exsistentiae*, creatorem; tamen verbi hebraei היה hiphil secus non adhibetur; linguae semiticae creatorem aliis omnino nominibus exprimunt. Ergo forma derivetur oportet a kal, ut sonet *eum qui est;* idque omnino consonat cum v. 14. — יהוה, uti patet, proxime derivatur non a היה sed a הוה, quae tamen radix apud aramaeos et chaldaeos eandem omnino *essendi* significationem habet. Neque refert, hanc significationem apud Arabes difficilius demonstrari. Ceterum efficacia textus Ex. 3,14 ad describendam divinam essentiam ne pendet quidem a quaestione, an secundum etymon merito confundantur radices הוה et היה. Sicut, quando Abram designatus est pater populi electi, novum a Deo Gen. 17,5 nomen accepit, ita Deus, ubi eiusdem populi speciali titulo incipit esse Deus, novum sibi nomen divinum assumit (*H. Barns :* Revue Biblique 1893 p. 347). Et sicut אברהם explicatur per אב המון, licet ei etymologice cum הכין nihil sit commune, ita potuit Deus essentiae suae (היה) notionem affigere formae יהוה, licet ea notio non ita conveniret radici הוה. In Ex. ut in Gen. Deus non etymologiam homines docet, sed religionem. Tamen eas duas radices easdem esse, iam communiter tenetur.

2. *Mandatum Moysi ad populum datum* Ex. 3,16-18ª.

Arg. — Moyses ad implendum Dei mandatum paratissimus, illico v. 13 de nomine divino quaesierat, cui v. 14 sq. Deus responderat. Nunc vero Deus illum edocet et procedendi modum et legationis argumentum. Modus hic est, ut primum seniores alloquatur, et post eos et per eos populum. Neque enim ab omni simul populo exaudiri potuit (*Tost.*), et seniores merito eum cohibuissent, nisi ipsos priores de divina missione certiores fecisset. Argumentum est, ut eos de sua missione divinoque nomine (v. 15) edoceat, itemque de divino salutis consilio. Argumentum traditur *compendio*, longe pluribus verbis a Moyse explicandum. Narraturus erat, quomodo sibi Deus patrum apparuisset, populi liberationem promisisset, nomine Iahve appellari decrevisset.

v. 16 « *Vade et congrega seniores Israel* », non tam aetate quam auctoritate, principes tribuum et familiarum (cf. quae diximus in Comment. in librum Iud. p. 13 et ad Iud. 2,7), « *et dices ad eos* : *Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham,* [*Deus*] *Isaac et* [*Deus*] *Iacob, dicens : Visitans visitavi vos* », certissime visitabo (*Bonfr.*), et nota in *Hebr.* haberi unicum verbum, quod considerandi, videndi, visitandi sensum induat; ipsumque verbum innuit agi iam de implenda praedictione Gen. 50,24; « *et vidi omnia, quae acciderunt vobis in Aegypto* », v. 17 « *et dixi* », « proposui » (*Tost.*), « *ut educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananaei et Hethaei et Amorrhaei et Pherezaei et Hevaei et Iebusaei, ad terram fluentem lacte et melle* ». Cf. v. 8. v. 18 « *Et audient vocem tuam* ».

3. *Mandatum Moysi ad Pharaonem datum* Ex. 3,18ᵇ-22.

Arg. — Moyses cum senioribus Pharaonem adibit et nomine Iahve veniam sacrificii in deserto cum populo offerendi rogabit. Portentis fractus tandem assentietur Pharao, donisque pretiosis onusti Aegypto excedent Hebraei. Qua fausti eventus praedictione et Moysi et postmodum toti populo adduntur animi.

« *Ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Aegypti* ». Adsciscuntur seniores ad Moysen honorandum eiusque dictis addendam auctoritatem (*Tost.*), quo eius petita a toto populo postulari intelligerentur. Ex his perspicias, seniores quoque 5,1 cum Moyse ad Pharaonem esse ingressos : non enim singula semper sunt repetenda, et 5,4 « ite ad onera vestra » fere supponit quorumdam praesentiam, qui reapse one-

ribus ferendis essent addicti. Autumat quidem *Tost.* seniores non ivisse, ubi in Aarone alius Moysi provisus est socius. Certe sufficiens ratio non apparet diversorum hic et cap. 5 adstruendorum scriptorum. « *Et dices ad eum : Dominus Deus Hebraeorum vocavit nos. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro* ». *Hebr. : eamus quaeso.* Sinai « recta euntibus », inquit *Calm.*, trium dierum itinere distabat, neque officit Moysen postea per ambages procedentem et saepe castra ponentem quadraginta dies insumpsisse. Videntur tamen vel « recta euntes » plus tribus diebus insumpturi fuisse a Gessen ad Sinai. Quare potius cum *Aug.* dicas, voluisse quidem Deum Hebraeis Aegypto eductis perpetuas in Chanaanitide sedes tribuere et ab illis in monte Sinai sacrificiis honorari, petiisse tamen a Pharaone, ut pro tempore dimitteret sacrificaturos tridui a finibus itinere, quia praesciebat vel hoc Pharaonem fore negaturum, puniendum irrevocabili Hebraeorum exodo. Sacrificium intra fines Aegypti facile concessurus erat Pharao. Non Aegypto penitus dimitti petivit Moyses : « Petivit modicum, ut, quia concessurus non erat Pharao et Deus puniturus erat eum, punitio valde iusta videretur » (*Tost.*). — *Vulg. LXX* hic, uti 5,3, legisse videntur נקרא pro נקרה, quod esset vertendum : *occurrit nobis desuper;* ergo fere : de coelo nobis obviam venit. Sed coram Pharaone res enuntiandae erant quam clarissime et simplicissime. Potuit etiam genuina lectio esse נראה אלינו (cf. v. 16).

v. 19 « *Sed ego scio, quod non dimittet vos rex Aegypti, ut vatis, nisi per manum validam* ». Non solum de argumento legationis, sed de universo eius progressu instruit Deus Moysen (*Cai.*), ne repulsam primum passus a Pharaone animo concidat (*Sylv.*). *Vulg. nisi* et *LXX* ἐὰν μή revocantur ad lectionem *Sam.* הלוא, i. e. הלא : *nonne in manu valida* ego vos adiuvabo? Sententiam apocopatam explicat v. 20 proxime sequens. *Hebr. Chald. Syr.* ולא hunc sensum suggerit : non dimittet vos, *ne in manu quidem valida,* in plagis sc. prioribus immissis; sed quando extendero manum meam in cunctis plagis, tunc dimittet. Sensus est correctus, quamvis artificium aliquod sapiat; distinctio illa inter manum validam et validissimam aliena est a textibus parallelis 13,3 et Ps. 135 (136), 12, quibus per *manum validam* simpliciter omnes simul plagae aegyptiae designantur. Cf. *C. Noldii* Concordantias particularum ebraeo-chaldaicarum, Hafniae 1679, annot. 1246. Ergo praeferenda lectio Sam. Vulg. LXX.

Tum tandem Deus ipse levabit manum in auxilium populi sui : v. 20 « *Extendam enim manum meam, et percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quae facturus sum in medio eorum. Post haec dimittet vos* ». At neque mendicorum instar exibunt illi, pro

quibus Dominus manu extenta pugnaturus est. Mulieres hebraeae occasione festi in Sinaitide celebrandi postulabunt ornamenta et, Deo movente corda, obtinebunt (*Calm.*). Sed 11,2 praeter mulieres viri etiam ab amicis postulant, et h. l. legit *Sam.* ושאל איש מאת רעהו ואשה מאת רעיתה etc.; quae lectio si genuina supponatur, non erit quaestio de solo ornatu muliebri, sed potius de pertinentibus ad ornatum altaris etc. v. 21 « *Daboque gratiam populo huic coram Aegyptiis et, cum egrediemini, non exibitis vacui* »; v. 22 « *sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua vasa argentea et aurea ac vestes, ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Aegyptum* », quasi victores capta praeda discedetis. « Hinc patet, quod in terra Gessen Aegyptii habitarent Hebraeis permixti, nec quomodocunque permixti, sed ita ut quidam Aegyptiorum partem domus suae elocarent Hebraeis » (*Sylv.*).

4. *Signa Moysi pro populo concessa* Ex. 4,1-9.

Arg. — Dixerat Deus 3,18 Moysi : « audient vocem tuam », neque id factum iri ullatenus ambigit Moyses. Sed, ut *prudenter* credant affirmanti se esse divinum legatum, *signis* est opus : ea iam Moysi fidenter petenti benigne conceduntur. Priora duo facta sunt in iis rebus, quae Moysi in aula quondam enutrito solae supererant, scipione pastorali et manu. His victum comparabat, qui principum ante conviviis interfuerat; ad tantam egestatem suae gentis studium deduxerat virum, qui fide actus negaverat se esse filium filiae Pharaonis (Hebr. 11,24). *F. C. Cook* (Speaker's Commentary, London 1877) colubrum suggerit h. l. intelligi basiliscum seu uraeum, serpentem maxime venenosum regnique aegyptii symbolum, cuius imaginem Pharaones in tiara gestabant. Quod si concesseris, poteris dicere primo portento indicari Pharaonem primum furore exarsurum uti basiliscum, tandem innocuum futurum uti baculum; altero portento significari Hebraeos primum ab Aegyptiis habitos impuros ac vix non leprosos, mox fore portentis illustrandos spoliisque Aegypti ditandos. Tertium portentum poteris dicere pro aquis, in quas Moyses aliique pueri fuerint immersi, Aegyptiis minari sanguinis et vitae effusionem. Primum portentum absolute iubetur Moyses coram populo patrare, reliqua conditionate, si praecedentibus non crediderint : duo priora (4,30) utique patravit; an tertium coram solo populo patraverit, non liquet.

Cap. IV v. 1 « *Respondens Moyses ait : Non credent mihi neque audient vocem meam, sed dicent : Non apparuit tibi Dominus* ». Pro ויאמן *LXX* ואם. v. 2 « *Dixit ergo ad eum : Quid est, quod tenes in manu*

tua? Respondit : Virga » pastoralis (*Tost.*). v. 3 « *Dixitque Dominus : Proiice eam in terram. Proiecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses* ». Sed viri admirare obedientiam et fidem, qui iussus colubrum prehendere, illico accessit et prehendit v. 4 : « *Dixitque Dominus : Extende manum tuam et apprehende caudam eius. Extendit et tenuit, versaque est in virgam* ». v. 5 « Hoc signum feci, ut tu etiam facias coram eis, et » (*Tost.*) « *ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob* ». Cum Deus ipse moneat hoc signum in Aegypto esse iterandum, quid mirum ibi esse a Moyse iteratum? Ergo miraculum h. l. non potest dici (*Kn.*) ad instar miraculi 7,8 sqq. esse effictum.

v. 6 « *Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis* », lepra alba, quae apud Hebraeos erat frequentior (cf. Num. 12,10; 4 Reg. 5,27). v. 7 « *Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit et protulit iterum, et erat similis carni reliquae* ». Monet *Sylv.* priora duo portenta duobus singula constitisse portentis : virga mutatur in colubrum, et coluber redit in virgam; manus lepra inficitur, et lepra purgatur. Item duo priora portenta Moyses ipse operatur prope Horeb, eoque in fide confirmatur; dum gratuito adstruit *Ios.*, eum tertium quoque ibidem esse operatum, cum solum iubeatur illud efficere, si populares prioribus duobus non crediderint. Haec signa potissimum (cf. v. 1) destinantur senioribus plebique Hebraeorum, et apud illos plenum nacta sunt effectum. Fingi tamen potest, licet Hebraei plurimi ad fidem essent proni, plures non primo, quosdam ne secundo quidem signo ad plenam fidem esse perductos : similiter atque apostolos in resurrectione Domini. v. 8 « *Si non crediderint, inquit, tibi neque audierint sermonem signi prioris* », sermonem Moysis priori signo confirmatum (*Sylv.*), « *credent verbo signi sequentis* ». v. 9 « *Quodsi ne duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam* », quae modo dicebatur « sermo signi », « *sume aquam fluminis et effunde eam super aridam et, quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem* ».

5. *Moysi Aaron socius attributus* Ex. 4,10-17.

Arg. — Moyse linguae defectum excusante, non defectum tollit nunc Deus, sed specialem promittit assistentiam. Moyse pusillo animo se retrahente, Deus Aaronem ei socium et oratorem attribuit, eius commendata etiam alacritate Moysi ruborem eliciens, virgam item demonstrans promissae assistentiae pignus.

Hucusque nihil inveniebamus, quo Moysen pusilli animi incusaremus. 3,13 animum profitetur ad suscipiendam Dei legationem paratum, et illico quaerit de medio prorsus necessario, nomine sc. quo Deus Hebraeorum deus agnosci velit; 4,1 quaerit de miraculis, necessariis divinae legationis argumentis; nunc iam agit de defectu naturali, qui in legato divino est sane inconveniens. Iniquum est, ut Moysen talia loquentem a limine incusemus socordiae, utve v. 10 cum *Bonfr.* subaudiamus « ne mittas me ». Rem in medium profert Moyses, ut se ipsum expediat vel legatione suscipienda, vel defectu legationem praepediente. Hoc alterum praeplacet. Exspectasse videtur Moyses, ut Deus, qui modo duo insignia portenta esset operatus, illico miraculo sanaret linguae defectum; ubi Deus v. 11 sq. loco praesentis miraculi futurum tantummodo promittit auxilium, vacillat tandem Moysis fides, isque v. 13 a legatione suscipienda se excusat. v. 10 « *Ait Moyses : Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius et, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum* ». *Homo sermonum* (*Hebr.*) vel ille dicitur, qui verba facile ore et lingua efformat, vel ille, qui est eloquens et artem dicendi callet : illud intelligi patet, cum defectus causa assignetur *os grave et lingua gravis*. Certe non praetendebat Moyses (*Sylv., Calm.*), se, qui ante plures annos Aegypto excessisset, amisisse linguae aegyptiacae usum. Expressio *ab heri et nudiustertius* quandoque breve tempus (Gen. 31,2; Ex. 5,7; Deut. 19,4), quandoque longius (Dan. 13,15; 1 Mach. 9,44) connotat (*Calm.*) : ergo facile h. l. refertur ad defectum a prima iuventute contractum. Expressio fere sensum habet *antehac* et, quia usu loquentium est consecrata, non mutatur h. l. ordo vocum : a nudiustertius et ab heri et ab hodie, sc. ex quo locutus es ad servum tuum. Hic scribitur athnach, debetque omnino dividi sententia. An in illo *etiam ex quo locutus es* latet querela aliqua, defectum linguae a Deo nondum esse remotum? Non ausim affirmare. Ultimum incisum verte : *quia gravis oris gravisque linguae sum ego*. v. 11 « *Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? nonne ego* », *Iahve?* v. 12 « *Perge igitur, et ego ero in ore tuo, docebogue te, quid loquaris* ». Plus promittit Deus, quam a Moyse rogatus erat, non oris solum defectum levare, sed verba dicenda inspirare (*Cai.*). *Ero cum ore tuo* pulchre alludit ad 3,12 *ero tecum;* explicat *LXX aperiam os tuum;* minus feliciter *Chald. verbum meum erit in ore tuo,* hoc enim potius habet sequens promissio *docebo te etc.*

v. 13 « *At ille : Obsecro, inquit, domine, mitte quem missurus es* ». *Hebr. : per manus* (*eius, quem*) *mittes.* » Mitte quemcumque volueris, modo ne me mittas minus idoneum ad hoc munus » (*Vat.*). Non tam

cogitat de « digniore » (*Chald. LXX*) sibi substituendo, quam de se excusando : divina v. 12 promissio non suffecerat ad eius restaurandam fiduciam. Iam Deus media via incedit, Moysen a loquendo eximens, sed non a legatione. v. 14 « *Iratus Dominus in Moysen ait : Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit* », sensu v. 10 enuntiato. « *Ecce ipse egreditur in occursum tuum* » ; melius *LXX* participium vertit *egredietur,* a me primum v. 27 monendus ; ergo nulla est ratio supponendi, eam v. 27 monitionem ante verba v. 14 locum habuisse. Ne dubites, illene meae vocationi sit obsecuturus, et ob tale dubium te pergas excusare (*Sylv.*) ; « *vidensque te laetabitur corde* ».

Cur additur *Levites?* Non ad distinguendum hunc Aaronem ab aliis forte homonymis (*Clarius, Drus.*) : satis distinguebatur adscripto *frater tuus ;* aut fuerat scribendum *Aaron Levites frater tuus*, ad hunc Aaronem ab aliis forte tribus Levi Aaronibus distinguendum. Adverte, quam facile הלוי oriri potuerit corrupto proxime adscripto הלוא (*Sam.*). Sane non est sufficiens ratio cum *Kn.* coniiciendi, vel ante Moysis vocationem tribum Levi aliquo functam esse sacerdotio.

v. 15 « *Loquere ad eum* » : sensus proximus non est, ut Moyses fratri acta ad montem Horeb narret (*Tost.*), licet hoc quoque Moyses v. 28 fecerit et facere debuerit ; sed « indica ei, quid ipsum oporteat dicere » (*Bonfr.*) ; « *et pone verba* [*mea*] *in ore eius* », pone verba ad populum dicenda in ore eius, quae utique cum Moysi a Deo supponantur indita, merito etiam dicuntur *mea* (*Vulg. LXX*). « *Et ego ero in ore tuo et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis!* » *Hebr. : ero cum ore tuo et cum ore illius.* Promissionem v. 12 Moysi factam iam ad Aaronem etiam extendit Deus. Rem explicant *LXX : aperiam os tuum etc.* v. 16 « *Ipse loquetur pro te ad populum et erit os tuum ; tu autem eris ei in his, quae ad Deum pertinent* ». Ita etiam *LXX ;* sed nervosius *Hebr. : tu eris ei in Deum* seu *Deus, Sylv.* « vice Dei » ; *Tost. :* « tu eris ei quasi Deus revelans, quae dicere debeat », meritoque in comparationem adducit 7,1. Tu eo loco eris Aaroni, quo loco egometipse sum tibi. v. 17 « *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa* ».

III. PERICOPAE CLAUSULA Ex. 4,18.

Apte pericope, quae Dei Moysisque actionem retulerat, concluditur breviter referens plenum Moysis consensum. Apte, quae a commemorato socero ordiebatur, socero valedicentem demonstrat. v. 18 « *Abiit Moyses et reversus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei : Vadam et revertar ad fratres meos in Aegyptum, ut videam, si adhuc vivant* ». Fratres intellige non Israelitas universos, qui haud poterant supponi

esse omnes exstincti (*Cler.*), sed cognatos, quorum plures sine dubio intra quadraginta annos diem supremum obierant. Monetque *Tost.*, iustam quidem causam expressisse Moysen, sed praecipuam reticuisse, ne a socero et uxore retardaretur (*Dillm.*). « *Cui ait Iethro : Vade in pace* ».

C. Moysis cum Pharaone acta Ex. 4,19-12,36.

Ad intelligendum cap. 4 plurimum interest, utrum 4,18 cum Sam. ad priora, an cum Masor. ad sequentia trahas. Si Masorethas sequaris, confunditur narratio. Habes v. 18 Moysen socero valedicentem, v. 19, quod tamen praecedere oportuit, Deum discessum iubentem [1]. Difficultas eliminatur, si v. 18 statuas praecedentis pericopae esse clausulam. Ibi narrator Moysis profectionem brevissime perstringit, et solum quidem quatenus erat discessio a socero 3,1 initio pericopae commemorato. At pro nova pericope aliquae eius profectionis circumstantiae erant accuratius evolvendae. Explicite Deus illud solum edixerat, ut Moyses Aaronem et virgam secum haberet : Moyses uxorem et filium sibi fas esse existimavit inconsulto Domino itineris socios assumere. Quos Deus 4,26 removet, non discessum iubens, sed aliquam Sephorae superstitionem admittens. Quomodo Aaronem Moyses obvium habuerit, 4, 27 sqq. narratur. Aliud item in narratione profectionis Moysis suppletur, quod in hac pericope est summi momenti : Gersam primogenitus Moysis constituitur typus Israelis primogeniti Dei, pro cuius primogeniti sui redemptione minatur 4,23 Deus se primogenitum Pharaonis interfecturum esse. Hinc disce, quousque extendatur haec pericope, sc. usque 12,36, ubi interfectis primogenitis Aegypti Israelitae iter arripiunt, ad primam itineris stationem festinant. Hinc disce, quae sit pericopae summa, duellum sc. illud mirandum, quo Iahve cum Pharaone decertavit, primogenito primogenitum redemit.

Pericopae duas distinguimus partes : certaminis praeambula 4,19-7,7; ipsumque certamen 7,8-12,36.

I. CERTAMINIS PRAEAMBULA Ex. 4,19-7,7.

Tres narrationis distiguimus partes : 4,19-31 Moyses e Madianitide redux ab Hebraeis recipitur; 5,1-6,1 audito Iahve mandato Pharao persecutionem auget, Hebraeorum autem fides labefactatur; 6,2-7,7 Iahve,

---

1. De altera difficultate, quae nascitur v. 14 secundum Vulg. cum v. 27 comparato · vide quae ad v. 14 dicebamus.

frustra primum conatus Hebraeorum fidem erigere, Moysis fidem confirmat suumque in Pharaonem consilium revelat.

1. *Moysis ad Israelitas reditus* Ex. 4,19-31.

Sicut, ubicumque commode fieri potest, Sam. Masor. secundum diversa Dei eloquia textum distinguunt, ita nos h. l. eloquium v. 19 ad Moysen factum secernimus ab altero v. 27 ad Aaronem facto.

a. Moysis e Madianitide profectio Ex. 4,19-26.

Arg. — Exinde, quod praeter virgam uxorem etiam et filium Moyses secum habet, ansam sumit Deus consilii sui intimius pandendi. Non solum repetit portentis se Pharaonem esse compulsurum, sed eorum extremum primogenitorum necem enuntiat. Circumcisionis in stirpe electa, tamquam foederis cum Abraham initi sigilli, necessitatem inculcat, cuius neglectus ne in electi quidem prophetae primogenito abeat impunitus. Superstitione delusa cum filio recedit Sephora, quo vinculis amoris naturalis solutus ad certamen expeditior coram Pharaone Moyses compareat.

Iethro *Madianitiden* incolebat. Iethronis aestivo tempore greges Moyses ad interiora deserti minabat, ad *montem Dei Horeb* seu *Sinai*. At non solent pastorum tribus pascua aestiva et hiemalia in diversis regionibus habere, sed in diversis unius regionis pagis, imprimis si ea montes habeat: aestate altius montes conscendunt, hieme in valles delabuntur. Ergo ipse Sinai erat in ea regione, quae tum Madianitis audiebat. Moyses v. 19 *in Madian* divinum redeundi mandatum accepit, quod minime cogimur adstruere diversum a mandato 3,10 *in monte Horeb* edito. Redeundi aliqua ratio accessoria ibi non exprimebatur, hic suppletur: « mortui sunt enim omnes, qui quaerebant animam tuam ». Aliam rationem accessoriam ipse Moyses v. 18 enuntiabat. Rursum *in monte Dei* Horeb v. 27 Moyses Aaronem obvium habet, idque post vale Iethroni dictum accidisse veri simile neque tamen certum est. Potuere haec omnia brevi distantia agi. Unde Aaron sit accersitus, ex Aegypto an ex aliqua Madianitidis parte, ignoramus. Audacius infert *Tost.*, montem Horeb fuisse in itinere a Iethronis sede in Aegyptum, ut Moysi a Iethrone secedenti et Aegyptum petenti fuerit rursum prope montem Horeb transeundum. Quaeres, cur tandem eadem regio diversis nominibus appelletur. Id facile explicabis, si supponas divina haec eloquia esse a Moyse primum seorsim descripta, postmodum in unam continuam redactionem coacta; quod si factum sit, potuit eadem regio modo *Madianitis*, modo *mons Dei* appellari. — Uti 2,22 Vulg. Syr. ex 18,4 alterum Moysis filium Eliezer supplevere, ita 4,20 levissima corruptione omnes a בנו ad בניו devenere. Sed v. 25 unicum filium novit, neque v. 20 cum *LXX* opus est corrigere *asinos*. Mater cum unico filio parvulo insedit asino; aut Moyses nonnisi plures apud Iethro annos moratus filiam duxit, aut haec pluribus annis fuit sterilis. Neque admirationem movet articulus ante חמור, quo inducti sunt *Tost.* aliique, ut serio perpenderent quaestionem: « An opinio Rabbi Salomon, quod asinus, quo Moyses tulit

filios et uxorem, erat asinus, in quo Abraham portavit ligna holocausti pro Isaac, et quod super eum veniet messias, habeat aliquem colorem ».

v. 19 « *Dixit [ergo] Dominus ad Moysen in Madian : Vade et revertere in Aegyptum : mortui sunt enim omnes, qui quaerebant animam tuam* ». v. 20 « *Tulit ergo Moyses uxorem suam et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Aegyptum portans virgam Dei in manu sua* ». v. 21 « *Dixitque ei Dominus revertenti in Aegyptum* » : — iunge sequentibus : *Cum pergas ad redeundum in Aegyptum, vide etc.* : i. e. cum reditum iam aggressus sis, hoc quod dicam attende — « *Vide, ut omnia ostenta, quae posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego* » *vero* « *indurabo cor eius, et non dimittet populum* ». In prioribus explicite sermo erat de signis coram populo faciendis. Nunc monetur Moyses, ut tria illa signa etiam coram Pharaone operetur, adiicitur quartum de interimendo Pharaonis filio signum, reliqua futura signa interim silentio premuntur. Etiam signorum effectus summatim praenuntiatur. Sc. effectus dimittendi populi primum nondum obtinebitur, quod Deus *induraturus* sit cor Pharaonis; cf. 4, 21; 7,3; 9,12; 10,20. 27; 11,10; 14,4. 8. 17. Alias ipsum Pharaonis cor *durum* (7,13. 22; 8,15; 9,35) vel *grave* (7,14; 9,7) *est* vel *fit* ; vel Pharao cor suum *facit grave* vel *durum* (8,11. 28; 9,34) vel, non adscripto obiecto, *indurat* i. e. durum se praebet (13,15). Cf. *Dillm.* E quibus omnibus fit evidens, Deum ita obdurare Pharaonem, ut tamen Pharao etiam vere obduret se ipsum. Sc. quamdiu Pharao gemit sub poena, paratus est ad populum dimittendum; ablato flagello mutat mentem : Deus hoc praesciens aufert flagellum, atque ita Pharaonem indurat. v. 22 « *Dicesque ad eum : Haec dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel* ». Primogeniti dignitatem et amorem habet ob electionem prae populis reliquis omnibus : hanc nactus est ob Dei unigenitum aliquando in carne generandum. v. 23 « *Dixi tibi : Dimitte filium meum, ut serviat mihi* », iniquum enim est, ut filius *meus* serviat *tibi* in lateribus coquendis, quem ego mihi servire volo cultu latriae (3,12; cf. *Tost.*, *Sylv.*). « *Et noluisti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum* ». 11,5 et 12,29 extenditur istud ad omnes primogenitos Aegypti, tam hominum quam iumentorum. Reapse hi etiam omnes intelligi possunt includi expressione *filium tuum primogenitum*, quia Pharao prostat pro universa Aegypto.

Etiam hi versus recentioribus videntur asyndetice scripti. Cur illud v. 21 בלכתך לשוב non habetur ante v. 20, monitum sc. pro itinere datum ante ipsum narratum iter? Eccur solius primogenitorum caedis mentio habetur, ignoratis plagis reliquis? Respondeo, v. 21-23 ideo hoc et non alio loco inseri, quod intime connectantur cum

prioribus et sequentibus. Habes quippe v. 20 Moysis *primogenitum*. Valedixerat socero Moyses et cum uxore et primogenito solus incedebat : nunc profatur Deus verba de primogenito Israele et primogenito Pharaonis. Aliquanto post v. 28 sqq. in *primogenito* Moysis ut circumcisio supplеatur efficit Deus. Omnia cohaerent. Illud *reversus* v. 20 aut idem est atque « reditum aggressus est », aut totum reditum compendio exprimit, in quo illico distinguuntur *ire ad redeundum* v. 21 seu redeundo ire, et *esse in diversorio* v. 24. Statuit Deus Hebraeis opem ferre, sed servent ipsi sollicite foedus, cuius signum est circumcisio; ni servaverint, neque ipsi erunt periculo immunes; non parcet Deus ne primogenitis quidem eorum, imo ne Moysis quidem primogenito.

v. 24 « *Cumque esset in itinere, in diversorio* », — cf. Gen. 42,27; 43,21 : intelligitur locus aliquis, ubi forte noctem transigebat, non domus aliqua recipiendis viatoribus destinata, quod *Tost.* tenet. Ergo apparitio haec facta est noctu (*Targ.*), licet non in somno (*Tost.*), quod evidens est e peracta circumcisione; factaque est tam Moysi quam Sephorae (*Cai.*; cf. v. 25) — « *occurrit ei Dominus* » — *LXX Chald.* substituunt *angelum Domini* — « *et volebat occidere eum* ». Dubitabat iam *Aug.*, referreturne pronomen ad Moysen an ad puerum; ad Moysen referri exigit contextus (*Theodoret.*), atque secus immediate postea loco בנה sufficiebat scribi suffixum (cf. *Ros.*). Cur volebat occidere? ob omissam circumcisionem, non Eliezer (*Tost.*), qui v. 20 et 2,22 mendose irrepsit, sed Gersam. Prudenter autem monet *Bonfr.*, « hanc caedem intentari potuisse vel ob negligentiam Moysis venialem vel etiam ob nullam culpam, ut hac ratione induceretur Sephora ad admittendam in filio circumcisionem ». Sane audacius *Ps. Ion.* suggerit, Iethro eousque vetuisse, ne circumciderctur nepos. Potuit servitutis tempore apud Hebraeos circumcisio plurimum negligi, uti postea Ios. 5 in deserto. At non erat decens, ut in liberatoris populi Hebraei filio ille ritus negligeretur. Qualis fuerit apparitio illa, an hominis gladio mortem intentantis (*Tost.*) an morbum infligentis (*Vat.*), tacente textu definiri nequit. v. 25 « *Tulit illico Sephora acutissimam petram* », — etiam secus Ios. 5,2 circumcisio lapideis cultris peragebatur. In aliqua pictura aevi Ramessis II cernuntur Aegyptii circumcisionem peragentes, at utrum cultro utantur lapideo definiri nequit (*Ebers*, Aegypten p. 278 sqq.); cultro lapideo utique utebantur in condiendis cadaveribus, et etiam in mactandis animalibus (*Erman* p. 435). Vulnera cultris lapideis quam aereis inflicta esse magis innocua, demonstrari nequit : fortasse in ritu perantiquo obeundo ea adhibebant instrumenta, quae antiquissimis temporibus fuerant prae manibus. Circumcisionem apud Aegyptios habitam esse sacram, collige e facto (*Erman* p. 710 sq.), hostium in proelio occisorum abscindi consuevisse pudenda, sed, si ii essent circumcisi, loco pu-

dendorum manus — « *et circumcidit praeputium filii sui, tetigitque pedes eius* ». Subiectum verbi feminini ותגע plerique interpretati sunt Sephoram. Verum, cuius *pedes* illa attigit? Dei, inquit *Chald.* : *obtulit coram eo*, oblationis instar. Si intelligatur oblatio sacra, ea certe ad mulierem non spectabat, neque mulier ausa esset praesente numine illam peragere. *Symm. Theod. Aq. Syr.* : *apprehendit pedes eius;* imo *LXX procidit ad pedes eius.* Neque supponere necesse est, hos punctasse verbi נגע kal pro hiphil (*Masor. Chald.*), cum etiam hiphil sensum kal induat (cf. 2. Par. 3,11) *tangere*, *apprehendere*. Quocumque modo vertas, gratuito suppones, et Deum forma humana (*pedes*) praesentem adstitisse, et mulierem ausam esse Dei praesentis pedes *tangere*, cum eius aevi homines putaverint vel solum Dei apparentis aspectum esse lethalem. Cuius igitur pedes attigit mulier? an pueri? an Moysis? Adverte formam verbi feminini etiam referri posse ad nomen femininum ערלת immediate praecedens : et praeputium tetigit pedes eius, sc. filii, nam ea vox immediate praecedit. Resectum praeputium non quidem ipsa « humi ante Moysen proiecit » (*Tir.*), sed casu illud ipsius infantis pedes attigit et foedavit. Quod si accidit, haud mirum mulierem Madianitiden id rem pessimi ominis reputasse. Audacius aliqui apud *Malv.* : vulneravit membrum genitale pueri. *Attingere* non est *vulnerare*, et sola vox *pedes* ad membrum genitale designandum nusquam adhibetur.

« *Et ait* : *Sponsus sanguinum tu mihi es* ». Antequam hoc effatum perobscurum explicandum aggrediamur, sequentes voces discutiemus : v. 26 « *Et dimisit eum, postquam dixerat* : *Sponsus sanguinum ob circumcisionem* ». Cum Ex. 18,2 Sephora deprehendatur h. l. a Moyse esse *dimissa*, recte eum huic textui sensum sufficiemus, dummodo id ferant grammatica et contextus. Quare non placet explanatio *LXX angelus recessit*, seu *Tost.*, *Cai.* : Dominus dimisit Moysen, demulsus filii circumcisione non iam ei necem intulit. Cui explanationi illud etiam repugnat, verbi רפה propriam significationem esse *animo deficere*, (*manus*) *pendulas gerere*, quae non videatur Deo satis digna. Melius *Paul. Burgens.* : Moyses dimisit filium, et cum filio utique matrem, ratus sane specialis divinae missionis socium non esse assumendum filium in circumcisione foedatum. Et reapse, virum egregium tum adhuc laborasse populari aliqua superstitione, non est omnino absonum. Commodius tamen *Sam.* : Moyses *dimisit eam*. Sed lectio non habet sufficientem criticam auctoritatem, et rursum Moysi tribuitur superstitio. Ergo melius *Rup.*, *Lyr.*, *Sa*, *Est.*, *Gord.* : Sephora dimisit Moysen, ab eo recessit, non est ausa cum eo procedere, illum Deo esse exosum rata; reversa est ad patrem. Una huic tam facili ex-

plicationi obiicitur difficultas, forma verbi masculina חתן. Tamen non infrequentia sunt exempla verbi formam masculinam pro feminina induentis, et י et ת in antiquis characteribus similia sunt inter se.

Iam ad Sephorae effatum convertimur. Quae v. 26 affirmatur expressione *sponsus sanguinum* usa esse *ob circumcisionem*, intuitu eius. Quam ita maritum alloquentem introducit *Malv.* : « Bellum sponsum, praeclarum coniugium, quod sanguine natorum sancitur : stat mihi haud parvo sponsus meus, nempe sanguine filii mei, quo cogor illius vitam redimere ». Vix contra ipsum circumcisionis ritum, quem peregerat ipsa, tot gentibus sacrum, insurgit mulier, sed contra foedam illam Gersam circumcisionem. חתן sponsum designat, quamlibet item cognationem matrimonio inductam, nunquam maritum : ergo expressio non respicit coniugium consummatum et foecundum Sephoram inter et Moysen. Sicut *sponsus* sensu consueto is est, qui futurum coniugium promittit, ita *sponsus sanguinum* seu *sanguinis* is est, qui caedem, violentiam, sanguinem portendit, in cuius vita nefastus aliquis habetur eventus, qui superstitiose accipiatur tamquam futuri infortunii praesagium. Quoad matrimonium Moyses est Sephorae *maritus*, futurorum infortuniorum iam est *sponsor*. Qua sponsum sanguinum Sephora eum renuntiat, ab eo recedit, cum eo progredi in Aegyptum renuit. Postmodum, quando omnia illi prospere cedere animadvertit, ad eum cap. 18 reversa est.

Facti rationem intimius iam perspicimus. Deus Moysen iusserat *virgam* secum sumere et *Aaronem* operis socium adsciscere, de uxore siluerat. Hanc Moyses non iussus secum deducebat. At expeditum oportebat coram Pharaone adstare. Effecit igitur Deus, ut uxor superstitione mota pedem retraheret, post exodum reditura.

b. Moyses et Aaron ab Israelitis excepti Ex. 4,27-31.

Arg. — Aaron a Deo monitus fratri alacriter iungitur. Qui si Ex. 32 ob vituli aurei superstitionem tibi videatur lenius tractari, memento eundem, ubi primum a Deo vocabatur, alacrius et fortius egisse quam Moysen. Populus oppressione exasperatus fratribus libenter fidem praestat.

v. 27 « *Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum.-Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum* ». v. 28 « *Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, et signa, quae mandaverat* ». v. 29 « *Veneruntque simul et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel* », et postea (cf. v. 30 sq.) populum. v. 30 « *Locutusque est Aaron omnia verba*,

quae dixerat Dominus ad Moysen, et » Moyses (*Cai.*) « *fecit signa coram populo* ». v. 31 « *Et credidit populus audieruntque* », — sed pro וישמעו *LXX* וישמחו *et gavisi sunt* — « *quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum; et proni adoraverunt* ».

2. *Moysis apud Pharaonem irritus conatus* Ex. 5,1-6,1.

Arg. — Pharao nomine Iahve sed sine minis, ut populum ad sacrificium in deserto offerendum dimittat, appellatus petita praecise denegat. Ratus gravem angariam efficacissimum esse civilium turbarum remedium, praecipit ut praeter consuetum laborem paleas etiam pro lateribus sibi Hebraei ipsi conquirant. Praecepta urgent exactores aegyptii, imo scribas Hebraeos operibus praepositos pro subditorum defectu flagellant. Qui querelas ad Pharaonem deferunt Moysique irrident, qui apud Iahve de populi malis ingravescentibus conqueritur et promissione opis ferendae confirmatur.

a. Petita reiecta Ex. 5,1-4.

Cap. V. An etiam *seniores* sint ingressi, cf. quae ad 3,18 dicebamus. v. 1 « *Post haec ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni : Haec dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificet* » — *LXX* ἑωρτάσωσιν — « *mihi in deserto* ». v. 2 « *At ille* », prima vice audiens nomen Iahve, quod in hac narratione esse genuinum totus contextus clamat, licet lectio *LXX* h. l. sit incerta, et etiam v. 17. 21 *LXX* יהוה mutaverint in אלהים — « *respondit : Quis est Dominus* », i. e. Iahve, « *ut audiam vocem eius* », « obediam eius mandato » (*Tost.*), « *et dimittam Israel? Nescio Dominum et Israel non dimittam* ». v. 3 « *Dixeruntque : Deus Hebraeorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro : ne forte accidat nobis pestis aut gladius* », si eius neglexerimus mandatum. Efferuntur duo mala oppido nota ceterisque terribiliora, quorum prius supponebatur immediate infligi manu Dei, alterum a Deo per homines infligebatur (*Tost.*). Efferuntur haec duo pro malis quibuslibet; duae voces sunt sono satis affines. Timentur autem haec mala proxime non pro Pharaone vel Aegyptiis, licet servorum mala etiam ipsis futura sint detrimento, sed pro Hebraeis, quorum cura sit oportet Pharaoni. Ei petita v. 3 accuratius quam v. 1 explicantur : pro *Israel,* nomine illi nequaquam ignoto (cf. v. 2; *Dillm.*), substituitur altera appellatio *Hebraeorum* aut aeque aut magis nota, quae tum fortasse praeter Israelitas alios etiam Semitas complectebatur (cf. ad Gen. 10,21); exprimitur spe-

cialis Iahve *vocatio;* loci distantia, rei periculum definitur. v. 4 « *Ait ad eos rex Aegypti* », omisso iam sermone de Iahve, cuius mandatum effinxisse Moysen arbitrabatur turbarum commovendarum praetextum (*Kn.*) : « *Quare Moyses et Aaron sollicitatis* », *Chald. otiari facitis*, « *populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra* ». Moysen et Aaron ad onera mitti cum summo opprobrio, censet *Tost.;* ad solos seniores dirigi sermonem, autumat *Drus.* (Critici Sacri); melius statuas dirigi ad omnes, qui adessent, indiscriminatim, quique operibus reapse addicti essent.

b. Angariae auctae Ex. 5,5-9.

v. 5 « *Dixitque Pharao* » : — alterum ויאמר (cf. v. 4) non prodit consutos centones (*Dillm.*), sed dimissis Moyse et sociis sermonem dirigi ad aulicos (*Tost.*), quorum aliqui videntur mitiora consilia suggessisse. At Pharao, considerata Hebraeorum multitudine, putavit rem agendam esse non suaviter sed fortiter. — « *Multus est populus terrae* », quem *Sylv.* interpretatur Hebraeos, fortasse *terram* intelligens Gessen; *Drus.* « infimam plebem », et quidem (*Dillm.*) tam Hebraeorum quam aliorum; tandem *Sam.* lectionem habet מעם : *plures sunt quam populus terrae*, i. e. Aegyptii. Merito autem hinc colligit *Cai.*, iussum de exponendis pueris iam non observari consuevisse : eiusmodi leges violentae difficile subsistunt per integros quadraginta annos. « [*Videtis quod turba succreverit :*] *quanto magis, si dederitis eis requiem ab operibus?* » *Hebr.* priori membro inserens vocem *nunc* pergit : *et requiescere illos facietis ab operibus?* Quo non tam maius futurum incrementum (*quanto magis*) demonstratur, quam inter multos homines otiantes turbae facile oriturae. Non insipienter argumentatur Pharao, qui potentiae et auctoritatis Iahve nullum adhuc conspexit signum. Porro, qui v. 1 recensentur praefecti operum et scribae (radix שׁטר in omnibus linguis semiticis excepta hebraea reperitur, significatione scribendi, *Schrader*), in monumentis depicti multoties conspiciuntur : illi baculis armati adstant operariis, hi operis confecti rationem describunt. v. 6 « *Praecepit ergo in die illo praefectis* [*operum*] *et exactoribus populi, dicens* » : v. 7 « *Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius; sed ipsi vadant et colligant stipulas* ». In antiquis structuris Aegypti inveniuntur lateres, tam qui luto admixta habent palearum segmenta, quam qui his carent (*Ebers*, Gosen p. 76). Citat etiam *Chabas* (Mélanges égyptol., 2e série p. 133; ap. Vig., Bible II. 231 sq.) textum, qui agit de aedificio constructo in urbe quadam Ramesses, regnante fortasse ipso Merenpthah I, quique testatur debuisse operarios quotidie certum laterum numerum

conficere. v. 8 « *Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos nec minuetis quidquam : vacant enim et idcirco vociferantur dicentes : Eamus et sacrificemus Deo nostro* ». « Pigritiae attribuitur religio » (*Cai.*). v. 9 « *Opprimantur operibus et expleant ea : ut non acquiescant verbis mendacibus* ». Pro ויעשו *Sam. LXX Syr.* וישעו, ut sit vertendum : *Fiat labor gravis super eos, et aspiciant illum : et non aspicient verba mendacia*, fictitia dei sui mandata. Carebunt tempore, ne ad eiusmodi attendant, dummodo constanter occupentur. Tale autem mandatum a rege promulgatum esse *ipso die* (v. 6; *Dillm.*) expetiti favoris, fuit sane Hebraeis perdurum.

c. Hebraeorum contra Moysen indignatio Ex. 5,10-6,1.

Arg. — Scribae hebraei, ubi in subditorum sibi operariorum angaria aliquid desideraretur, flagellis immeriti caesi, querelas ad Pharaonem deferunt incassum. Ab eo reduces in Moysen et Aaronem impingunt eosque conviciis impetunt. Seniores non comparent, populus (cf. 6,9) a Moyse et Aarone retrahitur. Moyses ad Iahve conversus ab eo de portentis brevi eventuris in salutem populi monetur.

v. 10 « *Igitur egressi praefecti operum et exactores* », i. e. scribae, « *ad populum dixerunt : Sic dicit Pharao : Non do vobis paleas* ». Pro ויצאו *LXX* uti v. 13 ויאצו, *et urgebant*. v. 11 « *Ite et colligite, sicubi invenire poteritis; nec minuetur quidquam de opere vestro* ». *Hebr. : quoniam nihil minuetur etc.* Hoc כי, inquiunt, non dat rationem praecedentium ; ergo supple « festinate » (*Raschi*), vel « nolite putare vobis iam minus opus fore perficiendum » (*Dillm.*) ; qui auctor tamen statim deflectit ad coniecturam, sententiam causalem esse centonem ex alio documento assutum. Facillima solutio est, cum exactores repetant mandatum idem, quod modo Pharao pronuntiaverat, auctorem sacrum indulgere brachylogiae cuidam. v. 12 « *Dispersusque est populus per omnem terram Aegypti* », non sane omnem omnino, uti vult *Tost.*, « *ad colligendas paleas* ». v. 13 « *Praefecti quoque operum instabant dicentes : Complete opus vestrum quotidie* », *rem diei die suo*, « *ut prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleae* ». *Hebr.* בהיות התבן, quibus vocibus *Sam.* additum habet בתן לכם, quam eandem fortasse lectionem sequebantur *Vulg. LXX Syr. Chald.* v. 14 « *Flagellatique sunt, qui praeerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie?* » Clarius : *neque nudiustertius, neque heri, neque hodie.* Non primo illico, sed tertio die haec flagellatio fieri coepta est. Huiusmodi operariorum flagellationes depictas habes apud *Vig.*,

Bible II. 223. Ceterum *Hebr.* habet : *Et percussi sunt scribae filiorum Israel, quos posuerant super eos praefecti Pharaonis.* Ergo praefecti seu exactores, qui baculum gestabant et utique erant Aegyptii, scribas constituerant viros Israelitas et, ubi statutus laterum numerus deficiebat, non solum operarios flagellabant, sed vel ipsos scribas Hebraeos, quorum tamen illud unum erat officium laterum confectorum, quotcunque ii essent, habere rationem. v. 15 « *Veneruntque praepositi* » seu verius *scribae* « *filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem dicentes : Cur ita agis contra servos tuos?* » v. 16 « *Paleae non dantur nobis, et lateres similiter imperantur; en famuli tui flagellis caedimur, et iniuste agitur contra populum tuum* ».

וְחַטָּאת עַמֶּךָ debet verti *et peccat populus tuus*, admittitque sententia triplicem sensum : nos scribae vapulamus, et *tamen* peccat populus tuus Hebraeus (*Field*); punimur pro peccato non nostro. Vel : peccati reus fit populus tuus Hebraeus; hunc enim sensum induit verbi Kal Gen. 43,9 et עָם quandoque genere fem. adhibetur. « Imputatur peccatum populo tuo, quasi rebelles sint et nolint parere mandato » (*Vat.*). Vel : *et peccat populus tuus* Aegyptius *in eos* (*Chald.*). *LXX Syr.* punctabant וְחַטָּאתָ עַמְּךָ, ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου; neque necesse esse (*Ros.*) nomini praefigere ל, docet Lev. 5,16. Quam sententiam *Ros.* suadet intelligendam esse interrogative, ne Pharao accusari videatur. Qui item apud *Symm.* accusatur : וְחַטָּאת עַמְּךָ, καὶ ἁμαρτίαν ἔχεις. Profecto omnem crediderim a limine excludendam interpretationem, quae aut Pharaonem vituperet aut apud Pharaonem Aegyptios. Statum constructum nominis (חַטָּאת) punctabant *Aq.* (καὶ ἁμαρτία λαῷ σου) et *Theod.* (καὶ ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν λαόν σου). Monet *Ros.* haberi oppositionem aliquam inter *famuli tui* (scribae) et *populum tuum* : omnino, non ea tamen, ut Hebraei opponantur Aegyptiis, sed ut scribae hebraei opponantur plebi hebraeae. Nobis praeplacet explanatio Field : consonat ea textui et punctationi, illudque ipsum facit scribas dicentes, quod potissimum debebant illi habere et in mente et in ore, sc. nolle se puniri pro deliquiis aliorum.

v. 17 « *Qui ait : Vacatis otio,* » — *Hebr. : Otiamini vos, otiamini* — « *et idcirco dicitis : Eamus et sacrificemus Domino* ». v. 18 « *Ite ergo et operamini. Paleae non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum* ». v. 19 « *Videbantque se praepositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis : Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies* ».

אתם *Syr.* retulit ad filios Israel : *intuiti sunt eos aegre;* potest autem vox cum *Vulg. LXX* accipi reflexive (cf. Ier. 7,19; Ez. 34,2. 8.10). Viderunt ergo scribae illi Hebraei se ipsos esse in malo seu « in maligno » (1 Io. 5,19), « in angustiis undique constitutos » (*Bonfr.*), — לאמר, *ut dicerent* seu, quod in idem recidit, « eo quod diceretur eis ».

A Moysis v. 1 sqq. cum Pharaone colloquio effluxerant (v. 14) dies saltem tres vel quatuor (*Tost.*). v. 20 « *Occurreruntque Moysi et Aa-*

ron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone ». *Hebr. : et impegerunt in Moysen et Aaronem, qui stabant ad occurrendum eis, dum egrediebantur a Pharaone* (cf. 7,15). Hi exspectabant redeuntes, scribis congressus tum erat fortasse inexspectatus. Quare indignatione abripiuntur. Vocem *Iahve* v. 21 eos crediderim ironice adhibuisse : neque Moysi iam fidebant (cf. 6,9) neque Deo nomine Iahve invocato. v. 21 « *Et dixerunt ad eos : Videat Dominus* » *super vos,* cognoscat causam (*Vat.*) « *et iudicet, quoniam foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis eius* », « nos reddidistis abominabiles » (*Vat.*), « *et praebuistis ei gladium* », occasionem, praetextum, « *ut occideret nos* ». v. 22 « *Reversusque est Moyses ad Dominum* », vel mente tantum, vel se recipiens ad orationem. « Non respondet praefectis, utpote nimium exasperatis et salutarium monitionum incapacibus, sed ad Deum recurrit » (*Sylv.*). « *Et ait : Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me?* » v. 23 « *Ex eo* [*enim*], *quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum; et non liberasti eos* ». Afflictio eadem modo Pharaoni adscribitur, modo Deo; misisti, inquit, ad liberandum ab afflictione, et pergis affligere. *Cap. VI* v. 1 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Nunc videbis, quae facturus sim Pharaoni : per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta eiiciet illos de terra sua* ». Non solum dimittet, sed ipse eiiciet, compulsus manu Dei.

3. *Moyses a Iahve confortatus* Ex. 6,2-7,7.

Duo Iahve praestanda iam sunt : ut Hebraeorum in se fidem erigat, utque Moysi animos addat ad Pharaonem rursus adeundum. Illud efficere studet eloquio 6,2-9; hoc efficit altero eloquio, quod 6,10 incipit et 7,7 concluditur.

Post *Kn.* censebat *Dillm.*, pericopen 6,2-7,7, quod 3,1-6,1 narrata repetat, adscribendam esse diverso auctori. Respondeas, aliqua afferri nova et ad progressum narrationis necessaria, ante dictorum aliqua ob gravem rationem repeti et inculcari. Valet quippe etiam hic, quod (Comment. p. 23) de diluvio monebamus, non potuisse ipsum diluvium, factum totius narrationis princeps, paucis versiculis absolvi, sed fusius fuisse narrandum : similiter missionem Moysis quis miretur ampliori stilo narrari? Ubi primo cum Pharaone congressu Hebraeorum in peius versae sunt res Moysisque apud illos labefactata auctoritas (5,21 sqq.), quid mirum nova visione Deum ante dicta repetere et confirmare? aut rursum 6,6-8 futuram salutem praemonstrare, distinctius tamen quam id 3,16 sq. fecerat? Foederi 6,4 sq., uti alias sexcenties, insistitur : eius sc. inter foederatos frequens mentio habeatur oportet. At Aaron 7,1 sq. Moysi socius assignatur iisdem fere atque 4,15 sq. verbis. Recole, quod pro explicatione probabili suggerebamus, Moysen cupiisse ut linguae impe-

dimentum Deus miraculo tolleret. Post primam igitur repulsam, Moyses idem desiderium manifestat, instantius etiam quam antea, cum non iam de « gravi lingua » sed de « incircumcisis labiis » loquatur, labiorum veluti circumcisionem a Deo circumcisionis expetat. At, non Moysis facundia sed Dei potentia adigendus erat Pharao : quare Deus, exiguam Moysis fidem tacite reprehendens, iisdem fere atque ante verbis Aaronem demonstrat. Adverte tandem, licet, quae 6,2-7,7 dicantur, sint ante dictorum affinia, at longe diverso effectu proferri. 4,31 populus dictis facile credebat, 6,9 fidem denegat, dum Moyses et Aaron illis 7,6 fidem habent, ceteris uti divina electione ita virtute etiam praelucent. Qui effectus profecto dignus est, qui narretur. — De 6,13-28 infra dicemus.

a. Eloquium Iahve cum Israelitis communicandum Ex. 6,2-9.

Arg. — Deus filiorum Israel, qui in populum excreverant, futurus peculiari titulo deus, proprium nomen selegerat, quo ab ipsis et a circum incolentibus nationibus tamquam eorum deus agnosceretur : nomen Iahve. Lubentes hoc nomen una cum Iahve promissis, angariis oppressi 4,31 Hebraei receperant; idipsum rursus gravioribus angariis exanimati et scribarum suorum 5,21 conviciis abrepti erubescebant iamiam levique opera videbantur esse abdicaturi. Quare eloquium edit Deus, cuius summa haec est : Iahve idem est atque El Schaddai, et omnes promissiones ab El Schaddai factas ipse implebit. Und e colligas, 6,2-8, licet sit 3,13-17 valde affine, non esse meram ib. dictorum repetitionem, sed membrum narrationis prorsus necessarium. Rem luce clariorem pluribus prosequi non lubet.

Porro, sicut textus gravissimi 3,14 sq. tria deprehendebamus esse membra, quorum secundum et tertium per Moysen filiis Israel, primum soli Moysi profatur Deus : ita pari omnino ratione nostri eloquii duo discernuntur membra, quorum primum 6,2-5 Deus ad solum Moysen, alterum 6,6-8 per Moysen ad populum eloquitur. Non, quod non etiam 3,14[a] et 6,2-5 Moyses universo populo retulerit, sicut ea postmodum omnium usui futura fuere descripta : sed *ea forma* Deus has revelationes edidit, qua Moysen prae reliquo populo honoraret eique praeter ea, quae omnium essent communia, aliqua impertiretur magis arcana, quae ipse cum populo quasi *de suo* communicaret.

Verba v. 6-8 in capite et ad calcem adscriptam habent formulam *Ego Iahve*. Post revelatum sc. nomen Iahve passim Deus ea formula sua eloquia et mandata orditur (v. 29; 20,2; Lev. 18,2; 20,7 sq. etc.) et concludit (Lev. 11,44 sq.; 18,21. 30; 19 passim; 20,24. 26; 21 sq. etc.). Est ea instar *sigilli* documento affixi eique fidem facientis. Eandem formulam habes v. 2 initio prioris huius eloquii membri, ubi ea tamen non meri sigilli rationem habet, sed simul *tesserae* loco est sequentibus evolvendae.

v. 2 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Ego Dominus* », i. e. *Ego Iahve*. Eodem plane sensu dicebat Deus Gen. 17,1 ; 35,11 : « Ego El Schaddai » (*Kn.*). Uti ibi nomen traditur, non natura describitur, ita etiam hic. Sensus non est : Ego *merito* vocor Iahve, quia mea natura eius nominis significationi plene respondet; sed ego *sum* et *vocor* Iahve, hoc mihi nomen assumpsi, hoc nomine appellari et agnosci volo. v. 3 « *Qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente* ». Praepositio ב excidit apud *LXX*, sane quod praecedens nomen *Iacob* in eandem desineret consonantem. Illud ב referri ad nomen : *in* seu *sub* (*nomine*) *El Schaddai*, colligitur inde, quod ei in sequenti membro *nomen Iahve* opponatur. Sensus igitur est eum, qui se nunc Iahve appellet, antea innotuisse sub appellatione El Schaddai ; eundem esse Iahve, qui El Schaddai, ergo eandem auctoritatem. At cur non eodem Iahve nomine se patribus etiam manifestavit? Quaestionem praeoccupat sequens membrum : « *Et nomen meum Adonai* » — lege *Iahve* — « *non indicavi eis* ». Cum illis nomen Iahve nondum indicassem, illud pro nomine proprio nondum assumpsissem, non poteram sub eo tum nomine eos alloqui. Plana utique responsio. At cur non patribus illud nomen indicaverit Deus? Rationem erue e contextu cap. 3. Quamdiu Hebraei nondum fuerant populus a reliquis Semitis distinctus, Deum nomine proprio apud alios etiam Semitas usitato appellaverant : El Schaddai. At, ubi in populum excreverant, atque a Deo assumebantur in populum ipsi speciali prae ceteris nationibus titulo proprium, aequum erat ut Deum appellarent non nomine aliquo proprio, quo aliae item gentes, neque fortasse sine superstitione illum appellarent, sed nomine exclusive proprio, quo nullae aliae uterentur gentes. Nomen igitur Iahve a Deo dicitur *meum*, qua ratione alias etiam nomina evadunt personarum propria, sc. impositione vel assumptione; ergo quia Deus illud nomen sibi assumpsit, non ob etymologicam nominis rationem. Erat utique Deo indignum nomen seligere omnino inane, sonum habens, non significationem. At non requirebatur nomen divinam essentiam, quam fieri poterat, maxime proprie exprimens. Tamen id etiam liberalissimus Deus Hebraeis concessit. Ignorasse vero dicuntur patres non *vocem* יהוה, non eius vocis *significationem*, sive totam sive etiam tantummodo pleniorem, sed eius a Deo factam *appropriationem* tamquam *nominis*.

Profundiorem aliquem sensum e verbis Ex. 6,3 eruere conantur interpretes quidam : verbum ידע ib. volunt non cognitionem solum denotare, sed *intimiorem* cognitionem; patriarchae affirmantur non ipsum quidem nomen proprium Iahve ignorasse, sed ejus nominis vim nondum satis perspexisse.

Argumentum primum suppetit Ex. 33,12. 17, ubi Deus dicit Moysi : « invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine ». Ergo nosse aliquem ex nomine idem est, atque illum penitius, intimius nosse; eaque solum intimiore cognitione dicuntur patriarchae caruisse. Respondeo, librum Ex. agnoscere tres gradus amicitiae : a) quando quis cognoscitur, sed non ex nomine; b) quando quis cognoscitur ex nomine : qui sic cognoscit, « invenit gratiam » coram altero, loquitur cum illo facie ad faciem (33, 11), at non faciem intuetur revelatam; c) quando alicui facies contuenda permittitur (33, 18 sqq.), quod privilegium Moysi non concessit Deus. Accipe exemplum virginis : est, qui illam iterato conspexit, sed ad colloquium non est admissus, vel nomen ignorat; est alius illi necessarius, quem illa ad colloquium admittit, nomen illi aliaque plura indicat; accedente sponso velum illa removet et faciei obtutum permittit. Sane, qui cognoscit alium ex nomine, perfectius cognoscit *hominem* quam ille, qui cognoscit non ex nomine : at non ideo *nomen* perfectius cognoscit, nominis significationem atque virtutem intimius perspicit. Qui vero hominem aliquem primum cognoscebat ex nomine Eliacim, eundemque postea cognoscit ex nomine Ioakim, is neque *hominem* postea necessario dicendus est intimius cognoscere, quam ante cognoverat, multoque minus dici potest ad penitiorem cognitionem *nominis* Ioakim pertigisse. E textu Ex. 33, 12. 17 utique efficitur, Moysen Deo fuisse magis familiarem quam Pharaonem, quem Deus non norat ex nomine : an indidem efficitur, Deum intimius perspexisse nomen Moyses quam nomen Pharao? Sensus unice obvius verborum Ex. 6, 3 is est, aevo mosaico mutasse Deum non nominis divini cognitionem, sed ipsum nomen : vocabatur antea El Schaddai, voluit deinceps vocari Iahve.

Alterum producitur argumentum. Deus in Exodo plura se affirmat patrare, ut Hebraei vel Aegyptii « sciant, quia ego Iahve » (7,5. 17; 8,22; 10,2; 14,4. 18). Quam expressionem mutuati sunt Is. (45,3; 49,23. 26; 60, 16) et frequentissime Ez. Sensus est : ut *experimento discant* me esse Iahven, *quamque plene hoc nomen meae naturae respondeat*. Et cf. Is. 52, 6 : « sciet populus meus *nomen* meum in die illa », utique scientia experimentali. Ergo etiam Ex. 6, 3 verbum ידע de scientia experimentali nominis divini intelligatur oportet.

Respondeo 1°. Hujus verbi significatio nativa est *scire;* quae quandoque contextu ita contrahitur, ut solam *scientiam experimentalem* denotet. At contextus Ex. 6,2 sqq. minime suadet, ut vocis significatio limitetur; loca vero 7, 5. 17 etc. longius absunt, quam ut immediatum contextum cum Ex. 6,2 sqq. affirmare fas sit. Num forte contextus Ex. 6,2 sqq. illud efficit, patriarchas expertos esse eas divinas perfectiones, quae nomine El Schaddai exprimantur, et non esse expertos Dei in servandis promissis fidelitatem, quam volunt illi interpretes nomine Iahve exprimi?

Respondeo 2°. Experimento discere Iahven seu quis sit Iahve, nequaquam idem est atque experimento discere, *quam plene nomen Iahve divinae naturae correspondeat*. Ille modus loquendi non est Hebraeorum unice proprius. Dicimus etiam nos : Novi hominem! novi Titium! Neque ea voce id expri-

mimus, perspicere nos quam belle Titii indoles etymologiae nominis Titius respondeat; sed illud tantummodo, nos experimento didicisse, quis sit Titius quaeque Titii indoles. Illa formula « scire, quia ego Iahve » *compendio* illud exprimit, quod diserte habent longiores quaedam formulae : « quia ego Iahve sum Deus vester » (Ex. 6,7; 16,12; 29,46; 31,13), « quia terra est Iahve » 9,29 , « quia Iahve ipse est Deus » (Ps. 99,3); quodque habent aliae formulae negativae : « ut scias, quoniam non est sicut Iahve Deus noster » (Ex. 8,10 [6]), « quod non sit similis mei in terra » (9,14) etc. Vox *Iahve* in formula « sciant, quia ego Iahve » non sumitur nude et secundum etymon, sed concrete et quasi vestita omnibus illis attributis et perfectionibus, quae de Iahve vere praedicari possunt. Perperam ea accersetur ad explicanda verba Ex. 6,3 « scire nomen Iahve ».

Nomen Iahve Moysi primo revelatum esse agnovere ***Theodoret.***, ***Proc.***, ***Lap.***, ***Sylv.***, *Calm.* aliique. Ad difficultatem, nomen יהוה toties in Genesi scribi, respondebatur illud certe ignorasse patriarchas, at Moysen eorum acta narrantem proleptice eo nomine esse usum. Quibus hac responsione non erat satis factum, ii textum Ex. 6,3 cogebantur torquere. « Quaestionum hic et explanationum nullus finis » (***Malv.***). Perpauca attingemus, cum textus de se sit perquam clarus et planus. Igitur ***Lyr.***, ***Tost.***, ***Bonfr.*** censebant patriarchas non nomen, sed nominis *significationem* ignorasse. *Cai.* patriarchis permittit significationis cognitionem obscuram, denegat *distinctam*. Eodem recidit ***Walafr.*** supplens « sicut tibi ». ***Rup.***, ***Hugo***, ***Vat.*** putant nomen eatenus revelari Moysi, quatenus Deus secundum nominis significationem iamiam acturus sit concessa Israelitis terra promissa; ipsi sc. nomen Iahve autumant exprimere Dei promittentis fidelitatem (vide, quae diximus ad 3,14). Maxime satisfacit difficultatis solutio ea, quam in Genesi tradidimus, nomen Iahve Moysi primo esse revelatum, in Genesis textum serius irrepsisse.

Qui nomen proprium Iahve Moysi primo revelatum esse affirmat, debet item defendere, illud ante Moysen pro nomine divino proprio non esse adhibitum. Difficultatem faciunt pauca quaedam nomina antemosaica, quae videntur compositione illius nominis esse formata, imprimis nomen *Iochabed*, matris Moysis. Eam difficultatem certe non tantam esse censemus, quae interpretem compellat ab obvio Ex. 6,3 sensu recedere. Vide, quas in Comment. in Gen. p. 7 sq. solutiones suggerebamus. Verum dies diem docet, et scriptor scriptorem; solutionem planissimam suppeditavit *H. Barns* (Revue biblique trimestrielle II. 346, Paris 1893). Praeter formam *Iahve* יהוה, habentur formae breviores *Iahu* יהו et *Iah* יה. Hae virorum nominibus componendis adhibentur, illa nunquam. Has natas esse *abbreviatione* illius gratis asseritur. Suggerit igitur laudatus auctor, formam *Iau* vel *Iao* esse Moyse apud Hebraeos antiquiorem, imo adhibitam esse tamquam nomen divinum, non tamen exclusive proprium; sicut porro Deus nomen *Abram* mutavit in *Abraham*, et *Sarai* in *Sara*, adnexa nova significatione, ita mutasse *Iau* vel *Iao* in *Iahve*, aut nova affixa significatione aut ea,

quae ante fuerit, penitius declarata. Huic hypothesi favet analogia Gen. 17,5.15; praeterea omnes ea expedit difficultates. Tuetur sensum obvium Ex. 6,3; explicat, quomodo nominis divini forma brevior in Iochabed reperiatur.

Porro Iahve, cum idem sit atque El Schaddai, idem est *foederis* Deus : v. 4 « *Pepigique foedus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenae* ». Cf. Gen. 11, 31;17,8;35,12. Sequens versus orditur a וגם אני : *Et nunc insuper, ego* idem Deus audivi etc. Loquitur Deus iisdem atque 1,13 et 2,24 expressionibus. v. 5 « *Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Aegyptii oppresserunt eos, et recordatus sum pacti mei* ». Iamiam pacto promissa exsecutioni mandabo. Ubi tota promissio (v. 6-8) vocibus *Ego Iahve* incipit et clauditur (v. supra). Constat ea vero triplici membro : v. 6 verbis *educam, eruam, redimam* salutis partem negativam; v. 7 verbis *assumam, ero, scietis* partem positivam pandit; v. 8 salutis fructum, terrae promissae possessionem annuntiat. v. 6 « *Ideo* » — *LXX vade :* לכה pro לכן — » *dic filiis Israel : Ego Dominus : qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum* », — *Hebr. de angariis;* notat *Bonfr.* significare *ergastulum* etiam domum, ubi laboretur, atque ita versionem Hier. sat prope ad Hebr. accedere — « *et eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso* », *Hebr. extento*, » *et iudiciis magnis* », sc. plagis Aegyptiis infligendis (*Bonfr.*). « Est metaphora viri pugnatoris » (*Tost.*), cf. 7,4 sq. « Ego vi magna et prodigiis magnis eripiam vos » (*Vat.*). v.1 legebatur ביד חזקה, dum Deut. 4,34;5,15;7,19;11,2;26,8 (cf. 9,29) utraque scribitur expressio. An ergo diversi (*Dillm.*) v. 1 et v. 6 scriptores? Nota, v. 1 subiectum esse Pharaonem, qui non extento et minanti Dei *brachio*, sed *manui* plagis inflictis cervicem prementi sit obsecuturus. v. 7 « *Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus* ». Se eorum Deum futurum, promiserat Deus Gen. 17,7; eos sibi futuros in populum, nunc tandem, ubi populus facti sunt, pronuntiat (*Tost.*); ad sensum expressionis cf. Gen. 28,20 sq. Specialem se profitetur eorum curam esse habiturum, speciali ab ipsis vicissim cultu honorandus. « *Et scietis* » « experimento » (Cai.), « *quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum* ». v. 8 « *Et induxerim* » — omnino vertendum *et inducam* (*LXX*) — « *in terram, super quam levavi manum meam* » seu « iuravi » (*Ps. Ion.*, et cf. Gen. 15,18 sqq.), « *ut darem eam Abraham, Isaac et Iacob; daboque illam vobis possidendam. Ego Dominus* ».

v. 9 « *Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieverunt ei propter angustiam spiritus* » — *Hebr. brevitatem spiritus*, quae

Prov. 14,29; Num 21,4; Iud. 16,16; Iob 21,4 *impatientiam* sonat : ita erant malorum impatientes, ut iam sola verba despicerent. Sed illa impatientia simul erat *pusillanimitas* (*LXX*), *defectio* (*Aq.*) — « *et opus durissimum* ». Coordinantur, quae invicem subordinantur : angaria quippe impatientiae causa erat. *Sam.* (cf. *Field*) Hebraeos h. l. proloquentes inducit querelas, quae 14,12 leguntur.

b. Eloquium Iahve ad solum Moysen Ex. 6,10-7,7.

Arg. — Deus Moysi mandat, ut rursum adeat Pharaonem. Moyses mandato se excusare studet : incassum a Pharaone, quam ipsi Hebraei recusent, fidem exspectari. Linguae rursus defectum praetendit, ratus fortasse nunc tandem illum fore miraculo tollendum. Deus praeter Aaronis societatem remedium offert nullum, tamen quae Moysis quaeque Aaronis futurae sint partes solemnius declarat, portentaque certum nactura effectum iterum promittit. Quibus penitus restituitur Moysis fides, dum Aaronis fides videtur inconcussa perseverasse.

v. 10 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 11 « *Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Aegypti, ut dimittat filios Israel de terra sua* ». v. 12 « *Respondit Moyses coram Domino : Ecce filii Israel non audiunt me : et quomodo audiet Pharao*, [*praesertim*] *cum incircumcisus sim labiis?* » Expressio violentior quam 4,10 maioris impatientiae indicium est.

Responsio ad v. 12 habetur 7,1 sqq. Est autem v. 10-12 fere ad verbum idem cum 6,29 sq., inter quae inseritur 6,13-28. Textum esse e diversis compactum videntur etiam *Masorethae* sensisse. Dum enim post v. 9. 12. 30 signant parascham apertam (פ), post v. 13. 28 scribunt parascham clausam (ס), ut vel istis notis v. 13-28 et a praecedentibus et a sequentibus secernatur. Et merito v. 13 etiam adscripto ס a sequentibus distinguitur, compendio quippe idipsum dicit, quod v. 26 sq., ad quorum versuum instar confictus esse videtur pro sutura aliqua inter v. 12 et v. 14. Suturam item prodit nomen *Aaron* v. 13 abruptius insertum, cum v. 1-12 nulla fuerit Aaronis mentio; v. 13 certe praecedentem narrationem non continuat, sed diffindit. Alteram suturam habes v. 28. Sententia haec a יהוה incipiens nequit trahi ad praecedentia; a sequentibus adscripto ס a Masor. secernitur et certe abundat. Sutura est omnino similis eius Gen. 2,4 et alterius (*Ros.*) Deut. 2,16; cf. Lev. 7,35-38. — Porro inter has utrimque suturas habes documentum *Moysis origines* describens. Videtur illud pars esse cuiusdam elenchi *capita familiarum* omnium tribuum (cf. Num. 26) recensentis. Tribus a patriarchis ipso Levi iunioribus derivatae omittuntur; sed retinentur Ruben et Simeon natu maiores, quo perspiciatur, quem dignitatis locum tribus Levi inter alias tribus, itemque Moyses et Aaron in tota gente electa obtineant (*Tost.*). — Habet autem istud documentem exordium et epilogum v. 13. 26 sq. Quae poeticum dicendi genus affectant : sermonis quippe membra distinguunt, nomina Moyses et Aaron chiastice scribunt, verba « locutus est » repetunt. Est oratio levitae cuiusdam suae stirpis ornamenta extollentis. Quaeres, cur

haec genealogia non fuerit inserta ante cap. 2. Fortasse, quod iam, antequam insereretur, exordio et epilogo fuerit aucta et nomina habuerit Moysis et Aaronis invicem conserta. Non ergo visa est inserenda, quo loco nulla haberetur Aaronis mentio. Inserta est post 6,12, ubi conquerebatur Moyses se ab Israelitis non audiri neque a Pharaone auditum iri. Hoc igitur loco suas Moysis et Aaronis laudes assuit levita auctor. Quem inspiratum fuisse minime negamus : potest quippe auctor inspiratus, uti solecismis loqui, ita loco minus apto quaedam inserere. Eum autem auctorem coniicimus a Moyse diversum ob eam potissimum rationem, quod Moyses apte et loqui et scribere assueverit.

De Moysis originibus additamentum Ex. 6,13-28.

v. 13 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israel* » — quos ignorant *LXX* — » *et ad Pharaonem regem Aegypti, ut educerent* » Moyses et Aaron « *filios Israel de terra Aegypti* ». v. 14 « *Isti sunt principes domorum per familias suas* ».

אלה ראשי בית אבתם, *isti sunt capita domus patrum suorum*; ubi suffixum non refertur ad Moysen et Aaron, cum plerique citandorum non fuerint horum virorum principes familiarum; non ad Israel, cum multi alii recenserentur principes; sed ad ipsos, qui recensentur, quorum quisque princeps erat familiae suae seu familiarum suarum. בית אבות non designat unice *familiam*, quae pars sit gentis משפחה, sed : 1) quandoque designat ipsam *tribum*, quae et ipsa a communi parente ortum ducit (Num. 17,17; Ios. 22,14); 2) saepius *gentes*, in quas proxime tribus subdividatur (Num. 3,24; 30,35 et cf. 1,4); aut 3) gentis subdivisiones, i. e. *familias* (Ex. 12,3; 1 Par. 7,7; 23,11; 24,6 etc.) Ubi expressio alteri expressioni משפחה copulatur, ibi eam aut sequitur (Num. 1, 2. 18. 20. 22 etc.; 2,34) aut antecedit (Num. 3, 15), quo rursum clarescit expressionis sensus vagus et incertus. *Dillm.* Porro h. l. בית אבות idem est atque משפחה : cf. v. 14. 17. 19. 24. 25.

« *Filii Ruben, primogeniti Israelis : Henoch et Phallu, Hesron et Charmi. Hae cognationes Ruben* ». v. 15 « *Filii Simeon : Iamuel et Iamin et Ahod et Iachin et Soar et Saul filius Chananitidis. Hae progenies Simeon* ». Ad nomina cf. Gen. 46,9 sq.; item Num. 26 et 1 Par. 4,24 et 5,1 sqq. v. 16 « *Et haec nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gerson et Caath et Merari* », cf. Gen. 46,11. בהלדתם non est « pro numero generatarum personarum » (*Ros.*), certe natae sunt filiae, probabilius filii etiam numero plures; non « secundum aetatem » (*Ku.*); sed « secundum generationem », qui vere e Levi geniti erant : cf. v. 19. — « *Anni autem vitae Levi fuerunt centum triginta septem* ». Aliquorum virorum aetas adscribitur, non quo rationem temporum edoceamur, non enim definiuntur vitae anni, quo pater genuerit filium; sed quo discamus, in stirpe etiam Levi non defuisse exempla provectissimae aetatis, quae patriarcharum fuerat habebaturque signum specialis Dei benedictionis. Ergo anni h. l. descripti nullam difficultatem faciunt contra 430 annos 12,40. In genealogia

Levi, Caath, Amram aliqua membra esse omissa, concedi non solum potest, sed attentis 430 illis annis aliisque rationibus etiam debet. v. 17 « *Filii Gerson : Lobni et Semei, per cognationes suas* ». v. 18 « *Filii Caath : Amram et Isaar et Hebron et Oziel. Anni quoque vitae Caath centum triginta tres* ». v. 19 « *Filii Merari : Moholi et Musi. Hae cognationes Levi per familias suas* ». ה in הל ignorat quidem *Chald.*; tamen cf. Num. 3,20 (sec. Hebr.) et Deut. 10,8, itemque h. l. v. 24 הקרחי et v. 25 הלייב. Ergo verte *Levitarum*. Ceterum de singulorum virorum nominibus dicemus ad Num. 3. Neglectis iam posteris Gerson et Merari, elenchus solos prosequitur posteros Caath, progenitoris Aaron et Moysis, quibus v. 20 *Sam. LXX* addunt *et Mariam sororem eorum, Syr. et Mariam :* cf. Num. 26,59. Hebron nonnisi post nostri narratoris tempora in plures videtur effloruisse familias, quarum Davidis tempore (1 Par. 23,19; cf. 15,9) numerabantur quatuor. v. 20 « *Accepit autem Amram uxorem Iochabed patruelem suam* », « filiam Levi, quae nata est ei in Aegypto » (Num. 26,59) : an ergo fratris filio nupsit Iochabed, quod coniugii genus postmodum Lev. 18,12 lex reprobavit, obtinuerit tamen antea (Gen. 20,12) quoad Abraham et Saram? Non tamen cogeris admittere, Iochabed *immediate* a Levi esse procreatam, ne ob adiectum quidem Num. 26,59 « in Aegypto ». « *Quae peperit ei Aaron et Moysen. Fueruntque anni vitae Amram centum triginta septem* ». *LXX* 132 vel 136. v. 21 « *Filii quoque Isaar : Core et Nepheg et Zechri* ». v. 22 « *Filii quoque Oziel : Misaël et Elisaphan et Sethri* ». Nomen *Sethri* (lectio *LXX* Σεγρεί) secus non occurrit. Alium porro gradum descendit elenchus, filiorum Amram solum prosequens Aaron, cum Moysis nuptiae iam ante fuerint narratae, filiorum Isaar solum Core, turbis in Moysen excitatis famosum; filiorum Aaron tandem solus explicatur Eleazar, non ob aliam sane rationem, quam ob procreatum ab ipso Phinees ob egregie factum Num. 25 celebratum. Ergo *post* illa duo facta elenchus noster eam, quam nunc habet, formam induit. v. 23 « *Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nahasson* », tribus Iuda (Num. 1,7), « *quae peperit ei Nadab et Abiu* », ob sacrilegium Lev. 10 interemptos, « *et Eleazar et Ithamar* ». v. 24 « *Filii quoque Core : Aser et Elcana et Abiasaph. Hae sunt cognationes Coritarum* ». *Elisabeth*, uti mox *Phutiel*, secus non commemorantur. Pro אביאסף *Sam.*, uti 1 Par. 6,23 (8), אביסף. v. 25 « *At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel, quae peperit ei Phinees* ». Suggerit *Dillm.* Phutiel esse nomen aegyptium ad instar nominis Putiphar : « Consecratus deo El ». Ubi rursus potuit אל suffici in locum numinis cuiusdam aegyptii. Nomen uxoris utique noverat antiqua traditio : an illud fortasse latet in primo

illo, quod abundat, לי defigurato ex לאה vel similis formae nomine? « *Hi sunt principes familiarum Leviticarum per cognationes suas* ».

Tandem solemni stropha elenchus clauditur, quae orditur a formula *Iste est Aaron et Moyses*, et concludit formula *Iste est Moyses et Aaron*, ibi Aarone ob aetatis, hic Moyse ob dignitatis primatum ducente agmen (*Aben Esra*), celebratque viros, qui exodi mandatum a Deo acceperint et coram Pharaone audacter protulerint. v. 26 « *Iste est Aaron et Moyses, quibus praecepit Dominus, ut educerent filios Israel de terra Aegypti per turmas suas* ». Cf. 7,4. v. 27 « *Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Aegypti, ut educant filios Israel de Aegypto* » — *Sam. LXX Syr. de terra Aegypti.* « *Iste est Moyses et Aaron* ». Merito notat *Kn.*, hoc encomium non ab ipso Moyse, sed ab auctore recentiore conscribi debuisse; ab eodem vel ab alio recentiore totus elenchus insertus est. v. 28 « *In die, qua locutus est Dominus ad Moysen in terra Aegypti* » — de hoc asyndeto vide, quae ante v. 13 dicebamus.

Eloquium Iahve ad solum Moysen continuatur.

v. 29 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Ego Dominus* » : — hac formula prior Dei oratio concludebatur v. 2. 6. 8; ea desideratur v. 11, qui tamen non est nisi nostri v. 29 repetitio eam formulam habentis; v. 5 eandem formulam adscriptam habet cum quadam amplificatione. Ergo utraque divina oratio 6,2-7,5 ea formula tamquam divino sigillo ornatur. — « *loquere ad Pharaonem regem Aegypti omnia, quae ego loquor tibi* ». v. 30 « *Et ait Moyses coram Domino : En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?* » Hi duo versus repetunt v. 10-12 (v. p. 75).

Cap. VII v. 1 « *Dixitque Dominus ad Moysen* », respondens ad 6,12 dicta et 6,30 repetita : « *Ecce constitui te deum Pharaonis* ». « Quemadmodum Deus imperabat Moysi, ita Moyses ipsi Pharaoni » (*Theodoret.*, ubi pro Ἀαρών corrige Φαραώ); « non quem ille fideliter adoret, sed serviliter timeat punientem » (*Lap.*). « Nequaquam tibi metuendus est Pharao : decrevi siquidem tibi dare ac etiam dabo tantam auctoritatem tantamque potentiam, ut ipse te formidet quasi deum suum. Tu mandabis ei quid faciat et, nisi fecerit, graviter eum punies immittendo plagas, quas potestati tuae committo. Quoniam vero reges neminem agnoscunt superiorem, a quo puniantur, praeter Deum, eris ei instar Dei » (*Sylv.*). « *Et Aaron frater tuus erit propheta tuus* », non merus interpres. Ita erit tibi propheta, uti tu eris Pharaoni deus. « Vide, quantum elevet Deus impedimentum loquelae in Moyse » (*Cai.*). v. 2 « *Tu loqueris ei omnia, quae mando tibi, et ille loquetur ad Pha-*

raonem, ut dimittat filios Israel de terra sua ». Praemonetur tamen Moyses, sola verba caritura esse effectu. v. 3 « *Sed ego indurabo cor eius, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Aegypti* ». Neque sola signa sufficient, sed clade in transitu maris opus erit. v. 4 « *Et non audiet vos. Immittamque manum meam super Aegyptum, et educam exercitum* [*et*] *populum meum filios Israel de terra Aegypti per iudicia maxima* ». v. 5 « *Et scient Aegyptii, quia ego sum Dominus* », quod Pharao se ignorare affirmaverat (*Tost.*) ; « *qui* », seu *cum*, « *extenderim manum meam super Aegyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum* ». v. 6 « *Fecit itaque Moyses et Aaron, sicut praeceperat Dominus, ita egerunt* ». v. 7 « *Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem* ».

Missus fuerat Moyses ad Pharaonem, ut *nomine* Iahve (« Ego Iahve ») divinum ei deferret mandatum ; responderat Pharao : « Nescio Iahve ». Iam Deus id inter alia efficere aggreditur (cf. 7.17; 8, 22 [18]; 10,2; 14,4. 18), ut Pharao *sciat Iahve*, sensum formulae « Ego Iahve » accurate perspiciat, auctoritatem et potentiam Iahve persentiat. Explicatur expressio 8,10 (6) : « ut scias, quoniam non est sicut Iahve Deus noster » (cf. 9,14). — *Fecit* Moyses Dei mandata, primum quatenus secundo ad Pharaonem ingressus est (6,11) ; dein quatenus toties postmodum, quoties Iahve mandavit, ingressus est et singula portenta audacter annuntiavit et operatus est. Non iterum linguae defectum praetendit, sed animo egit magno et fidente. Commode generalior hic sensus sententiae 7,6 tribuitur.

II. MOYSIS CUM PHARAONE CONCERTATIO EX. 7,8-12,36.

De portentis coram Pharaone patratis acturis nobis primum eorum portentorum *finis* est definiendus. Erat autem is, ut intelligeret Pharao, Moysen vere a Iahve esse missum, Iahve eiusmodi esse numen, cuius mandato vel Pharaoni esset obsequendum. Finis immediatus non erat Pharaonem edocere, Iahve esse deum unice verum, multo minus Pharaonem ad cultum Iahve pertrahere. Illius porro finis demonstrandi efficacia *argumenta* sint necesse est portenta non simul tantum sed *singillatim* spectata. Licet enim sequentibus haud spernendum e praecedentibus portentis accedebat robur, tamen nisi singula per se erant efficacia demonstrandae Moysis missionis argumenta, iniquius singulis neglectis iterabatur in Pharaonem « obdurati cordis » accusatio. Non ideo aliquod portentum omni probandi vi destituitur, quod magi illud imitati sint (virga, aqua, ranae) : habet saltem vim efficaciter suadendi Pharaonem, quod Moysen exhibeat eadem utique atque magi, a Pharaone haud spernenda virtute instructum. Quodsi vero Iahve demonstretur vel tantum quantum dii Aegyptiorum valere,

prudentis regis erit illum ad iram non concitare, eius obsequi placitis. Hanc saltem probandi vim tribuere debemus portento aquae in sanguinem mutatae, ubi non affirmatur aut terra Gessen esse exempta, aut Moyse intercedente plaga cessasse; nisi forte hoc alterum in textu pridem fuisse atque ex illo postea excidisse, coniiciat quis. Virgae vero mutatae argumentum eximium derivavit robur ex eo, quod virga Aaron visa sit magorum virgas destruere. Ranarum plaga a magis quidem imitatione exprimi potuit, at nonnisi Moyse intercedente cessavit. Pari ratione muscarum, grandinis, locustarum plagae nonnisi orante Moyse finem sumpsere, atque ita Iahve potentiam pandebant. Ab ulceribus vel ipsi magi non fuere immunes. A plagis muscarum, ulcerum, grandinis, tenebrarum, primogenitorum interemptionis terra Gessen affirmatur providente Iahve esse exempta. Quae omnia argumentorum augebant efficaciam.

Si iam quaeratur, *qua virtute* illa portenta fuerint effecta, adscribenda illa erunt aut praestigiis quibusdam mere naturalibus, aut influxui daemonis, aut virtuti Dei. *Moysi* hac in re sane adfuit virtus Dei : quodsi enim dicatur solis praestigiis usus esse naturalibus, Pharaonem decepit, divinam missionem minime demonstravit. In *magorum* portentis explicandis recurrendum erit vel ad praestigia naturalia vel ad daemonum influxum. Quorsum praestigia naturalia pertingant, definire accurate non valemus. Sed cave, ne virgas in dracones mutatas explicasse tibi videaris appellatis Psyllis, qui serpentes carminibus eliciant, manibus attrectent, morsi nihil detrimenti accipiant. Memineris item, aliud omnino esse serpentem in torporem quemdam coniicere, ut baculi instar rigescat, et baculum transformare in serpentem, qui cum alio serpente decertet. Aliunde daemones permittente Deo multa in mundo praeter naturae leges operari, et ex fidei fontibus certissime cruitur, et nostro aevo ideo etiam minus probatione indiget, quod iam a materialismo ad spiritismum deflectant tot doctorum virorum ingenia.

Sensus obvius 4, 2. 17. 20 sane is est, portenta effecta esse ope virgae Moysis. Hanc virgam 4,30 Moyses coram populo mutavit in colubrum : subiectum quidem sententiae posset aeque intelligi Aaron; at subiectum esse Moysen declarat 7,15, ubi Moysi dicitur : « virgam, quae conversa est in colubrum » (4,3; non in draconem, uti 7,10), « tolles in manu tua ». At portenta videntur etiam effecta esse ope *virgae Aaron*, qui *virga sua* (7,9. 10. 12; 8,5. 16. 17) talia peregit, imprimis vero, dum Moyses 7,17 aquas percutiebat, eas ipse quoque v. 20 altera virga percussit. 9, 15. 22. 23; 10,12, 13. 21 sq. dicitur Moyses extendisse manum et virgam, quo non excluditur Aaronem quoque suam elevasse virgam, sed res succinctius narratur. Tamen non omnia portenta simul operabantur illi duo viri : cineres 9,8 sustulerunt ambo, verum sparsit solus Moyses. 14,16. 21. 26. 27 solus Moyses sublata virga videtur aquas sepa-

rasse, 17,5 et Num. 20,8 sqq. solus virga elicuisse aquam e rupe; certe solus Moyses Ex. 17,9 virgam manu tenebat, dum Aaron et Hur Moysis manus sustentabant. Totam rem ita explicaverim. Decreverat Deus 4,3, ut Moyses ope virgae efficeret portenta; ubi ei 4,14 socius adiunctus est Aaron, eius pariter virgae eadem virtus concedebatur, tamen nonnisi pro Moysis voluntate et mandato effectum habitura. — Ceterum ope virgae sola portenta in natura ratione carente videntur esse effecta : virga mutantur aquae in sanguinem, adducuntur locustae, dividuntur et reducuntur aquae maris, dum primogenitos ipse Deus interficit, uti etiam insequentes Ægyptios.

1. *Portentum virgae divinae missionis argumentum* Ex. 7,8-13.

Arg. — Diversae omnino hoc portentum a sequentibus est indolis : *plaga* non est. Sc. Pharao nomine Iahve rogatus 5,2 responderat : « Iahve non novi et Israel non dimittam ». De quibus verbis non est reprehendendus : nullum quippe acceperat argumentum potentiae et auctoritatis Iahve. In eo utique iniquius egit, quod illico v. 4 Moysen et Aaronem ut deceptores eiecerit. Ad saniora revocatus consilia 7,9 Pharao, secundo cum illis agens, *signum* petit. Quod signum petenti conceditur sine ullis minis. Quo signo didicit primum Moysen vere a Iahve esse missum, quod nunquam in sequentibus in dubium revocat Pharao; indidem didicit Iahve esse deum, si non supremum, at certe deum aliquem. Putavit, se ei deo, fretum diis Aegyptiorum, resistere posse, et ita *obduravit* cor suum.

In sequente narratione *solus* vix non semper ***Moyses*** scribitur *cum Deo esse conversatus* : 5,22; 7,14; 8,1. 12. 20. 30; 9,1. 12. 13. 22. 35; 10,1. 12. 21; 11,9; 13,1; 14,1. 15. Aliquoties diserte affirmatur Deus ad solum Moysen, hic vero ad Aaron esse locutus : 4,30; 7,9. 19; 8,5. 16. Sunt vero (praeter 6,13. 26, quae ad pericopen serius narrationi insutam spectant) textus aliqui, qui Deum exhibent *ad Moysen et Aaron* esse locutum. Ita 7,8, sed illico ad solum Moysen loquens pergit Deus : « dices ad Aaron ». 9,8 ambo iubentur tollere cineres, quos solus dein Moyses sparget. Tota de paschate celebrando lex 12,1. 28. 43. 50 Moysi et Aaroni a Deo communicatur. Potest igitur cum ***Tost.*** defendi, in his etiam locutum esse Deum immediate ad solum Moysen, per hunc mediate ad Aaronem. Tamen, potuisse Deum quandoque honorare etiam Aaronem immediato alloquio, salvis textibus 4,15 et 7,2, concedi potest.

Certe ***Moyses et Aaron*** una *cum Pharaone tractant* : 5,1. 3. 4. 20; 7,10. 20; 8,8. 12. 25; 9,12. 27; 10,3. 8. 16. 24; 11,10; 12,31. Quandoque unus Moyses iubetur Pharaonem adire, sed illico e proximo contextu patet Aaron cum illo ivisse : 7,15. 19. 20; 8,1. 5. Alias idipsum e contextu universim spectato colligi debet 8,9. 20. 26; 9,1. 11. 13. 21. 33; 10,6 (ubi tamen mutata punctatione verba ad pluralem revocari possunt). Inde a cap. 13 non *affirmatur* Moyses *per* Aaronem egisse cum populo, neque id necessario subintelligendum est. 4,10 praetenderat Moyses linguae impedimentum ratus, uti coniiciebamus, Deum illud miraculo illico esse sanaturum. Neque promissa v. 11 sq. speciali Dei assistentia ei factum est satis. Quare Deus ad eum humiliandum et in fide roborandum, non solum nullo subito miraculo cum sublevat,

sed ab Aarone per omnia iuvari praescribit. At eo non excluditur, ut postmodum misericors Deus linguae etiam impedimentum, non subito quidem miraculo, at pedetentim alleviaverit, ut Moyses tandem nullo adhibito interprete cum populo libere potuerit agere. Crediderim ita eum egisse cap. 14 sqq.

v. 8 « *Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron* » : v. 9 « *Cum dixerit vobis Pharao : Ostendite signa, dices ad Aaron : Tolle virgam tuam et proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum* ». E nullo textu satis efficitur תנין esse *serpentem*. Deut. 32,33 « furor תנין » habetur parallele cum « veneno aspidum ». Ps. 90 (91), 13 copulantur leo et תנין. Ubi autem vocis significatio indubia est, ibi designat animal quoddam immane, piscem et saepissime crocodilum (cf. Iob 40,20 sqq. et *Knabenbauer* ib.); crocodilum inquam ut *Aegypti* symbolum (Is. 51,9; Ez. 32,2; Ps. 73,13 sq.). Neque iubetur Moyses תנין cauda prehendere, uti 4,4 נחש. Sane prope Sinai crocodilo non erat locus, cum ea amphibia non infestent deserta; erat autem eidem locus in Pharaonis aula. Crocodilus, animal eximie vorax, facilius concipitur 7,12 maleficorum crocodilos devorasse, quam serpens serpentes. Tantum igitur abest, ut idem a duobus diversis auctoribus narretur portentum, ut potius habeantur portenta duo, virgae duae et, loco serpentis 4,2, crocodilus 7,9 sqq. : illustrius coram Pharaone quam coram Hebraeorum plebe obtinuit portentum. v. 10 « *Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt, sicut praeceperat Dominus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis eius, quae versa est in colubrum* ». Id, quod textus indubie affirmat, est completa *externae speciei transmutatio,* ut ubi antea indubie sensibus percipiebatur virga, ibi indubie iisdem iam perciperetur vivens amphibium. Sola externa illa transmutatio a Pharaone sensibus percipi poterat. Quod vero veteres aliqui auctores disceptant, mutatane fuerit substantia virgae in substantiam animalis, id in textu nullatenus exprimitur, a testibus nullatenus comperiri poterat, ideoque a textus interprete non est attingendum. v. 11 « *Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes aegyptiacas et arcana quaedam similiter* ». Sed aliter *Hebr. : Vocavit autem Pharao* חכמים *et* מכשפים, *et fecerunt ipsi quoque magi Aegypti per incantationes suas ita.*

Cum inter Aegyptios exstiterit classis aliqua sacerdotum *rechiu* = sapientes (*Ebers*, Aeg. p. 343 sqq.; *Erman* p. 202), hi reapse nomine חכמים designari videntur; notatque *Ebers* p. 345 nomen quandoque esse tam latae acceptionis, ut quosvis fere sacerdotes complectatur. Iam in Novo Regno erat supremum quoddam tribunal « sapientum et principum » (*Erman* l. c.), i. e. sacerdotum et aulicorum; *Ebers* vero p. 347 unum ex ordinibus v. 11 enumeratis comparat *scribis*, qui cum sapientibus leguntur esse accensiti Pharaonum concilio. Contra quae obiiciat quis, מכשפים

alias designare *magos*. Dan. 2,2 enumerantur cum חרטמים, אשפים, כשדים, qui omnes v. 12 sqq. voce חכמים comprehenduntur. Mal. 3,5 iidem iunguntur adulteris et periuris; et, quo propius ad Exodi tempora revocamur, Deut. 18.10 (cf. 2 Par. 33,6) iunguntur ariolis. Unde neque mirum est versiones transtulisse *maleficos* vel *magos*. Sed כשף primitus significat *submissa voce loqui*, *murmurare*, unde apud Syros *supplicari*, i. e. submissa voce orare. Vox comparari potest latinae voci « secreta », quae modo magicas artes, modo abdita documenta designat. Quare מכשפים apte potuere vocari illi aulici, qui Pharaoni erant a secretis, qui cum lectis sacerdotibus ad eius intimius concilium conveniebant. Eratque vox h. l. tanto aptior, quod hac vice a Pharaone accersebantur, ad ferendam sententiam in re magiae seu praestigiorum. Ergo opinio Ebers suam habet probabilitatem.

Expressio גם הם חרטמי מצרים suspicione non caret : quodsi enim חרטמים adscripsit auctor declaraturus, quinam essent illi חכמים et מכשפים, primum confirmatur, quod modo dicebamus, מכשפים per se h. l. non edicere magos, et praeterea admirationem facit, cur non auctor missa illa voce non satis clara illico in priorem sententiae partem substituerit חרטמים. Adverte, quam facile גם הם oriri potuit corruptione e גם ה (*LXX*) : *et fecerunt etiam magi Aegypti* etc. Consiliarii igitur Pharaonis suggessere, ut accersitis magis fieret experimentum, an hi imitari possent portentum a Moyse effectum. Reapse 7,22; 8,7 (3). 18 (14) sq.; 9,11 praestigia constanter adscribuntur solis חרטמים, et eorum nomini constanter copulatur expressio בלהטיהם seu v. 22 (sed cf. *Sam.*) בלטיהם, incantationibus suis. Similiter Gen. 41 Pharao somnii interpretationem quaerens accersit v. 8 *sapientes* et *magos*, sed ipsam interpretationem v. 24 videtur a solis *magis* exspectasse. Ceterum magos Ex. 7,11 accersitos traditio hebraea docebat fuisse duos יניס ויומבריס (*Ps. Ion.*), Iannes et Mambres (2 Tim. 3,8). Hi duo magi oppositi Moysi et Aaroni omnino comparandi sunt Balaamo prophetae Moabitarum. Non igitur illud hac narratione edicitur, quoslibet tum in Aegypto magos calluisse artem virgae in draconem mutandae etc. : sed erant archimagi duo, praestigiatores prae ceteris eximii. Efficere nititur *Ebers* p. 343 sqq., חרטבים esse unum e sacerdotum ordinibus in decreto Canopensi et alibi recensitis; sed est mera coniectura. Ceterum ordines illos diversis locis et temporibus minime sibi constitisse, disce ab *Erman* p. 391 sqq.

v. 12. « *Proieceruntque singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones; sed devoravit* » — significatione derivata verbum etiam potest verti *destruxit* — « *virga Aaron virgas eorum* ». v. 13 « *Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus* ». *Vulg.* sequitur *LXX* : ἐνετείλατο αὐτοῖς. Accuratius alii ἐλάλησεν.

2. *Plagae aegyptiacae decem* Ex. 7,14-12,36.

Sequentes *plagas* quod attinet, notandum primum, quantopere *congruant naturae Aegypti;* quo simul demonstrantur genuina traditione ad nos esse delatae. Quare missis antiquiorum religionis adversariorum cavillis ficta et impossibilia narrari causantium, recentiores contendunt narrari facta mere naturalia iis veritatis superlationibus, quae in auctore liberationem suae gentis celebrante condonandae omnino sint.

Ita plures inde a *Du Boys Aymé* : Notice sur le séjour des Hébreux en Égypte; in opere Description de l'Égypte, I. 307 sqq. Meminisse nos tamen oportet, easdem plagas a Deo, a Pharaone et a s. narratore habitas esse pro *veri nominis portentis,* quae speciali numinis ope patrata vera fuerint divinae Moysis missionis argumenta. Potestne solis naturae viribus aut ea, quam Moyses edoctus fuerat, Aegyptiorum sapientia explicari, evenisse plagas illas tempore a Moyse praenuntiato atque eo orante cessasse?

Igitur a die circiter 20^{a} Iulii ordiebantur annum Aegyptii, cuius tria numerabant tempora : ad diem circiter 20^{am} Novembris tempus, cui nomen *inundatio;* ad diem circiter 20^{am} Martii tempus alterum, *germinationem segetis;* inde ad sequentem 20^{am} Iulii tempus *messis* (*Erman* p. 469). Mense Iulio crescere incipit Nilus, exeunte Septembri tota Aegyptus inferior aquis mergitur, exeunte Octobri decrescere incipiunt aquae, decrescuntque usque ad alteram Maii partem, ut mense Octobri vicies tantum aquae, quantum mense Maio flumen effundat. Incipiente fere Iulio mense tam fluminis quam canalium aquae turbantur, *viridescunt,* foetorem edunt, vermibus scatent fiuntque hominibus, non vero piscibus, insalubres. Coloris viridis rationem assignant materiam e paludibus Aethiopiae advectam. Post aliquos dies aquae transeunt in colorem *sanguineum,* sunt vero omnino potabiles et salubres. Colorem aliqui repetunt ex humo e flumine aliquo Aethiopiae advecta, alii fortasse probabilius ex animalculis quibusdam infusoriis. Verum materia illum colorem continens subsidet in campis superioris Aegypti, ut color ille sanguineus in Aegypto media et inferiore haud observetur. Cf. *Vig.*, Bible II. 266. Hoc phaenomenon primae plagae utique est affine. « Res est admiratione digna », exclamabat *Rozière* (De la constitution physique de l'Égypte; in : Description de l'Égypte XX 325; apud *Friedreich* I. 100). « videre aquas magni fluminis mutare colorem atque in flumen sanguinis converti ». Potuere igitur etiam Deus et Moyses, effectum indicantes secundum apparentiam, loqui de aqua in sanguinem transformanda. Neque satis grave est argumentum *Vig.* l. c. p. 268, Patres Aegyptios, qui rubescentes Aegypti (superioris!) aquas bene noverint, nihilominus loqui de aquis in sanguinem mutatis : *Or.* (Hom. 4 in Ex.; *M.* 12. 317 sqq.), *Athan.* (Synopsis Scr. S.; *M.* 28. 297), *Isaias Abbas* (Or. 25 n. 15; *M.* 40. 1184), *Cyrill. Alex.* (Glaphyr. in Ex. II. 4; *M.* 69. 477; — In Os. I. 5; *M.* 71. 45 sq.; — In Io. 6,53; *M.* 73. 576.). Hi praeter Or. omnes de hac plaga loquuntur per transennam, neque eam explicare ullo nomine attentant.

Porro inundationis tempore plurimae etiamnum nascuntur *ranae,*

culices, *muscae*, oriuntur *cutis eruptiones* et, licet *pecorum pestis* potissimum grassari feratur, quo tempore minima est aquarum altitudo, potuit tamen ea aliquando ipso etiam inundationis tempore saevire : non enim certis omnino temporibus eiusmodi lues adstringuntur. Sequentes *grandinis* et *locustarum* plagae tempori germinationis segetum sunt assignandae ; et nota, etiamnum in Aegypto triticum uno saltem post hordeum mense maturescere. Ventus Chamsin, cui *tenebras* adscribemus, mensibus Martio et Aprili, minime tamen continuo, flat. Ergo si fas sit, plagas aegyptiacas eventibus naturalibus comparare, sequens se offert schema :

Primum anni tempus « inundatio » dictum, a 20. Iulii ad 20. Nov. :
1) initio Iulii aut brevi post, flumen mutatum in colorem sanguineum,
2) ranae,
3) sciniphes,
4) muscae,
5) pestis pecorum,
6) cutis eruptiones.

Secundum anni tempus « germinatio segetis » dictum, a 20. Nov. ad 20. Martii :
7) grando,
8) locustae,
9) mense Martio, ventus Chamsin gignens tenebras.

Tertium anni tempus « messis » dictum, a 20. Martii ad 20. Iulii sequentis :
10) 14ª die mensis Nisan seu extremo mense Martio *Phase*, habens cum caedem primogenitorum Aegypti, tum Hebraeorum exodum.

Secundum haec integri novem menses, totidem sed non aequalibus temporum intervallis distinctas plagas habentes, ultimam et exitialem plagam praecessere. Ex. 7,25 aliqui (*Kurtz :* Geschichte des A. B., II. 100; *Vig.* Bible II. 270 sq.) intulere singulas plagas *septiduum* durasse. Ita initium plagarum ab ineunte Iulio removetur ad medium fere Februarium sequentem nihilque habet commune cum annua Nili inundatione. Verum ostendemus ex 7,25 non effici primam plagam solummodo septiduum durasse; audacius adstruitur grando praecise ineunte Martio locum habuisse; plura alia gratuito supponuntur.

Tamen vel obiter rem consideranti patet, non ut eventus mere naturales concipi posse plagas illas. Primam certe plagam non posse intelligi de solo illo consueto rubescentium aquarum phaenomeno, indubie efficitur inde, quod illud phaenomenon *consuetum* fuerit, quotannis certo tempore eoque facile computando recurrens (*Friedreich* p. 100), ergo *signi* rationem minime habuerit. Quodsi igitur plagam cum eo

phaenomeno conferre lubeat, dicendum erit phaenomenon consuetum obtigisse modo *insueto*, non in superiore solum sed etiam in inferiore flumine, atque ea intensitate, ut aqua sanguinei coloris, quae secus salubris est, non hominibus tantum sed vel ipsis piscibus facta sit lethalis. Quod, cum phaenomeni causas nondum satis perspectas habeamus, fieri potuisse quis neget? Ceterum, quamdiu plagam revocas ad phaenomenon, quod tum iam fuerit consuetum, licet insueto modo illud evenisse adstruas, severius duri cordis accusabis Pharaonem, qui illud phaenomenon solis naturae viribus, sibi quidem non satis exploratis effectum potuit adscribere, divinae virtuti adscribere minime cogebatur. Textus omnino suggerit, illam fluminis rubescentiam tempore exodi fuisse rem prorsus *inauditam*. At, quo iure supponas, remotissimis iam aevis, uti nunc rubescunt, ita rubuisse Nili aquas? Potuit tandem ille aquae rubor aliquando incepisse, advectis primum e latibulis pridem inaccessis humo illa rubra aut infusoriis istis animalculis. Potuit, de causis fortasse mere naturalibus, prima vice obtinere ipso exodi Hebraeorum anno, intensitate maiore ea, qua postmodum obtinere consuevit, per totam Aegyptum non superiorem tantum sed etiam inferiorem, et ita ut aquae insalubres fierent non hominibus tantum sed vel ipsis piscibus. Primam dein plagam reliquae omnes, quae fluminis inundationem veluti natura sua consequuntur, inaudita tamen gravitate excepere : cf. 8,3. Quae omnia a Moyse, qui ea naturaliter praescire non posset, praenuntiata, eius nutu effecta, eo orante cessantia indubia erant neque Pharaoni impune spernenda divinae voluntatis signa. Ceterum quamdiu rubentium quotannis fluminis aquarum indolem accuratius non perspicimus, concedendum est cum *Vig.* p. 268, non cogi nos primam plagam ex annuo illo phaenomeno interpretari. Etsi, quod durius est, non defendamus aquam in verum sanguinem esse mutatam, at potuere aliis de causis et color aquae mutari, et eadem corrumpi, hominibusque et piscibus fieri noxia. Tamen quam retulimus explanatio planior videtur atque probabilior.

Mira arte Deus singulas plagas veterum hominum de rerum natura cogitatis adaptavit, quo illud exprimeret, omnes mundi visibilis virtutes Iahve subesse et cum Iahve contra Pharaonem dimicare. Sc. mundi aspectabilis tres antiqui novere provincias (Gen. 1) : terram, coelum, mare. *Terrae* tribuntur quatuor binarii plagarum, *coelo* binarius unus, *mari* portenta virgae duo. Terra quatuor habet elementa, quae singula videntursingulos plagarum binarios habere. Primum *aquae* corrumpuntur et ex aquis (8,3) nascuntur ranae. Utrumque portentum imitantur magi. E *terra* (e pulvere terrae 8,16) nascuntur sciniphes et muscae. Prius iam portentum omnes magicas artes excedere agnoscitur. Pestis

animalium et ulcera tribuenda videntur esse *igni*, non solum quod tempore anni calidissimo erumpere consueverint et animantia exurere concipiantur, sed imprimis ob symbolum cineris 9,8 adhibitum et 9,9 expressionem « inflammationes » (Vulg. « vesicae turgentes »). Contra animalium pestem, quod contextus docet, nihil possunt magi, ab ulceribus ne ipsos quidem se defendere valent; in sequentibus portentis non comparent; e contra iam incipiunt Aegyptii ipsi pro dimittendis Hebraeis apud Pharaonem intercedere, illos urgere et adiuvare (9,20 sq.; 10,7; 12,33. 35 sq.). Tandem *aer* seu ventus (cf. 10,13. 19) affert grandinem et locustas. Ubi terrae elementa suas plagas profuderunt, ad certamen prodit *coelum*, primum tenebris omnia obvolvens, dein Iahven habens primogenitos percutientem, qui non aliunde quam de coelo egredi concipitur. Tot exhaustis plagis *mare* tandem (14,16. 26) ad nutum virgae recedens et revertens Aegyptios absorbet, Iahve victoriam complet. Etiam quoad effectum, quem in Pharaone nanciscuntur, eosdem secernere est portentorum binarios. Effectu caret portentum primum, pro aquis corruptis regi praesto erant vinum et cerevisia; at ubi ranarum plaga omnia pervasit et conspurcavit, Moysen ut apud Iahven intercederet rogavit seque populum ad sacrificium dimissurum promisit. Similiter sciniphes Pharaonem non moverunt, qui foris potius (8,17 « in iumentis ») et in locis apricis se contineant; at muscae, quae « domos » (8,21) etiam invasere, eum compulere, ut trium dierum in desertum iter pro sacrificio concederet. Tamen ita iam induratus est Pharao, ut tertii binarii neutrum portentum eius flexerit animum : unde alteram portentorum seriem 9,13-17 solemniori comminatione Moyses exorditur. Iam singula portenta suum penes Pharaonem nanciscuntur effectum : in grandine Moysis intercessio expetitur, dimissio promittitur; vel ante locustarum plagam se paratum profitetur Pharao ad solos viros ad sacrificium dimittendos, et saeviente plaga ut Moyses intercedat postulat; in plaga tenebrarum praeter greges concedit omnia, in nece primogenitorum nihil omnino reservat.

Priorum novem plagarum censet *Dillm.* enarrasse A primam, secundam, tertiam, sextam, qui idem etiam retulerit portentum praevium 7,8-13; C primam, secundam, quartam, quintam, septimam, octavam; B primam, quartam, septimam, octavam, nonam. A refert mandatum a Deo Moysi et per Moysen Aaroni datum (sed hoc alterum 9,8 sq. cum priore in unum coalescit), portentum producit ope virgae Aaronis (sed ea 9,8 sqq. desideratur), magorum acta recenset. C refert Deum iubentem Moysen, ut Pharaonem adeat et moneat, quandoque tempus futurae plagae describit, plagam ab ipso Iahve effectam narrat, Pharaonem producit ut Moyses intercedat rogantem, fusius refert sermones apud Pharaonem habitos quam ipsam plagam. B virga Moysis portenta operatur, post quae Pharao aliqua concedit, non tamen omnia a Moyse petita. Multa recensentur idiomata auctoris C, i. e. eius auctoris, qui

totam fere posteriorem Geneseos partem narraverit, quemque nos libentes admittimus. Aliorum id solum affertur, A obdurationem exprimere formula ויחזק לב פרעה (7,13. 22; 8,19) vel ויחזק יהוה את לב פרעה (9,12; 11,10), B hac altera solum formula; item non dimissum populum referre B verbis ולא שלח את בני ישראל (9,35; 10,20. 27).

Cum haec omnia id ad summum efficiant, *posse* narrationem in illos tres auctores distribui, satis erit indicare, narrationem ita esse unam, ut unico auctori commode permittatur. Igitur in primis tribus portentis refertur Dei mandatum immediate ad Moysen et per Moysen ad Aaron factum; postea brevitatis causa hoc alterum omittitur, vel fortasse ideo, quod Deus postea Moysi permiserit per se ipsum efficere portenta. In tribus primis plagis imitati sunt magi portenta Moysis, in quarta et quinta (cf. 9,11) adstabant, in sexta ne adstare quidem valuere, in sequentibus sine dubio abfuere. Moysis intercessionem expetit Pharao primum rarius, postea frequentius : hinc in plaga septima et octava, quae segetes absorbebant, et in nona, quae omnia tenebris ac terrore opplebat; in prioribus vero sex plagis solae ranarum et muscarum plagae intercessionem habent, quae animalcula in ipsas undique domos penetrabant. Quoties Pharao (excepta septima plaga) Moysis intercessionem expetebat, aliquid gratiae etiam ipse concedere paratus erat, sc. 8,8 sacrificium et 8,25-29 sacrificium vel extra fines offerendum; 10,7-11 solos viros dimittere, 10,24 solos greges retinere cupit. Moyses paucioribus verbis priores plagas annuntiat, gravi et facundo sermone posteriores.

a. Plagarum series prior. Ex. 7,13-9,12.

Binarius 1. : *plagae ex aqua* Ex. 7,14-8,15.

1α plaga : aqua in sanguinem conversa Ex. 7,14-24.

Arg. — Moyses Pharaoni occurrens portentum Iahve nomine praenuntiat, mox per Aaronis virgam operatur. Malefici portentum in quibusdam aliis aquis imitantur. Aquae vero cum flumine connexae omnes mutantur in colorem sanguineum, fiunt hominibus piscibusque insalubres. Qua plaga Aegyptiorum vulgus ad extremas angustias redigitur, Pharao autem immotus perseverat.

v. 14 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum* ». v. 15 « *Vade ad eum mane* », uti item 8,20 (16); « *ecce egredietur ad aquas* », nescimus qua de causa, fortasse aurae frigidioris causa (*Targ. Hier.*); « *et stabis in occursum eius super ripam fluminis; et virgam, quae conversa est in draconem, tolles in manu tua* », v. 16 « *dicesque ad eum : Dominus Deus Hebraeorum misit me ad te dicens : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto; et usque ad praesens audire noluisti* ». v. 17 « *Haec igitur dicit Dominus : In hoc scies, quod sim Dominus* ». Cf. 5,2, ubi negaverat Pharao, se nosse Iahve. Nunc igitur iam experimento discet Pharao, eum, qui per Moysen loquatur, vere esse Iahve; non quasi Pharao perspecturus sit, quam apte vox hebraea eius nu-

minis naturam exprimat; sed perspecturus est, quam plene eius numinis acta respondeant omnibus, quae illud cum suo nomine revelavit de se ipso, sc. se esse Deum Hebraeorum, habere potestatem compellendi etiam invitos, ut suis placitis obsequantur, etc. Illud *in hoc* explicavit *Ps. Ion.* « in hoc signo », idemque sensere interpretes plerique referentes ad signum, quod sequenti inciso explicatur. Ubi negari nequit, quod causabatur *Aben Esra*, durius ibidem Deum dicere : Ecce *ego* percutiam virga, quae in manu *mea* est etc.; cum tamen virga v. 15 fuerit in manu Moysis. Sed בזאת verte *nunc* (cf. v. 23 לזאת), opponiturque praecedenti עד כה. Quae vero sequuntur, non sunt verba Dei per Moysen Pharaoni, sed verba Moysis suggerente utique Deo ad Pharaonem dicenda : « *Ecce percutiam virga, quae in manu mea est, aquam fluminis et vertetur in sanguinem* ». v. 18 « *Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur et computrescent aquae* » — *Hebr. flumen* — « *et affligentur Aegyptii bibentes aquam fluminis* ».

LXX pro ונלאו h. l. uti v. 21 ולא יכלו. — Post. v. 18 *Sam.* addit : *Et ivit Moyses et Aaron ad Pharaonem et dixerunt ad illum : Iahve Deus Hebraeorum misit nos ad te, ut diceremus : Dimitte populum meum, ut serviant mihi in deserto; et ecce, non audisti usque nunc. Haec igitur dicit Iahve : Nunc cognosces, quia ego sum Iahve. Ecce ego percutiam virga quae in manu mea est, aquam fluminis et vertetur in sanguinem; pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquae, et affligentur Aegyptii bibentes aquam fluminis.* Dein sequitur v. 19. In hac lectione planior est contextus cum sequentibus, quatenus ea nomen habet Aaronis, cuius mox v. 19 habetur mentio; tamen hoc uno non redditur lectio prae altera probabilior. Ceterum lectio Sam. omnia bis repetens dubium movet, annon genuina lectio medium quemdam inter duas has lectiones occupet locum. Finge v. 17, post verba « Haec igitur dicit Iahve : Nunc scies, quod sim Iahve », immediate fuisse illud totum, quod Sam. habet adiectitium : tum et narratio habetur minus diffusa, et v. 17 eliminatur, quantulacunque post nostram, quam dedimus, explicationem superest, asperitas. Tamen rem in medio relinquimus. Primam plagam in aquis fluminis effectam esse ait *Theodoret.*, cum quod in suo flumine gloriarentur Aegyptii, tum ob Hebraeorum parvulos in idem flumen demersos.

v. 19 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam* » — *LXX in manu tua* — « *et extende manum tuam super aquas Aegypti* », « elevando virgam contra omnem partem Aegypti » (*Tost.*); id vero omnino satisfacit etiam voci *percutiam* v. 17, quae non necessario de physica percussione est intelligenda. Iam copulam immediate sequentem praeter *Vulg. LXX* ignorant omnes : non copulatur quidquam aquis, sed quid universali hoc *aquarum* nomine veniat explicatur : sc. primum *fluvii*, i. e. Nilus in inferiore Aegypto in brachia divisus ideoque plurali numero expressus; secundo (ignorantibus copulam *Hebraeo* et *Chaldaeo*, sed eandem supplenti-

bus codicibus pluribus cum versionibus) יארים, qui pluralis vix non semper (Ez. 29,3 sqq.; Ps. 77,44; Is. 7,18; 19,6; 37,25) *Nili canales* designat; tertio (ubi copulam habent omnes) אגמים i. e. *paludes* seu *stagna*, quibus Aegyptus inferior abundabat, quaeque tempore inundationis sane unum erant cum ipso flumine et canalibus aequor. Sed quid intelligitur quarto per ועל כל מקוה מימיהם, *et super omnes congregationes aquarum ipsorum?* Gratuito supplet *Tost.* « congregationes aquarum pluvialium », et explicat *Cai.* « putei et cisternae », quibus certe non favet, qui ex Gen. 1,10 eruitur, vocis מקוה sensus. Hi sc. auctores cum aliis pluribus putabant exprimi genus aliquod aquarum in prioribus nondum recensitum. Sed adiecta vox *omnis* indicat potius rursum resumi omnia aquarum genera, ut idem sint *omnes congregationes aquarum ipsorum* atque *aquae Aegyptiorum*, complectanturque *flumina, canales, paludes.* Aut, si dicas expressionis hunc esse generaliorem sensum, ut omnes universim congregationes aquarum designentur, sive eae in prioribus expressae sint, sive non, tamen contextu v. 17 Moysis percutientis aquas *fluminis* expressio coarctari videtur ad aquas quodammodo cum flumine connexas, non vero pluviales aut domi in vasis asservatas. — « [*et*] *super fluvios eorum et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem; et sit* » — והיה recte *Hebr. Vulg. Chald. Aq. Symm.* contra *Sam. LXX Theod.* ויהי — « *cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis* ». ובעצים ובאבנים, ubi inde a *Targumim* supplevere interpretes *vasa*, at prorsus arbitrarie. Aegyptii vasa e *ligno* vix conficiebant, partim ob aptarum arborum penuriam (cf. *Erman* p. 600 sqq.); vasa vix non omnia conficiebantur ex *argilla.* Sane tria ב potius varias *regionis* divisiones exprimi suadent; illud de *vasis* in priore versus parte fuerat enuntiandum. Lectio annon sit defigurata, nescimus.

v. 20 « *Feceruntque Moyses et Aaron, sicut praeceperat Dominus; et elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis eius* ». Censet *Dillm.* haec e duobus documentis esse consuta, omissa altera sententiae parte subiecto *Moyses :* sed si qua vox omissa est aut excidit, cur non aeque supponatur excidisse subiectum *Aaron?* Porro secundum dicta prorsus idem est *aqua fluminis* (sing.), atque v. 19 *aquae Aegypti.* « *Quae versa est in sanguinem* ». *Hebr. : et versa est omnis aqua, quae erat in flumine, in sanguinem.* v. 21 « *Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt, computruitque fluvius, et non poterant Aegyptii bibere aquam fluminis; et fuit sanguis in tota terra Aegypti* ».

v. 22. « *Feceruntque similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis* », postquam, inquit *Cler.*, Moyses et Aaron aquam ad pristi-

num suum statum revocassent. Id gratis supponitur vixque consonat versui 25, pro hac plaga saltem septiduum statuenti. *Ps. Ion.* gratuito item supponebat (cf. 8,22; 9,4. 26; 10,23; 11,7) aquam terrae Gessen ab Aaron non esse in sanguinem mutatam; quam aliqui maleficis mutandam permisere. Meminisse oportet, v. 19 solas fluminis et cum flumine connexas canalium et paludum aquas referre mutatas : ergo malefici alias aliquas transmutavere; satisque sapienter *Theodoret.* marinas suggerit, non quidem in Aegyptiorum domos illatas, sed litus Taniticum subluentes. Quarum aliquam partem potuere malefici, praesertim influentibus fluminis undis sanguineo rubore tinctis, transmutare. « *Et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut praeceperat Dominus* », vel potius *praedixerat*, cf. v. 3. Cf. etiam v. 11 et 13. v. 23 « *Avertitque se et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice* ». v. 24 « *Foderunt autem omnes Aegyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis* ». *Ios.* putat eandem aquam et Aegyptiis exstitisse exitialem, et Hebraeis salubrem. An fodientes nacti sint, quod quaerebant, textus explicite non affirmat; longius progressus *Bonfr.* ait : « ut perfecta esset haec plaga, conveniebat etiam, ut hae aquae in terrae venis latentes in sanguinem conversae essent ».

2a plaga : ranae Ex. 7,25-8,15.

Arg. — Probabilius priore plaga adhuc perseverante secuta est plaga ranarum e corruptis aquis infinito numero pullulantium. Quae nullam plebeiorum principumve distinctionem admisere, in secretiora domorum loca, imo in ipsos cibos penetravere, omnia conspurcavere. Plagam etiam auxere magi, sed eandem revocare minime valuere. Prolixius haec describuntur, quo perspiciatur quomodo adactus sit Pharao ad Moysis apud Iahve intercessionem expetendam; quin ulla sit ratio unius textus duobus diversis scriptoribus attribuendi. Pharao se populum ad sacrificium dimissurum esse promittit, mox promissa revocat.

Theodoret. : « Aquae ebullierunt ranas pro pueris in illas demersis. Nam pueri incessu ranas imitantur et, cum nondum solis pedibus niti queant, manibus supplent pedum imbecillitatem ». *Tost.* censet loquaces ranas puerorum mortem exclamasse et vindicasse, et *Sylv.* ranarum coaxationes comparat puerorum gemitibus. Minus temerarie *Vig.* p. 273 sq. commemorat numen quoddam Aegyptiorum capite ranae depingi solitum, cui munus tributum fuerit coercendarum ranarum; secundam plagam eius numinis impotentiam demonstrasse, uti primam Nili. Quodsi eiusmodi analogias pro prioribus duabus plagis acceperis, difficultatem in eiusmodi pro sequentibus plagis demonstrandis experieris.

v. 25 « *Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium* ». Post hunc versum notatur parascha; textus vero noster hebr. sequentes quatuor versus trahens ad cap. 7, contextum narrationis cum 8,5 sqq. utique ignorat. Equidem putaverim 7,25 intime iungendum esse cum 8,1 : Impletisque diebus septem, postquam percussit Dominus fluvium, dixit Dominus etc. (*Tost.*). Ita de duratione primae plagae illud tantum definitur, durasse eam septem saltem dies; probabilius diutius duravit fuitque saltem sequentis plagae aequalis. צפרדע, quod solum Ps. 77 (78), 45; 104 (105), 30, locis hanc plagam celebrantibus, legitur, probabilius (*Franc. Delitzsch :* Kommentar über die Psalmen, 4ª ed. Leipzig 1883, p. 564) una cum rana bufonem etiam designat : an is h. l. etiam exprimatur, non liquet. Porro tempore annuae inundationis frequentissimae in Aegypto sunt ranae, vocibus somnum dispellunt : sapienter igitur monet *Calm.*, portentum cerni non tam in re quam in modo, in ranarum sc. insolita prorsus frequentia ad Moysis vocem pullulantium.

Cap. VIII v. 1 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem et dices ad eum : Haec dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi* ». Cf. 5,3 ; 7,16. v. 2 « *Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis* ». *Masor.* et *LXX* exprimunt articulum : quaestio est punctationis, difficultatem habens nullam. « Sic a ranis civitatem in Gallia pulsam ex Varrone scribit Plinius VIII. 29, et Abderitas propter intolerandae multitudinis ranas et mures, relicto patrio solo et antiquis habitaculis, emigrasse novasque sedes quaesiisse Paulus Orosius III. 23 » (*Sylv.*). Simile quid de Paeonia et Dardania tradit Athenaeus VIII. 6 (*Calm.*). v. 3 « *Et ebulliet* », i. e. « producet in maxima copia » (*Vat.* et cf. Gen. 1,20), « *fluvius* » itemque, quod e v. 5 colligitur, canales et paludes, « *ranas, quae ascendent* » de aquis (*Tost.*) « *et ingredientur domum tuam* », — *Sam. LXX* inserto iod, sed minus probabiliter, *domos tuas* — « *et cubiculum* » (cf. Gen. 43,30; *Sam. LXX* rursum scribunt pluralem) « *lectuli tui, et super stratum tuum* » (*Sam. LXX* plur.), quae vox Gen. 47,31 stratum designat, in quo aegrotus decumbit; et etiam h. l. lectum designat, non vero stratum, in quo quis epulis accumbat (*Tost.*), cum Aegyptii sedilibus seu thronis in conviviis uterentur. Habetur ergo his gradatio, ut ranae persecuturae sint Pharaonem intra domum, in conclave interius, in ipsum lectum. Iam plaga ad alia etiam extenditur, sc. ad *domos* (minus feliciter *Hebr. Chald. Syr. domum*) servorum universique populi (pro ובעמך *LXX* verius ועמך : facile e v. 4 irrepsit ב), ad *furnos* (תנור, quem sensum vox etiam in lingua chald. habet; depictos vero eiusmodi furnos habes *Ebers*,

Aegypten p. 332), et ad *mactras* (μάκτρα) seu alveos pistorios, in quibus massa asservabatur. Hanc enim esse vocis משארת (a שאר, massa) significationem et *Chald.* comprobat semper vertens אצותא, et alii textus suadent: Ex. 12,34; Deut. 28,5. 17 — « *et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias* [*ciborum*] *tuorum* ». Ingratus erat ranarum ubique domorum, imo in ipsis lectis concursus; ingratior in furnos et mactras irruptio, quo et cibi foedarentur, et quandoque ranae emortuae in ipsis cibis reperirentur. Cogita, quam munditiei amantes fuerint Aegyptii. v. 4 « *Et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos intrabunt ranae* ». Nemo ab ea plaga immunis erit. Tamen expressio (cf. v. 1 et Gen. 19,5) nequaquam edicit (*Kn.*) ranas in ipsas personas esse insulturas, quod a ranarum indole potius abborret, sed v. 3 dicta repetit. Ranarum vero in domos ingressus non erat (*Tost.*) veri nominis miraculum : ingrediebantur, quia, cum tot essent numero, neque satis spatii neque satis alimenti sub divo reperiebant.

v. 5 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Extende manum tuam* » — reliqui *cum virga tua* — « *super fluvios ac super rivos et paludes, et educ ranas super terram Aegypti* ». Addit *Sam. : Et dixit Moyses ad Aaron : Extende manum tuam cum virga tua, et ascendant ranae super terram Aegypti.* v. 6 « *Et extendit Aaron manum super aquas Aegypti, et ascenderunt ranae operueruntque terram Aegypti* ». v. 7 « *Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Aegypti* ».

v. 8 « *Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum, ut auferat ranas a me et a populo meo; et dimittam populum, ut sacrificet Domino* ». Forte maleficos rogaverat, iique non potuerant ranas auferre. Qui 5,2 ignorare se Dominum erat professus, iam novit Dominum e portentis (cf. 7,5) ab eoque solo salutem obtineri posse agnoscit. A plaga sanguinis liberari non petiverat, quam rex et aulici minus senserant, vino usi pro potu : ranae vero tam divites quam pauperes torquebant. Cf. *Tost.*, *Sylv.* v. 9 « *Dixitque Moyses ad Pharaonem : Constitue mihi, quando deprecer pro te et pro servis tuis et pro populo tuo, ut abigantur* », seu verius *destruantur*, « *ranae a te et a domo tua et a servis tuis et a populo tuo, et tantum in flumine remaneant* ». « Ut potestatem Dei exterminatis pro arbitrio ranis demonstraret Moyses, Pharaoni indixit, ut certam diem ad eas interimendas destinaret; quod ab illo factum est pariter, ne magi sibi gloriam usurparent, virtute sua se bestias illas subduxisse, vel spargerent in vulgus sponte interiisse » (*Calm.*).

התפאר עלי. Significatio *constitue mihi*, τάξαι πρός με radici haud consonat. Paraphrases potius tradunt *Chald. : pete tibi portentum et constitue tibi tempus; Syr. : pete tibi tempus.* Felicius vertunt *Ps. Ion. :* « Lauda animam tuam propter me », et *Targ. Hier. :* « confide in me ». Sc. hebraeum vertendum est *glorificare super me;* cuius expressionis sensus aut hic esse potest : glorificare seu gloriare contra me (Iud. 7, 2; Is. 10,15); aut : glorificare seu gloriare propter me. Planissima expositio est *Munsteri* (in opere : Critici Sacri) : gloriare propter me, i. e. bono animo esto, petita perficiam. *Cai.* censet, eam gloriam a Moyse accipere Pharaonem, ut is ei diem definiendum permittat; *Malv.* moneri Pharaonem autumat, ut non in magis, sed in Moyse glorietur et confidat. Quae longius petuntur.

v. 10 « *Qui respondit : Cras* ». Ubi monet *Cai.*, non huic plagae septiduum (cf. 7,25) permisisse Pharaonem. Quamdiu ea duraverit, non legimus. Aliquos ei dies licebit assignare, « tum ut eius acerbitatem perfectius experirentur omnes Aegyptii, tum quia non est credibile Pharaonem diu distulisse vocare Moysen pro illius ablatione » (*Sylv.*); ne tamen *statim* eundem vocaret, repugnasse crediderim Pharaonis superbiam. At cur non *statim* orare Moysen iussit Pharao? Adverte, licet Moyses quaesierit de tempore, quando *orandum,* quod tamen pro crastina die postulaverit Pharao, fuisse non tam orationem quam plagae cessationem. Hanc autem circa vesperam Moysen alloquens postulabat, ut efficeretur *cras,* « ut tempus orandi daret » (*Men.*). Supponitur Moyses tota nocte Deo esse supplicaturus. « *At ille : Iuxta, inquit, verbum tuum* [*faciam*], *ut scias, quoniam non est sicut Dominus Deus noster* », ideoque populum dimittas. v. 11 « *Et recedent ranae a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo : et tantum in flumine remanebunt* ». v. 12 « *Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone; et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione* » seu *negotio* (דבר) « *ranarum, quam condixerat Pharaoni* ». v. 13 « *Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi* », non manu nec virga aut Moysis aut Aaronis hac in re usus (*Cai.*), « *et mortuae sunt ranae de domibus et de villis et de agris* », de omnibus praeter flumen locis. v. 14 « *Congregaveruntque eas in immensos aggeres* » — *Hebr. acervatim*, — « *et computruit terra* ». « E rananum corruptione ortae varii generis muscae et insecta plurima, quibus tertia in Aegyptum plaga a Deo inflicta. Quamvis enim hae plagae prodigio deputandae sint », inquit *Calm.*, « in illis tamen inducendis Deus usus est apta naturae et causarum secundarum habitudine ». v. 15 « *Videns autem Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus* », cf. 7,22.

Binarius 2. : *plagae e terra* Ex. 8,16-32.

3a plaga : sciniphes Ex. 8,16-19.

Arg. — Haec plaga paucis absolvitur. Portentum erat in culicum infinito numero ad nutum Aaronis pullulantium ; item in eo, quod illud omnes magorum artes excedere indubie agnosceretur. Probabilius, uti prima plaga secundae, ita haec tertia quartae aequalis exstitit, ut nonnisi una tandem cum muscis etiam sciniphes exterminarentur. Pharao immotus permansit.

כנים semper scribit *Sam.*, dum *Masor.* v. 17 sq. etiam punctent הַכִּנָּם, de eadem evidenter re loquentes. Cf. *Dillm.* — *Ios.* vertit *pediculos* ; *Targumim* et *Syr.* קַלְבוּא, quae vox praeter pediculos alia similia animalia exprimit. Talmudicum כנה de variis animalculis alis carentibus usurpatur : pediculo, pulice, verme. *Vulg.* vocem mutuata est a *LXX* σκνῖφες. Hoc animalculum *Philo* (Vita Moys. p. 97 m.) ait esse permolestum, non cutem solum pungens, sed in nares etiam et aures et oculos involans. *Or.* (Hom. 4 in Ex. ; M. 12. 322) : « Hoc animal », inquit, « pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat ; corpus tamen, cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita ut quem volitantem, quis videre non valeat, sentiat stimulantem ». Cum hac virorum, qui in Aegypto vixere, descriptione concordant alii. Teste *Suida* σκνίψ erat ζῶον κωνωπῶδες, teste Etym. magn. erat πτηνὸν κωνωποειδές. Alia vide ap. *Dillm.* Dices, his tantum effici, LXX כנים interpretatos esse sciniphes. Esto : at LXX in Aegypto diu ante auctores Targumim scribentes et rem penitius poterant perspicere, et veram traditionem certius haurire. Expressio pulveris percussi in sciniphes mutati designat animalia minuta, alata, quae e pulvere nasci videantur. Quod reapse dici potest de omni culicum genere, non vero de pediculis, qui in sordibus humani corporis nascantur. Praeterea haec sane, uti praecedentes et sequentes, plaga Aegypti naturae adaptatur : iam vero pediculi Aegyptum haud magis, quam alias regiones infestant, culicum vero infinita est vexatio, maxime mensibus Octobri et Novembri, quando circumvolitantes pulverem imitantur excitatum ; ova etiam humo superiacent. Innumeri circumfremunt, pungunt, magnos excitant tuberes, ut nemini nisi tenui velo circumvoluto somnum carpere fas sit. *Cf. Dillm.*

v. 16 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron : Extende virgam tuam et percute pulverem terrae, et sint sciniphes in universa terra Aegypti* ». Quod nihil legatur de praemonito uti v. 1 Pharaone, censet *Tost.* ideo monitionem hac vice esse omissam, quia promissis v. 8 non steterat Pharao, dignus qui non praemonitus plecteretur. Advertit tamen *Sylv.*, etiam 9,28.35 non stare promissis Pharaonem, et nihilominus 10,1 praemoneri. Reapse, fueritne ante tertiam plagam praemonitus Pharao necne, ignoramus. v. 17 « *Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum virgam tenens, percussitque pulverem terrae : et facti sunt sciniphes in hominibus et in iumentis, omnis pulvis terrae*

versus est in sciniphes per totam terram Aegypti ». Haec secundum oculorum speciem dicuntur, et cum hyperbole quadam (*Sylv.*). v. 18 « *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis* », similiter atque Aaron virga, ipsi suis incantationibus egerunt (*Dillm.*), « *ut educerent sciniphes, et non potuerunt* »; non ob aliam rationem, quam eam quam ipsi assignarunt, quia Deus eorum maleficia impedivit (*Sylv.*) : per se quippe maleficiis non difficilius sciniphes quam ranae producebantur. « *Erantque sciniphes tam in hominibus quam in iumentis* ». v. 19 « *Et dixerunt malefici ad Pharaonem : Digitus Dei est hic* », *Chald. plaga a Deo est haec*. Cum secus etiam, v. g. Ps. 8,4, « digitus Dei » pro divina potentia scribatur, haec erit etiam h. l. intelligenda. Sed perperam *Aug.* (*M.* 34.604) et *Vigil. Tapsens.* (c. Arianos etc. dialogus II. 38; *M.* Patrol. lat. 62.222), quod, qui Luc. 11,20 « in digito Dei », iidem Matth. 12,28 « in spiritu Dei » dicantur eiici daemones, inferunt h. l. « digito Dei » significari S. Spiritum. Verius *Lyr.* אלהים sine articulo interpretatur de deo aliquo seu daemone, voce sensu Graecorum accepta pro spiritu, superiore et potentiore spiritibus illis, quibus malefici fidebant. A quo vix dissentit *Cai.* vocem, minus sapienter, interpretatus pluralem. Ergo : numinis cuiusdam, inquiunt, hic manifestatur potentia, cum nostris magicis artibus hoc Moysis nequeamus imitari portentum, qui alia portenta poteramus imitari. « *Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus* ». Variae hanc obdurationem fovebant circumstantiae : post primam plagam obdurabatur cor eius, fortasse quod illa plaga minus ipse afficeretur, usus vino pro aqua; post alteram plagam obdurabatur, « videns quod data esset requies », cum ipsa « patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam utilis ad poenitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo et in malo perseverandum » sit (*Aug.*); post tertiam plagam in obdurationc perseverabat, licet ipsi malefici praesens numen agnoscerent.

4*a* plaga : muscae Ex. 8,20-32.

Arg. — Plaga, eius gravitas et tempus accurate praenuntiantur; item ab ea exemptum iri terram Gessen. Dum sciniphes videntur potius extra domos se continuisse, muscae similiter atque antea ranae ubique se ingerebant, omnia foedabant. Unde Pharao, rursum Iahve potentiam agnoscere compulsus, sacrificium concedit primum intra, mox etiam extra Aegypti fines offerendum. Mox tamen concessa revocat.

ערב a radicis significatione *miscendi* interpretati sunt *mixtionem Targumim Syr. Aq. Theod.* : sed nomen non esse necessario ab hac radicis significatione derivandum, docet *Field* tradens Samaritanos interpretatos esse *corvum*, i. e. pronuntiasse

עֵרֹב, a significatione radicis *nigrum esse*. Mixtionem vero illam interpretati sunt *ferarum Syr., Ps. Ion., Ios.*; et ex eadem derivatione fluxit illud *Vulg. omne genus*. Non intelligi variorum animalium congeriem, sed unam aliquam speciem suggerit comparatio cum plagis sciniphum et locustarum, atque fere demonstrant textus Ps. 77 (78), 45; 104 (105), 31; Sap. 16,9. Igitur *LXX Vulg. Symm.* intellexerunt *muscas*, κυνόμυιαν (Sap. 16,9 μυιῶν). Reapse דבֹרִיב, *musca* Is. 7.18 symbolum est ipsius Aegypti. Et nota has in Aegypto magnum afferre incommodum, earum quandoque plurimas myriadas ab austro afferri, adoriri homines et pecora. Solent autem illae muscae circa palpebras hominum considere, loca sc. humidiora, unde frequens nascitur ophthalmia, maxime apud infantes. Sunt etiam aliqua muscarum genera, quorum morsus non solum est molestus, sed hominibus et animalibus perniciosus. *Vig.* p. 277. Adverte non raro advehi ita, ut in unum pagum irruant, alio abstineant, unde perspicias, etiam quod v. 22 de servanda terra Gessen dicitur, non esse omnino praeter leges naturae factum. ערב autem nunquam plurali scribitur numero, sed singulari collectivo; v. 24 venit ערב *gravis* : si a *miscendi* radice vocem repetas, poteris intelligere *examen*. — Cf. *Dillm.* — Muscarum plaga alias etiam legitur fuisse intoleranda : quare Accarone colebatur Beelzebub, Baal Muscarum, et apud Graecos Zeus seu Hercules Ἀπόμυιος (*Calm.*).

v. 20 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Consurge diluculo et sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas* ». Idem legebatur 7,15, sed non 8,1. *Sylv.* advertit, nos non edoceri, an praecedens plaga iam sumpserit finem. « *Et dices ad eum : Haec dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi* ». v. 21 « *Quodsi non dimiseris eum, ecce ego immittam in te* » (nota duplex מִשְׁלַח, *Sam.*) « *et in servos tuos et in populum tuum et in domos tuas* [*omne genus*] *muscarum; et implebuntur domus Aegyptiorum muscis* [*diversi generis*], *et universa terra, in qua fuerint* » *Aegyptii*. v. 22 « *Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscae; et scias, quoniam ego Dominus in medio terrae* ». Radix פלא vel בלא primitus significat *segregare*, hinc *illustrare, mirabilem facere*. Cum verbum 9,4 et 11,7 construatur cum בין, sane cum *Chald. Syr.* praestat vertere *segregabo*, sc. eximendo a plaga, qua exemptione utique etiam evadet terra Gessen *mirabilis*. Formula « ut scias, quoniam ego Iahve » idem sonat, atque « ut scias, quoniam ego et vere exsisto, et is sum quem me esse praetendo, et ea efficere valeo, quae postulo ». Ergo additae voces *in medio terrae* exprimunt, Iahven, cum talis sit, non posse a finibus Aegypti regia voluntate aut magicis artibus excludi, esse intra Aegyptum, imo in medio Aegypti, loco Pharaonis maxime proprio : est enim simile « ductum a regibus, qui sedem ponunt in medio regni sui » (*Drus.*). Hoc malefici v. 19 nondum fassi fuerant (*Dillm.*). *LXX : Deus universae terrae. Targ. : dominans in medio terrae.* v. 23 « *Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum. Cras erit signum istud* ».

Pro האת הזה *LXX* זאת בארץ. — פדת (*Hebr. Sam. Chald.*) non est *divisio*, sed *redemptio* : constructio cum בין durior. Annon habetur tautologia inter hanc et praecedentem sententiam? *Tost.* putat edici, in ipsa terra Gessen differentiam adstrui inter Hebraeos et Aegyptios eandem incolentes, hos affligendos muscis, non illos. Quibus novum effingitur miraculum non satis concordans generali v. 22 affirmationi non fore ibi muscas. Non adstringitur auctor inspiratus generi dicendi, quam maxime fieri possit, conciso.

v. 24 « *Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima* » — *LXX* πλῆθος; *Sam.* additum habet ביאד, qui etiam ante hunc versum Moysen inducit v. 20-23 dicta directa oratione ad Pharaonem proloquentem. *Cai.* monet, hac vice miraculum fieri a Deo non adhibente neque Moysen neque Aaron neque virgam : vel potius dicamus haec non exprimi, quin fas sit inferre non esse adhibita — « *in domos Pharaonis et servorum eius, et in omnem terram Aegypti* ». Ultima verba *Masor. Chald.* trahunt ad sequentia; sed verior constructio *Vulg. LXX Syr.*, cui accedit *Sam.* feliciter ignorans copulam ante בכל. Omnes praeter *Hebr. Chald.* copulam legunt ante תשחת. « *Corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis* ». v. 25 « *Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis : Ite et sacrificate Deo vestro in terra [hac]* ». Recte pronomen addit *Vulg.* : dimidium eorum, quae Deus exigebat, concedit Pharao, sacrificium sc., sed non in deserto offerendum. v. 26 « *Et ait Moyses : Non potest ita fieri : abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quodsi mactaverimus » abominationes Aegyptiorum*. — sed *Vulg. Syr. Chald.* explicantes substituunt « *ea, quae colunt Aegyptii* » — « *coram eis, lapidibus nos obruent* ». Igitur *abominationem Aegyptiorum* interpretantur *Vulg. Syr. Chald.* ea, quae Aegyptii colunt; *Dillm.* ea, quae Aegyptii sacrificari nefas censent. Adverte, primariam rationem, cur Moyses in Aegypto sacrificare detrectaverit, fuisse Dei mandatum sacrificandi in deserto; rationem vero h. l. prolatam praetextum fuisse potius, a quo nullum censendus est Moyses sensum exemisse, quo Pharao ad Hebraeos dimittendos moveri potuit : ergo utraque interpretatio supra descripta retinenda est. Noratne Moyses, cuius generis animalia sibi Deus pro sacrificio esset postulaturus? Merito supponebat, genera fore eadem fere, quae a patriarchis immolabantur. Et nota, plura in deserto oblata esse sacrificia, antequam Deus ritum sacrificii mosaici promulgavit : 17,15; 18,12; 20,24; 24,5. Furor popularis inter Hebraeos iam Moysis aevo (cf. 17,4) lapidationi indulgebat; de qua nondum quidquam Aegyptiorum monumenta nobis prodidere. Sequenti versu pro יאבור cum *Vulg. LXX* legendum est אבור. v. 27 « *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, et sacrificabimus Domino Deo nostro sicut praecepit nobis* ». v. 28 « *Dixitque*

Pharao : Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto : verumtamen longius ne abeatis. Rogate pro me », ut a plaga muscarum liberer (v. 29). v. 29 « *Et ait Moyses : Egressus a te, orabo Dominum, et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo eius cras* ». Hac vice non uti v. 10 Pharaoni dies determinandus permittitur. « *Verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino* ». v. 30 « *Egressusque Moyses a Pharaone oravit Dominum* ». v. 31 « *Qui fecit iuxta verbum illius et abstulit muscas a Pharaone, et a servis suis, et a populo eius : non superfuit ne una quidem* ». v. 32 « *Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum* ».

Binarius 3 : plagae ex igne (?) Ex. 9,1-12.

Arg. — Hae plagae, cariturae ambae in Pharaone effectu, paucis expediuntur. A Moyse praenuntiantur et efficiuntur ; a priore et utique etiam a posteriore plaga terra Gessen eximitur. Crediderim, uti primam et tertiam durante secunda et quarta, ita quintam plagam durante sexta perseverasse. Ipsi magi ulceribus foedati regis aspectu excluduntur, dum sacra regis persona servatur intacta.

5ª plaga : pestis pecorum Ex. 9,1-7.

Pecudum *pestis* in Aegypto non infrequens. 1786 tot boves peste abrepti sunt, ut agri buffalis fuerint procurandi. Similis strages anno 1842 obtigit. Quandoque boves e Syria et insulis accersendi, qui emortuorum locum occupent. Lues erumpit fere, quando fluminis aquae sunt maxime tenues et impurae. Cf. *Vig.*, *Dillm.*

Cap. IX v. 1 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem et loquere ad eum : Haec dicit Dominus Deus Hebraeorum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi* ». v. 2 « *Quodsi adhuc renuis et retines eos* », v. 3 « *ecce manus mea erit super agros tuos* », — sed reliqui *super pecora tua, quae sunt in agris*, et sequens *Sylv.* merito pronuntiat esse epexegeticum = *id est* — « *et super equos et asinos et camelos et boves et oves, pestis valde gravis* ». De equis et camelis apud Aegyptios, cf. quae diximus ad Gen. 12,16 et *F. Chabas* : Études sur l'antiquité historique, Paris 1873, p. 408 sqq. « Potuit quidem huius pestis initium fuisse ex naturali causa, ex ranarum sc. sciniphumque putrefactione » (*Sylv.*), et ex aquarum corruptione. v. 4 « *Et faciet Dominus mirabile* », seu potius *segregabit* (cf. ad 8,22), « *inter possessiones Israel et possessiones Aegyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quae pertinent ad filios Israel* ». Pro *possessiones*

verte *pecora*. v. 5 « *Constituitque Dominus tempus dicens : Cras faciet Dominus verbum istud in terra* ». Rursum *Sam.* inducit Moysen et Aaron omnia haec verbotenus coram Pharaone repetentes. v. 6 « *Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Aegyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit* ». Mirabatur iam *Aug.* (ad v. 19), dici hic *omnia* Aegyptiorum pecora mortua esse, cum postea alia grandine interimantur, neque Pharaonem equi ad tot currus trahendos defecerint; responditque agere textum de solis iis animalibus, quae tum essent in *agris*, non in stabulis. *Calm.* ea insuper excipit animalia, quibus in caulas esset refugium. Textus omnino sic exponi potest et debet, ut *omnia, quae* mortua sint, fuerint Aegyptiorum, Hebraeorum mortuum sit nullum; ergo absolutus mortuorum numerus nequaquam indicatur. v. 7 « *Et misit Pharao* [*ad videndum*] : *nec erat quidquam mortuum de his, quae possidebat Israel. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum* ».

6ª plaga : cutis eruptiones Ex. 9,8-12.

Dum primae tres plagae inflictae traduntur a Moyse per Aaron, dum in quarta et quinta Aaronis mentio non habetur, sexta ad nonam videntur ab ipso prae Aarone Moyse esse inflictae (9,11. 23; 10,13. 22; *Aug.*); attingebant autem eae plagae segetes et sanitatem, quae segetes Aegyptiis longe pretiosiores erant gregibus. Tandem ad ultimam plagam infligendam 11,4 Deus ipse *egreditur*. — Igitur sexta plaga non est variola, licet *Philonis* descriptio ei morbo satis quadret : variola siquidem multos interemisset, mortuorum autem in narranda plaga nulla fit mentio (*Friedreich* I. 107). Nota etiam agi de morbo communi iumentis cum hominibus, qui sit שחין פרח אבעבעת, i. e. *inflammatio erumpens in bullas*, ergo morbus cutis. Varii eiusmodi morbi (vide ap. *Dillm.*) nascuntur, quo tempore Nili aquae crescunt, quos alii aquis corruptis, alii aestui adscribunt. An hi etiam pecora afficiant, non constat. Plurima in Aegypto etiam est scabies, tam animalia quam homines afficiens. Ceterum nota, non illud textum edicere, uno eodemque cutis morbo omnes, homines aeque atque pecora, esse affectos : potuere varii esse morbi.

v. 8 « *Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron : Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in coelum coram Pharaone* », « ut Pharao videat, quod ista plaga veniat a Deo » (*Sylv.*). v. 9 « *Sitque pulvis super omnem terram Aegypti* », *Hebr. sit* (cinis) *in pulverem*. Porro cinerem illum sursum proiectum et in minutas particulas dilapsum pulveris instar circumvolitasse, per se patet : illud vero difficultatem habet, quomodo pulveris tantum, quantum duorum hominum manibus prehendi potuit, fuerit *super omnem terram Aegypti*. Ubi *Men.* cinerem censet miraculo fuisse multiplicatum, *Tost.* pulverem a cinere distinctum esse creatum. Sufficere videtur, ut pulvis ille seu cinis fuerit super omnem terram non physice, sed moraliter.

Moyses cinerem versus quatuor coeli partes spargebat, simul verbis declarabat cinerem ita sparsum symbolum esse plagae coelitus in universam Aegyptum immittendae. Apte sc. morbus contagione propagatus comparatur pulveri per aera circumlato. « *Erunt enim*] *in hominibus et iumentis ulcera et vesicae turgentes in universa terra Aegypti* ». *Hebr. : et erit* (cinis) *in hominibus pecoribusque in inflammationes etc.*, illas moraliter efficiet atque praesignat. v. 10 « *Tuleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moyses in coelum; factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et in iumentis* ». v. 11 « *Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera, quae in illis erant et in omni* [*terra*] *Aegypti* ». *Hebr.* verti potest *et in omnibus Aegyptiis*. Non puto verborum sensum necessario hunc esse (*Cai.*), maleficos attentasse hoc signum imitari. Expressio differt ab altera 7,11. 22; 8,7. 18. Cum Aegyptii munditiei essent perquam studiosi, nulla ratione fieri poterat, ut viri ulceribus foedati perseverarent coram rege et coram Moyse, qui regem adierat. Confunduntur malefici eo, quod non solum plagam aliis nequeant infligere, sed ne se ipsos quidem a plaga defendere. v. 12 « *Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen* ».

Plagarum series posterior **Ex.** 9,13-12,36.

Binarius **4** : *plagae ex aere* Ex. 9,13-10,20.

7ª plaga : grando Ex. 9,13-35.

Arg. — Priores plagae sex omnes cum fluminis inundatione quadamtenus connectebantur. Ubi iam illud anni tempus advenit, cui a germinatione segetum nomen, contra segetes convertitur Dei indignatio. Quae portentorum classis solemne v. 13-16 exordium habet, quo simul a praecedentibus evidentius discernitur. Ipsa septima plaga illustriore stilo describitur. De ea futura non sine ironia v. 17-19 Pharao edocetur, dies et hora indicitur, portenti magnitudo v. 18 emphatice annuntiatur, v. 23-25 vividius describitur; ad Moysis nutum incipit portentum, eo orante cessat; quam intercessionem efflagitaverat Pharao.

v. 13 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum : Haec dicit Dominus* » *Deus* « *Hebraeorum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi* ». Censet *Tost.*, hac etiam vice Moysen convenisse regem, quando iret ad aquas : id tamen non est certum, potuit rex metu contagionis se domi continere. v. 14 « *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas* », non omnes quas mittere possum, sed « quas in te mittere destinavi » (*Tost.*), « *super cor*

tuum » « induratum » (*Dillm.*), « *et super servos tuos, et super populum tuum : ut scias, quod non sit similis mei in omni terra* ». Omnia sequentia in unum (*in hac vice*) colligit narrator, et speciali v. 17 sqq. grandinis comminationi generalem comminationem praemittit. v. 15 « *Nunc enim extendens manum percutiam te et populum tuum peste, peribisque de terra* ». Pestem interpretantur *Tost.*, *Sa* primogenitorum interitum; *Bonfr.*, *Men.* omnes sequentes plagas; *Calm.* locustas. Longe simplicius *Ku.* hunc versum iungit sequenti : Quia vel nunc extendissem manum, et te populumque tuum percussissem peste, ut perires de terra : sed idcirco te praeservavi etc. Sic aut pestis nunquam inflicta est aut, si mavis, effecta est interitu primogenitorum. v. 16 « *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra* ». Duplex divinae longanimitatis finis : manifestatio divinae omnipotentiae, et gloria inde Deo accrescens a creaturis. Verba citat S. Paulus Rom. 9,17, addens : « ergo, cuius vult, miseretur et, quem vult, indurat ».

v. 17 « *Adhuc* » post tot plagas « *retines populum meum, et non vis dimittere eum?* » Haud refert, interrogativene accipias sententiam, an secus. v. 18 « *En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto a die, qua fundata est* », « qua incepit habitari » (*Tost.*), « *usque in praesens tempus* ». Indicitur non dies solum sed etiam hora, quo evidentius pateat calamitas a Iahve esse illata, et quo certius homines sibi praecavere possint. Recte e verbis infert *Sylv.*, quandoque in Aegypto grandinem fuisse; eam ibi, licet raro, accidere recentiores observarunt (cf. *Dillm.*). v. 19 « *Mitte ergo iam nunc, et congrega iumenta tua et omnia, quae habes in agro : homines enim et iumenta et universa, quae inventa fuerint foris nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur* ». Haec monitio adiecta est imprimis pro servis Pharaonis (*Sylv.*) : quoad Pharaonem ipsum verba habent acerbam ironiam. *Sam.* rursus inducit Moysen et Aaron verbotenus coram Pharaone repetentes verba v. 13-19. v. 20 « *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et iumenta in domos* ». Ergo per *servos Pharaonis* in tota hac narratione imprimis intelliguntur aulici, qui alios sibi subditos haberent *servos* : quam vocem *LXX* quidem ignorant. v. 21 « *Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et iumenta in agris* ».

v. 22 « *Et dixit Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in coelum* », « non quod illa manus extensio aliquid operaretur, sed ut esset signum, quod ad voluntatem Dei mandante Moyse ista grando eveniret » (*Tost.*), « *ut fiat grando in universa terra Aegypti super*

homines et super iumenta et super omnem herbam agri in terra Aegypti ». v. 23 « *Extenditque Moyses virgam in coelum, et Dominus dedit tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Aegypti* »; « h. e., lapides grandinis ita descendebant, sicut pluvia solet defluere » (*Sylv.*). v. 24 « *Et grando et ignis mista pariter ferebantur* ». *Hebr. : Et fuit grando et ignis se comprehendens* (מתלקחת) *in medio grandinis.* Sed quid est ignis se comprehendens? Globi ignei, inquit *Keil*, et favet Ez. 1,4 et *Symm.* ἐνειλούμενον, volutus (?); fulgura continuo sibi succedentia, ait *Dillm.* Mechanice vertit *Aq.* συναναλαμβανόμενον, et liberius *LXX Chald. Syr. effulgens.* Sequens כבד מאד *Vulg.* ad *magnitudinem* refert, sed sufficit referre ad violentiam : « *tantaeque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est* ». Rem poetice explicat Sap. 16,16 sq. — v. 25 « *Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta, quae fuerunt in agris, ab homine usque ad iumentum; cunctamque herbam agri percussit grando* », — istud *cuncta* intellige fere uti *omnia* v. 6 : superfuit, quod locustae destruerent — « *et omne lignum regionis confregit* », « arborum teneros ramusculos » (*Bonfr.*). v. 26 « *Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit* ». Etiam natura sua grando certis finibus continetur, pagum unum visitat, alium omittit. Quod auctor sacer in hac inaudita plane grandine describenda sit aliquando facundior (cf. quae diximus de diluvii descriptione), non est ratio supponendi variarum narrationum centones hic consui. v. 27 « *Misitque Pharao et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos : Peccavi etiam nunc* ». Vox *etiam* non est in textu, facitque Pharaonem confitentem, se non *hac vice* solum, sed antea iam peccasse (*Drus.*). « *Dominus iustus, ego et populus meus impii* ». v. 28 « *Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei* », i. e. ingentia (*Vat.*), « *et grando, ut dimittam vos, et nequaquam* [*hic*] *ultra maneatis* ».

ורב, quod potuit facile oriri corruptione sequentis וברד, videntur ignorasse *Vulg. LXX* : etenim *desinant* reddit praepositionem בין. *Chald. Syr.* paraphrasi utentes produnt sibi textum minime esse perspicuum. Versio « satis est fiendi tonitrua » (cf. *Calm.*) dura est, ביהות certe abundat, neque constructio est plane eadem, atque 3 Reg. 12,28; Ez. 44,6; verba tandem in ore Pharaonis fere sapiunt irreverentiam. — Pro ואשלחה legebant *LXX* ואש ישלחה; tamen iidem v. 29 addebant *pluviam* (cf. v. 33), textum quandoque modificant.

v. 29 « *Ait Moyses : Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum* », — « ille est gestus orantis » (*Sylv.*) — « *et cessabunt tonitrua, et grando non erit : ut scias, quia Domini est terra* », qua voce imprimis Aegyptus (cf. *Calm.*) designatur; an vero Moyses

extra civitatem habuerit aliquem locum, in quo cum Deo colloqui consueverit (*Tost.*), non liquet. v. 30 « *Novi autem, quod et tu et servi tui necdum timeatis Dominum Deum* ». Praedicit brevi futuram (*Cai.*) non Pharaonis tantum, sed quorumdam etiam magnatium (cf. v. 35) obdurationem.

v. 31 « *Linum ergo et hordeum laesum est, eo quod hordeum esset virens, et linum iam folliculos germinaret* »; v. 32 « *triticum autem et far non sunt laesa, quia serotina erant* ». Quae verba ideo potissimum inserta sunt, ut perspiciamus, quomodo post tam immanem grandinem superfuerit quidquam a locustis corrodendum. Secundario verbis adiuvamur in tempore, quo grando locum habuit, approximative definiendo. Verba quibusdam videntur non sat apto loco esse inserta : leguntur quippe inter orationem v. 29 promissam et v. 33 praestitam. Non repugnat sane, ut auctor inspiratus minus apto loco quaedam inserat. Sed quinam locus aptior erat! Si inserebantur haec inter v. 25 et 26, post absolutam grandinis descriptionem, obscurabatur antithesis inter acta v. 25 « in omni terra Aegypti », et acta v. 26 « in terra Gessen ». Si post v. 33 inserebantur, sciungebant narrationem v. 34 actorum, « postquam cessavit pluvia », a narratione v. 33 cessasse pluviam. Ubicunque ea verba inserebantur, adiectitium quid prae se ferebant : adiecta sunt igitur post narrata, quae Moyses egit apud Pharaonem, et ante narrata ea, quae acta sunt Moyse egresso a Pharaone.

Plurimum in Aegypto *linum* colebatur et tenuissima ex illo lintea texebantur : cf. *Erman* p. 594 sqq.; *Plin.* 19,1 Tanin adnumerat iis Aegypti pagis, qui optimum linum produxerint. — כסמת *far*, ὄλυρα (cf. Ez. 4,9; idemque sonat ζειά Is. 28,25), *Chald.* כוסמתא est *triticum spelta* (Linn.), quod in monumentis sculptura solet exprimi, imo panis e spelta passim in sepulcris reperitur. Vicium vero (cf. Vulg. ad Ez. 4.9 et Is. 18,25) Aegyptii ignorasse videntur. — *Hordeum* et *triticum* in Aegypto fuisse, non est cur probemus : utriusque plantae paleae lateribus insertae reperiuntur : *Erman* p. 577 sq. — Antiquitus hordeum colligebatur sexto postquam serebatur mense, triticum septimo (*Theophr.* h. pl. 8, 3; *Plin.* 18,10, 6); spelta sane, uti nunc, eodem cum tritico tempore. E recentiorum testimoniis illud indubie eruitur, triticum mense saltem post hordeum maturescere, quibus noster textus confirmatur; item tempus, quo simul hordeum virescat, linum folliculos germinet, triticum vero et spelta prima germina exhibeant, esse fere mensem Ianuarium. Tamen, cum in his aliqua observetur diversitas pro ratione tempestatis, irrigationis et agricolarum industriae, vix ausim e dictis v. 31 sq. accuratius computare tempus septimae plagae numerumve hebdomadarum, quae inter plagas intercesserint. Cf. *Kn.*, *Dillm.*

v. 33 « *Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum, et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram* » v. 34 « *Videns autem Pharao, quod cessasset pluvia et*

grando et tonitrua, auxit peccatum », v. 35 « *et ingravatum est cor eius et servorum illius, et induratum nimis; nec dimisit filios Israel, sicut praeceperat Dominus per manum Moysi* ».

8ª plaga : locustae Ex. 10,1-20.

Arg. — Portentum in hoc utique cernitur, quod plagae tempus (v. 4) et magnitudo (v. 6) accurate praenuntientur, quodque ea ad Moysis nutum incipiat eodemque orante cesset. Ubi Moyses hanc plagam comminatus est, Pharao ipsis aulicis compellentibus se paratum profitebatur ad solos viros Israelitas in desertum dimittendos; exorta plaga Moysis intercessionem sollicitat.

Sequentibus diversos auctores deprehendit *Dillm.* his nixus rationibus. 1) Dum secus, ubi Deus jussit Moysen ingredi ad Pharaonem, illico etiam quid Moyses Pharaoni dicere debeat subiungit, h. l. istud nonnisi v. 3 subiicitur. Respondeo : tota difficultas, quantulacunque ea demum sit, evanescit, dummodo advertas v. 3 pro ויבא משה ואהרן אל פרעה ויאמרו אליו *Sam.* legere ואמור אל פרעה. 2) v. 1 » ego enim induravi etc. » sensu caret, nisi post « Ingredere ad Pharaonem » suppleas « et novam annuntia plagam ». Respondeo, id reapse facillime suppleri. 3) v. 1 Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, secus dicitur Pharao ipse illud indurare. Respondeo : ne tot nuntiis incassum perlatis Moysis fatiscat animus, Deus ostendit infelicem priorum nuntiorum successum non soli Pharaoni, sed Deo item sapientissime providenti esse attribuendum..

Cap. X v. 1 « *Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem. Ego enim induravi cor eius et servorum illius, ut faciam signa mea haec in eo* », v. 2 « *et* » *ut* « *narres in auribus filii tui et nepotum tuorum, quoties contriverim Aegyptios* », — *Hebr.* eis *illuserim*, cf. 1 Reg. 6,6; *germ. :* einem übel mitspielen — « *et signa mea fecerim in eis, et sciatis, quia ego Dominus* ». בקרבו *in medio eius*, sc. Aegypti, quod ignorat Vulg.; *LXX Chald. Syr.* בקרבם. Non tam futura (*Sylv.*) induratio praedicitur, quam praeteritae ratio panditur, ne Moyses taedio afficiatur. v. 3 « *Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei : Haec dicit Dominus Deus Hebraeorum : Usquequo non vis subiici mihi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi* ». Igitur *Sam.*, initio v. 3 lectionem habens quam supra recensuimus, omnia verba usque ad illud v. 6 « Avertitque se etc. » in ore Dei ponit ad Moysen loquentis; dein pergit « Introierunt ergo etc. », et omnia v. 3-6 rursus verbotenus repetit tamquam ex ore Moysis et Aaron ad Pharaonem profecta. v. 4 « *Sin autem resistis et non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos* », v. 5 « *quae operiat superficiem terrae, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit*

grandini »; — *Hebr. : residuum erasionis* (cf. 1 Par. 4,43), *quod superfuit vobis de grandine* — « *corrodet* [*enim*] *omnia ligna, quae germinant in agris* ». Ergo destructura erat locusta primum eam cerealium partem, quae grandinem evaserat, sive quod tempore grandinis nondum germinasset (triticum, spelta), sive quod grando non omnes tandem agros attigisset; praeterea ea arborum folia, quae post grandinem erant nata. *LXX* בעת מהר, uti 9,18.

ארבה *locusta*, a רבה *multum esse*, frequentissima est in regionibus Orientis, quandoque multa passuum millia regionis operit, solem obscurat, herbam omnem et folia vorat, domos penetrat, trabes corrodit; vento advehitur, vento iterum asportatur; id ni fiat cadaverum foetor aerem corrumpit, lues generat. Vento si quando in Aegyptum vehantur, hieme aut vere ibidem comparent. Cf. *Vig.*, *Kn.* Huic igitur plagae cum Nili inundatione nihil erat commune.

v. 6 « *Et implebunt domus tuas et servorum tuorum et omnium Aegyptiorum : quantam non viderunt patres tui et avi, ex quo orti sunt super terram usque in praesentem diem. Avertitque se et egressus est a Pharaone* », « satis ex vultu, gestu aliisque indiciis advertens Pharaonem manere obstinatum » (*Sylv.*). v. 7 « *Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum* », aut, ex iis qui v. 1 indurati dicebantur, aut ex iis, de quibus 9,20 dicebatur (*Tost.*) : « *Usquequo patiemur hoc scandalum* »? Scandalum seu *laqueus* (*Hebr.*) « referri potest sive ad Israelitas, quorum occasione super Aegyptiorum caput haec mala excussa sunt, sive ad mala ipsa, quibus affligebantur, sive ad Moysen et Aaronem, Dei ministros in ea ultione inferenda » (*Calm.*). Referri potest ad haec omnia simul. « Usquequo Hebraei erunt nobis in offendiculum, in quod impingentes tot calamitatibus involvamur? Quasi dicant : Tolle laqueum seu offendiculum et scandalum hoc, et dimitte illos » (*Ians.*). « *Dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne* » — *Hebr. nondum* — « *vides, quod perierit* », pereat, « *Aegyptus* »? Aulici sapienter non regis ius retinendorum Hebraeorum in dubium vocant, sed moralem necessitatem eius iuris ob salutem rei publicae abdicandi demonstrant.

v. 8 « *Revocaverintque* » — ad constructionem passivam cum את cf. Gen. 4,18 — « *Moysen et Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis : Ite, sacrificate Domino Deo vestro* », « sc. in solitudine, sicut petitis » (*Tost.*). 8,25 institerat, ut intra Aegyptum sacrificarent. Hac conditione missa, iam alia ratione veniam excedendi limitare, reditum in tuto collocare studet. « *Quinam sunt, qui ituri sunt* »? rogat, opinionem praetendens non omnes excessuros (*Sylv.*). « Volebat detinere aliquid ad illos pertinens, cuius obtentu redirent » (*Tost.*). v. 9 « *Ait Moyses :*

Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis », i. e. cum omnibus omnino, ergo etiam cum uxoribus. « *Est enim solemnitas Domini Dei nostri* », cui omnes interesse debent, offerendaque sunt diversa animalia; sed quae et quot ea sint, ignoramus; quare omnia sunt adducenda (*Sylv.*). Solemnitatem indixerat Deus 3,12; simul praedixerat, non suas solum, sed Aegyptiorum etiam res ablaturos 3,21 sq. Ultimam utique, cur omnia secum abducat, rationem reticet Moyses, consilium non redeundi. v. 10 « *Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos et parvulos vestros* ». « Formula est imprecatoria, cum quadam irrisione » (*Bonfr.*). « Quasi dicat : Non dimittam vos cum parvulis. Sed dum illis male se precari putat, imprudens bene precatur : nam Deus et eduxit illos et adiuvit » (*Malv.*). « *Cui dubium est, quod pessime cogitetis?* »

Hebr. : Videte, quoniam malitia est coram, seu *est patens in facie vestra.* Recte explicat *Chald. : malitia, quam facere intenditis. LXX :* Ὁρᾶτε ὅτι πονηρία προκεῖται ὑμῖν. « Videte, malum ex facie vestra dignoscitur » (*Vat.*), dum haec facies generalem exodum postulat atque ita consilium non redeundi manifestat. Alii : malum est ante faciem vestram, i. e. malum intenditis.

v. 11 « *Non fiet ita, sed ite tantum viri et sacrificate Domino Hoc enim et ipsi petistis* »; petistis sacrificare, ad sacrificium satis sunt viri. « *Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis* ». Etiam in his deprehendit ironiam *Keil,* quod illico homines Pharao non ultra auditos dimittat.

v. 12 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super terram Aegypti ad locustam, ut ascendat super eam et devoret omnem herbam, quae residua fuerit grandini* ». *LXX Sam.* addunt *et omnem fructum arborum.* Construitur h. l. נטה יד ב, uti alias שלח יד ב, quod significat extendere manum cum effectu aliquo et violentia, dum שלח יד על simpliciter significat extendere manum. *Vulg.* feliciter vertit *ad,* « quasi vocans locustam » (*Tost.*) eique manu extensa violentiam inferens. v 13 « *Et extendit Moyses virgam super terram Aegypti, et Dominus adduxit ventum urentem* », vulgo scirocco dictum, de quo agebamus ad Iud. 5,21, « *tota die illa* » reliqua, qua Moyses egerat cum Pharaone, « *et nocte* », ut revera locustae adfuerint « cras » (v. 4) seu sequenti mane : « *et mane facto ventus urens levavit locustas* ». Locustae persaepe ex Aethiopia in Aegyptum devehuntur : neque ea tamen est sufficiens ratio קדים vertendi νότος, sed est ventus orientalis, ergo e Sinaitide seu Arabia flans. v. 14 « *Qui ascenderunt super universam terram Aegypti, et sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum*

innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futurae sunt ». Quae certe non dicuntur prophetice (*Men.*), sed per hyperbolen aliquam (*Calm.*). v. 15 « *Operueruntque universam superficiem terrae, vastantes omnia* » — sed *Hebr. : et obscurata est terra*, radiis sc. solis interceptis. — « *Devorata est igitur herba terrae, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quae grando dimiserat; nihilque omnino virens relictum est in lignis et in herbis terrae, in cuncta Aegypto.* » v. 16 « *Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum et in vos* ». Hac vice *festinat* Pharao, quia haec plaga illum longe propius ceteris attingebat, eratque velut *mors* aliqua seu exitialis « pernicies » (*Vat.*): triticum sc. et far, unam sequentis anni cibi spem, cernebat a locustis brevi temporis spatio absumptam (*Tost.*). v. 17 « *Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam* ». v. 18 « *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum* ». v. 19 « *Qui flare fecit* » — *Hebr. vertit* — « *ventum ab occidente vehementissimum, et arreptam locustam proiecit in Mare Rubrum : non remansit ne una quidem in cunctis finibus Aegypti* ». De Mari Suph ad 13,18 dicemus. v. 20 « *Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel* ».

Binarius 5 : *plagae e coelo* Ex. 10,21-21,36.

9ª plaga : tenebrae Ex. 10,21-29.

Arg. — Plagae narratio paucis absolvitur. Pharao omnes abire permittit, relictis tamen gregibus.

Tenebras maxime spissas per integros dies quandoque in Angliae locis haberi, quis non audivit? tamen eiusmodi nebulas ob aeris calorem et siccitatem ignorat Aegyptus. Sed tenebras ibidem causat ventus scirocco, qui quod viginti quinque diebus ante ac totidem post veris aequinoctium furat, *chamsin* i. e. quinquaginta audit. Non tamen omnes illos dies continuos flat, sed biduis, triduis vel quatriduis, interiectis malaciis. Flat autem a meridie ad orientem vergente, immensam copiam ardentis arenae secum ferens, quae omnia penetrat atque exsiccat, pellem et pulmones urit et torquet, radios solis praecludit. Cf. *Vig.* p. 286 sqq.

v. 21 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in coelum, et sint tenebrae super terram Aegypti tam densae, ut palpari queant* ». ויגש חשך, *et tangat quis tenebras :* expressio hyperbolica sane atque inusitata. Cuius loco *Chald.* scribit *postquam transiit obscuritas noctis*, et *Ps. Ion. :* « in aurora (בקריצתא), sed antea recedent tenebrae noctis ». Iam expressioni בקריצתא respondet hebr. במשחר, quod sat facile defigurari potuit in ויגש חשך. Habet igitur lectio etiam

Chald. et Ps. Ion. suam probabilitatem. v. 22 « *Extenditque Moyses manum in coelum, et factae sunt tenebrae horribiles in universa terra Aegypti tribus diebus* ». *Hebr. tenebrae obscuritatis*, i. e. obscurissimae. v. 23 « *Nemo vidit fratrem suum nec movit se de loco, in quo erat* » — reliqui *tribus diebus :* tenebrae breviores aut certe non tam continuae non erant in Aegypto plane inauditae. — « *Ubicunque autem habitabant filii Israel, lux erat* ». Chamsin quoque, dum certos tractus infestat, alios non attingit.

v. 24 « *Vocavitque Pharao Moysen et Aaron* ». Iam *Ps. Ion.* movebatur scrupulo, non potuisse ullum Pharaonis legatum viros adire, quo tempore nemo « movit se de loco, in quo erat »; quare voces inseruit « in fine trium dierum ». Verum sapienter reponit *Cai.*, non esse cur illa verba tantopere premantur. Alias utique ante finitas plagas Pharao Moysen arcessebat. Ceterum quaestio, de qua nihil affirmat textus, neque nobis est dirimenda. « *Et dixit eis : Ite, sacrificate Domino. Oves tantum et armenta vestra remaneant* », loco pignoris, quo certius redeatis (*Sylv.*). « *Parvuli vestri eant vobiscum* ». Concedit iam Pharao illud, quod v. 10 sq. denegaverat. Suggerit tamen *Tost.*, eum ne hoc quidem serio concessisse, sed voluisse certius perspicere, sincerene Hebraei reditum meditarentur, an praetextu sacrificii quaererent cum omnibus suis bonis regno excedere. v. 25 « *Ait Moyses : Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quae offeramus Domino Deo nostro* ». Haec sententia sequenti comparata triplici modo construi potest. Primum, ut Pharao rogetur, et de suis gregibus victimas sacrificiorum dono dare Hebraeis, et omnia ipsorum pro victimis abduci permittere. Sed, ut a Pharaone dona gratuita postulentur, contextui vix consonat; et Moysis argumentum infirmat, cum multo minor futura erat ratio omnium gregum pro victimis abducendorum, si Pharao liberaliter de victimis providebat; neque illa duo גם necessario tam arcte inter se, uti vult *Dillm.*, coniunguntur. Potest porro v. 25 intelligi ironice vel etiam interrogative : Sane tu, Pharao, nobis victimas procurabis, ut non sit necesse nos illas de nostris gregibus adducere; vel : An tu forte victimas procurabis, ut etc.? Tertio, inde a *Tost.*, plerique non alias v. 25 efferri victimas censent, quam quae v. 26 de gregibus Hebraeorum sumendae esse affirmantur. Sc. Hebraei cum suis gregibus Pharaonis sunt; rogant, ut ipse victimas concedat, ideoque greges omnes abduci permittat. v. 26 « *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis ungula, quae necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri* ». Sed *Hebr. : quoniam de ipsis sumemus ad sacrificandum Domino Deo nostro;* « [*praesertim*] *cum ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus* ». Merito

monet *Tost.*, ex his potuisse indubie Pharaonem perspicere, non reditum meditari Moysen, sed exodum : secus satis erat, speciei cuiusque animalium certum numerum abducere. Non erat sane omnia animalia Deus pro victimis postulaturus.

v. 27 « *Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos* ». v. 28 « *Dixitque Pharao ad Moysen : Recede* » — vocem *Sam.* repetit — « *a me et cave, ne ultra videas faciem meam : quocunque die apparueris mihi, morieris* ». v. 29 « *Respondit Moyses : Ita fiet, ut locutus es* ». *LXX* εἴρηκας. Non : *Recte locutus es* (*Chald. Syr.*). Sane non recte loquitur Pharao mortem intentans prophetae. « *Non videbo ultra faciem tuam* ». Nulla ratio est verborum accipiendorum ut prophetiae, quam 12,31 falsam exstitisse demonstret. Sunt illa propositum viri iuste irati, et subintelligenda est conditio a viro sapiente nequaquam negligenda : non veniam, nisi conditiones plurimum mutentur; non veniam sponte et non vocatus.

10ª Plaga : primogenitorum interitus Ex. 11,12-36.

Cum probabile sit priorem cuiusque binarii plagam perseverasse durante posteriore eiusdem binarii plaga, pari iure coniiciat quis, nonam etiam plagam decimae exstitisse aequalem. Non ulla igitur intercessit lux inter atroces illas tenebras luctuosamque illam mediam noctem. Hebraei pro epulo paschali iam antea (12,3) omnia paraverant, inter decimam et quartamdecimam diem mensis intercessit triduum 10,22; secundum Sap. 18,1 tenebrae regionem Gessen non occupaverant.

α. Plaga annuntiatur Ex. 11,1-10.

Aliquam quoad cap. 11 irrepsisse textus corruptionem ita evidens est, ut vel *Dillm.* concedat, diversis statutis auctoribus non omnia explanari, sed textus membra disiecta nobis offerri. Cum enim 10,29 Moyses protestatus sit, se Pharaonem non ultra coram esse visurum, tamen verba 11,4-8 rursum pronuntiat coram Pharaone, quod produnt suffixa v. 8, et sequens v. 9 referens Moysen *exiisse* a Pharaone. 11,3, ubi contra *Vulg. dabit* legunt *Hebr. LXX Chald. Syr. dedit*, parenthesin efficit, loco non quidem inepto, nequaquam vero aptissimo insertam. A quibus textibus multum differt *Sam.* Is v. 3. pro ויתן (cf. Vulg. ויתן) legens ויתתי, priorem v. 3 sententiam iungit orationi Dei ad Moysen v. 1 sq.; quam missa reliqua v. 3 parte (« Fuitque Moyses etc. ») et verbis v. 4 « Et ait Moyses : Haec dicit Dominus », non interruptam producit usque ad v. 7 inclusive. Posthaec non instar parenthesis, sed continua narratione adscribit sententiam v. 3 omissam (« Fuitque Moyses etc. »), pergitque his verbis : *Et dixit Moyses ad Pharaonem : Haec dicit Iahve : Filius meus primogenitus Israel. Et dixi ad te : Dimitte filium meum, ut sacrificet mihi. Et noluis-*

ti dimittere eum. Ecce Iahve interficiet filium tuum primogenitum. Et dixit Moyses : Haec dicit Dominus : Media nocte etc. ». Et nunc tamquam Moysis ad Pharaonem verba repetuntur verbotenus v. 4-7 nostri textus, quae antea tamquam Dei ad Moysen verba tradebantur; et narrationem claudunt v. 8-10. Quae omnia sunt plane perspicua. Quaeres tamen fortasse, cur Moyses v. 9 referatur exiisse *iratus*, cum nullum Pharaonis responsum eum ad iram provocans referatur; manet item difficultas, non satis perspici cur Moyses coram Pharaone compareat, cum tamen 10,29 modo protestatus sit, se eius faciem non esse visurum. Supponas, quaeso, verba 10,28 sq. primitus descripta fuisse cap. 11, inter v. 8 et 9 (cf. *Ios.*) et tota evanescit difficultas. Sane textus Sam. hac ratione emendatus propius reliquis omnibus ad primitivam textus formam accedit. Cf. *Calm.*

Cap. XI v. 1 « *Et dixit Dominus ad Moysen* », postquam is post 10,27 a Pharaone discesserat : « *Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Aegyptum, et post haec dimittet vos, et exire compellet* ». Loco ultimi incisi *Hebr.* בשלחו כלה גרש יגרש אתכם מזה, *cum dimittet vos, omnino expellendo expellet vos hinc;* vel *cum dimittet vos omnino, expellendo etc.* : « cum dimittet vos sine ulla conditione (nam 8,28 cum conditione dicit : Dimittam, modo ne longius eatis; et 10,11 Ite viri, sine parvulis et pecoribus; paulo post v. 24 Ite, et parvuli, tantum pecora remaneant), non cum pace et tranquille dimittet, sed vi quodammodo expellet, nec sinet ut moram nectatis amplius » (*Vat.*). Ergo vasa tempestive ab Aegyptiis procurate, sane in terra Gessen, quam Hebraei Aegyptiis permixti incolebant, et ubi non erant tenebrae. v. 2 « *Dices ergo omni plebi, ut postulet* », « non dono, sed mutuo » (*Cai.*), « *vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea* » (cf. 3,21). *LXX Sam.* uti 12,35 addunt *vestem.* v. 3 « *Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis* ». Diximus praeferendam h. l. *Sam.* lectionem : ונתתי את חן העם הזה, *et dabo etc.*, quae verba nectit praecedenti orationi. Non postulabunt incassum, Deo Aegyptiorum animos demulcente. « *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis et omni populo* »; quare potuit rursum ad Pharaonem accedere, et proloqui ad ipsum, quae v. 4-8 leguntur (cf. quae supra de emendando textu dicebamus). v. 4 « *Et ait* » *Moyses ad Pharaonem :* « *Haec dicit Dominus : Media nocte egrediar in Aegyptum* ». Reapse vocem *Moyses* textus habent omnes, eaque etiam in textu Vulg. e contextu suppletur. Intelligitur certe nox proxime sequens Moysis ad Pharaonem verba : is est obvius sensus, et alias etiam Pharaoni futurarum plagarum tempora accurate praedicebantur. At aliquod sane annuente Deo elapsum est tempus a Dei v. 1 sqq. ad Moysen alloquio ad Moysis v. 4-8 ad Pharaonem alloquium; quo tempore Moyses Hebraeos ritum celebrandi paschatis et alia quaedam edocuit. Porro in verbis, prout a Sam. traduntur, ad-

verte, quomodo Moyses efferat, in poenam primogeniti Dei Israelis retenti interfectum iri primogenitos Aegypti. v. 5 « *Et morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius* », « qui iure sessurus est » (*Vat.*), « *usque ad primogenitum ancillae, quae est ad molam* », — pro quo 12,29 « captivae, quae erat in carcere »; recte *Ps. Ion.* voci « ancillae » addit « minimae »; et *Bonfr.* his expressionibus indicari monet, nullius hominis exceptum iri primogenitum — « *et omnia primogenita iumentorum* ». v. 6 « *Eritque clamor magnus in universa terra Aegypti, qualis nec ante fuit nec postea futurus est* ». v. 7 « *Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus* ». Expressio לכל בני ישראל explicatur per alteram לבואיש ועד בהמה. Ergo dicitur, contra nullum Israelitam, seu distinctius contra nullum sive virum Israelitam sive pecus eius, fore ut canis quisquam *linguam suam acuat.* Expressio est proverbialis (cf. Ios. 10,21; Iudith 11,15, apud *LXX* v. 19), perfectam designans quietem, ubi ne canis quidem, animal, « quod ad minimum strepitum, nocte praesertim, solet ad latratum excitari » (*Bonfr.*), linguam acuat sive ad mordendum, sive fortasse verius ad latrandum. Non inepte *Sylv.* commemorat, canes natura duce sentire quandoque domestica funera tristique ululatu celebrare. « *Ut sciatis, [quanto miraculo] dividat Dominus Aegyptios et Israel* ». Cf. 8,22; 9,14. Ergo : ut sciatis, quomodo segreget Iahve Israel ab aliis gentibus, eosque sibi assumat in populum. Cf. quae de textu secundum Sam. emendando supra suggerebamus. v. 8 « *Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me dicentes : Egredere tu et omnis populus, qui subiectus est tibi. Post haec egrediemur* » Huc transfer 10,28 sq. — v. 9 « *Et exivit a Pharaone iratus nimis* ». Apte *Masor.* h. l. parascham scribunt.

Monet *Kn.*, postea non narrari Pharaonis aulicos ad Moysen supplicatum venisse, ergo diversos adstruendos auctores. Respondeo, aliquos certe venisse, docet 12,31 potuerunt que illi, quotquot tandem erant, quaecunque 11,8 dicebantur, praestare. Sed 11,8 non est necessario concipiendum ut prophetia a Moyse edita, sed ut locutio emphatica et hyperbolica exprimens, eos qui nunc exodo repugnarent, eandem mox summis votis esse expetituros.

Sequentia totam plagarum narrationem brevi formula resumunt. « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Aegypti* ». Deus ideo etiam obdurabat cor Pharaonis, quia non per pauca minusque illustria signa volebat Hebraeos liberare. v. 10 « *Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta, [quae scripta sunt]* », — reliqui simpliciter *haec* — « *coram Pharaone. Et*

induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua ».

β. Lex Phase a Deo fertur Ex. 12,1-20.

Arg. — Solent iamiam *leges* narrationi interseri, quae h. l. plagarum, mox stationum (cf. p. 2) ordinem sequitur. Traditur porro primum v. 1-13 lex Phase eo *ipso anno* celebrandi, inde idem festum v. 14-20 *quotannis* celebrandum indicitur. Quas duas leges dividit *Sam.* extremo v. 12 ubi reapse habetur formula « Ego Iahve », quae etiam secus (6,2. 6. 8 et in Lev. passim) divina eloquia sigilli instar orditur vel concludit. Tamen v. 12 sq. ab invicem sperari nequeunt, et formula illa non necessario ultimo legis versui adscribi debuit. *Alias quatuor leges*, quae occasione Phase instituti latae sunt, habet v. 21-28. 43-51; 13,2. 3-16.

Aegyptiorum annum *solarem* nequaquam a mense Nisan incipientem Hebraei neque ante exodum receperant, neque post illam recepturi erant. In stirpe electa videtur inde ab antiquissimis temporibus observatus esse annus *lunaris*, quem dicunt *civilis*, incipiens a mense Tisri : eum quippe supponit diluvii narratio, et Moyse antiquiorem declarat *Ios.* Ant. III. 3 (cf. Lev. 23,23-25). Verum praeterea antiquitus exstitisse annum ordientem a mense Nisan, inde efficitur perquam probabile, quod Babyloniorum semper et Assyriorum annus ab eodem mense initium sumpserit. Ergo aut Moyses pristinam mensis Nisan religionem instauravit, aut eum, qui antea sacer non fuerit, annum a mense Nisan ordientem iam *sacrum* sanxit futurum. Rident recentiores quandoque eos, qui tot leges novas a Moyse statutas atque ab Hebraeis extemplo observatas omnes fuisse credant : evanescit difficultas, si supponas earum leges non paucas fuisse non novas, sed a patriarchis traditas. Aptissime autem Deus (cf. *Cai.*) Hebraeos, qui antea populus non fuissent, in *populum* sibi assumens, ubi quo *nomine* eius populi Deus appellari vellet declarasset, mox *anni sacri* limites descripsit.

Habebat Hebraeorum annus menses duodecim (3 Reg. 4,7), quorum antiquitus nomina eadem erant apud Hebraeos, atque apud *Phoenices*. Sc. pauca ex antiquis apud Hebraeos nomina novimus : nomen primi mensis אביב (Ex. 13,4; 23,15; 34,18; Deut. 16,1); secundi זיו (3 Reg. 6,1); septimi אתנים (3 Reg. 8,2); octavi בול (3 Reg. 6,38). Iam horum duo nomina apud Phoenices certo reperimus (Corpus Inscr. Semiticarum, Pars I Inscr. Phoeniciae, Paris. 1881) : בל n. 3. 10. 90 et אתנם n. 86. Quae omnino sufficiunt, ut affirmemus reliqua etiam nomina fuisse communia. Quorum haec novimus : מורפא n. 11, vel numero plurali מורפאם n. 124. 179; מפע* n. 4, ubi ע fere certum, מ et פ omnino certa, sed prima litera legi plane nequit; זבח שמש n. 13, si tamen reapse sit nomen proprium; פעלת n. 86 (cf. n. 88), quod cum in eodem atque אתנים contextu legatur, utique nomen est alicuius mensis; כיר n. 92. Mihique haud dubium est, nomen mensis n. 93, cuius prima et tertia legi nequeunt, sed media est iod, esse nomen זיו, quod secundum dicta Phoenicibus cum Hebraeis debuit esse commune. Accedit ex Inscriptione Piraei ab Halévy primum edita (cf. *I. B. Zenner* in Wiener Zeitschrift f. d. Kunde des Orient II.

249) mensis בורח. Quae nomina si perpendas, invenies petita esse a rebus agriculturam spectantibus : אביב = spica, זיו = fulgor, אתנים = fertilitas, בול = fructus, בורפא = requies, פעלת = labores, בורח = clamor altus aut iubilantium (in messe?) aut dolentium (Thammuz-Adoniden), כרר = rotundum quid seu volutum. Iudaei e captivitate babylonica reduces itemque Samaritani, abdicatis antiquis illis nominibus, utebantur aliis nominibus, quae apud Babylonios et Assyros ab antiquissimis utique temporibus in usu fuerant, fortasse tamen semiticae non erant originis. Apud has quoque gentes annus lunaris erat incipiebatque a mense Nisan. Subiicimus conspectum utriusque mensium ordinis. Seriei mensium Phoenicum uncinis inclusa ea quoque nomina inserimus, quae supra ex inscriptionibus eruebamus, ita tamen ut nequaquam definire aut etiam coniicere velimus, ad quae anni tempora singula haec nomina pertinuerint. Unum excipimus mensem בירפא (requies : cf. in fine hebdomadae שבת), quem ultimum anni fuisse coniicimus, ut בורפם ita designaverit mensem intercalarem, uti postea ואדר. — In nominibus mensium post exsilium בורחשון (chald.) transpositione duarum consonantium ortum duxit e ורחשכן, estque idem omnino nomen atque assyrum *arach samna*. Radix quippe apud Assyros non erat ירח sed ורח (*F. Delitzsch* : Assyr. Handwörterbuch, Leipzig 1895). Plura collata inter se calendaria vide apud *F. Lenormant* : Les origines de l'histoire I. 595 sqq., Paris. 1880.

א. Lex de primo Phase celebrando Ex. 12,1-13.

Arg. — Lex primum decernit per domos tollendum esse agnum, ubi quid *domus* nomine veniat extremo v. 3 et v. 4, qualis *agnus* seligendus v. 5 definitur. Describit porro lex, quo ritu ille agnus sit immolandus et comedendus, ubi v. 9 sq. inculcat eum comedi oportere *totum* et *assum*, v. 11-13 monet comedendum esse *festinanter* ob duplicem Iahve *transitum*, a quo etiam festi *nomen* petatur.

Cap. XII v. 1 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Aegypti* ». — At num haec Deus reapse dixit, postquam Moyses 11,9 iratus a Pharaone recesserat? Nequaquam. Recessit is ipso ante primogenitorum interitum die, qui locum habuit 14ª mensis die. Dixit haec Dominus ante diem 10ªm (v. 3), et probabilius aliquibus saltem ante diebus, cum debuerit tota gens de agendis die 10ª instrui. Sed huc dictorum narrationem distulit auctor, cum priorum plagarum continuam voluerit texere narrationem (*Bonfr.*). Rem non ordine stricte historico h. l. referri, item produnt voces *in terra Aegypti*, i. e. non extra Aegyptum, aliquamdiu *ante* exodum. v. 2 « *Mensis iste vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni* ». Verba v. 2 ad *solos* Moysen et Aaron diriguntur : enuntiant thesin, e qua lex v. 3 universo populo promulganda fluxit; sed thesis non aeque necessario atque ipsa lex omnibus erat tradenda. Videtur et alia ratio assignari posse, cur ad solos illos verba v. 2 dirigantur. 3,14 et 6,2-5 observabamus ea, quae Moysen non quidem solum sed intimius quam reliquos spectent, Deum

Duratio A MEDIO-AD MEDIUM	Mensium nomina apud PHOENICES	HEBRAEOS ANTE EXSILIUM	HEBRAEOS POST EXSILIUM	BABYLONIOS ET ASSYROS
1. Martio -Aprilem.....	?	אביב	ניסן Esth. 3,7	Nisannu
2. Aprili -Maium.....	זיו	זיו	[איר]	Airu
3. Maio -Iunium.....	[זבח שמש]	?	סיון Esth. 8,9; Baruch 1,8	Sivanu
4. Iunio -Iulium.....	[פעלת]	?	[תמוז]	Duzu
5. Iulio -Augustum	[*מופע]	?	[אב]	Abu
6. Augusto -Septembrem ...	[כרר]	?	אלול 2 Esdr. 6,15	Ululu
7. Septembri -Octobrem.....	אתנם	אתנים	[תשרי]	Tasritav
8. Octobri -Novembrem....	בל	בול	[מרחשון]	Arach samna, i. e. mensis octavus
9. Novembri -Decembrem	[מורזח]	?	כסלו Zach. 7,1 etc.	Kislivu
10. Decembri -Ianuarium.....	?	?	טבת Esth. 2,16	Tibituv
11. Ianuario -Februarium	?	?	שבט Zach. 1,7	Sabatu
12. Februario -Martium	[מורפא]	?	אדר Esth. 3,7 etc.	Addaru
Mensis intercalaris.....	[מורפם]	?	[ואדר]	Archu maakru sa Addaru

alloquio ad ipsum solum directo proloqui. Ergo, quod h. l. verba v. 2 Deus ad solos Moysen et Aaron proloquatur, videtur confirmare illud, quod aliunde abunde patet, agi h. l. de *anno sacro*. Res vero sacra ministrorum sacrorum curae erat committenda, non plebis. Ignorantur autem h. l. veteris ordinis sacerdotes.

v. 3 « *Loquimini ad universum coetum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias et domos suas* ». *Hebr. : secundum domos patrum* (cf. 6,14), *agnum* (seu capram, id enim utrumque שה designat; cf. v. 5) *pro singulis domibus*, non pro domo *sua*. Domus igitur hic seu patroecia per se latius patet, quam singulorum virorum familiae, quae saepe toti agno comedendo decenter vix sufficerent; est subdivisio tribus. Postmodum immundi Num. 9,10 sqq. prohibebantur, ne cum reliquis pascha celebrarent, et soli viri eius celebrandi causa sanctuarium accedere iubebantur (Ex. 23,17; 34,23; Deut. 16,5 sq. 16) : sc. potuit in paucis quibusdam huius primi paschatis ritus a sequentibus differre. Ceterum, quamvis posterioribus legibus mulieres epulo paschali interesse non *iubeantur*, at Moysis edicto ne adessent esse *prohibitas* nullo argumento demonstratur. Leges vero immundorum cum nonnisi *serius* a Moyse sint inculcatae, mirum non est hac prima de paschate lege eum illorum non statuisse exceptionem. Cum hac una vice epulum paschale rationem habuerit non solum epuli sacri, sed veri viatici pro arduo intinere suscipiendo, crediderim hac vice omnes ad illud esse admissos. Posterioribus temporibus lex haec arctioribus circumscribebatur limitibus : ita *Ps. Ion.* insistit numerandos esse solos « viros «, et quidem numero « decem », et tempore *Ios.* (cf. Bell. Iud. VII. 16) moris erat, ut convivae admitterentur non decem pauciores neque vinginti plures. v. 4 « *Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit* [*ad vescendum*] *agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suae, iuxta numerum animarum, quae sufficere possunt ad esum agni* ».

Haec lex sine dubio *prima* fuit, quam edidit Moyses; edidit autem non mere antiquiorem resuscitans legem, sed *novam* sibi a Deo traditam promulgans. Ex hujus igitur legis indole perspicuum est, Hebraeos vel ante Moysen habuisse leges, quae fuerintne scriptae an ore solummodo traditae, non definimus. Sc. primae cuiusque populi leges breves sunt et simplices. Quas mox discutit casuistica et infinitas suscitat quaestiones. Sequuntur posteriores leges, quae primas leges ita complent atque evolvunt, ut casuisticae simul quaesita definiant. Iam lex v. 3-12 supponit casuisticam, supponit ejusmodi iam tum fuisse Hebraeorum ingenia, quae non rotunde aliquam legem applicarent, sed varios illico effingerent et proponerent casus. Ergo habebant Hebraei ante Moysen leges, humanas utique; appli-

cationi et explicationi legum erant omnino assueti. Dices, illas nostri textus explicationes potuisse ab aliquo adscribi legi iam conditae. Verum id pugnaret cum indole aliarum omnium in Ex. et Lev. legum. Non inseruntur explicationes, non adhibentur correctiones legibus, sed aut extremae legi appenduntur, aut distincta lege exprimuntur, quae nova quaedam statuens, hoc ipso sed non explicite, antiquiora aliqua abrogat. Textus vero legis semper sacer manet atque intactus.

Hebr. : Et si domus non sufficit, ut sit de uno agno, sumat ipse domus pater *et vicinus eius, qui proximus est domui eius*, agnum *pro numero animarum; unumquemque secundum manducare suum computabitis in agnum.* In hoc legali documento stilus illico apparet impeditior. Et primum v. 3 שה לבית explicatur per שה לבית אבת, quo perspiciatur per domos non singulas familias sed patroecias designari. At fieri poterat ac sane fiebat, ut patroecia quaedam unica constaret familia, eaque non ita numerosa : quare adiicitur v. 4, ubi obiectum ad ילקח supplendum relinquitur e praecedente sententia. Adiicitur porro explanatio ad vocem שכנו : vicinus non est ad libitum eligendus, sed הקרב אל ביתו, ubi ביתו intelligendum est sicut v. 3 et הקרב significat non meram loci, sed simul sanguinis affinitatem (cf. Gen. 20,4; Is. 8,3) : ceterum, qui affines erant, eorum etiam domus vel tentoria iungebantur. Omnia plana erant, quoties familia vicini familiae propriae addita edendo agno praecise sufficiebat : sed quid faciendum, ubi duae simul sumptae deprehenderentur esse numerosiores? Quaestioni respondet additum במכסת נפשת. Ubi putabat *Vat.*, exquirendum esse eum vicinum, cuius familia desideratum numerum accurate compleret. Verum ita quandoque ad eum deveniretur, qui vix dici posset קרב אל ביתו. Ergo melius *Sylv.* : « Non assumet quot voluerit, sed tot personas, quot sufficere possint ad esum agni. Personae autem ex illa domo residuae, si satis magno numero erant, debebant et ipsae agnum immolare; si nimis exiguo, alicui alteri domui seu familiae debebant iungi ». Dices, iam rem esse omnino claram. Sed superest periculum ne illud במכסת נפשת nimium prematur : convivarum siquidem numerus determinandus est non mere arithmetice, sed attendenda manducantium capacitas, sintne senes an iuvenes etc. Quare additur explanatio איש לפי אכלו תכסו על השה.

In lege v. 3 statuta definierat v. 4 ambitum vocis *domus* : definit iam v. 5 ambitum vocis *agnus*. v. 5 « *Erit autem agnus absque macula* », — quid maculae nomine veniat, disce Lev. 22,22 sqq.; non est sermo de velleris colore (*Tost.*) — « *masculus* », — qui sexus perfectior (*Ians.*); soli mares Lev. 1,3. 10 holocaustis adhibebantur (cf. Mal. 1,14; *Calm.*); hic agnus erat typus Christi — « *anniculus* ». Prohibebantur postmodum victimae non integros septem dies natae, Lev. 22,27. *Tost.* igitur eum declarat agnum anniculum, qui infra annum esset, vel certe annum non excessisset : verum, an anniculum dicemus unius mensis agnum? Aliunde neque potest admitti, qui multum excessisset annum, agnus. Ergo agnus circiter unius anni. Etiam secus ea victimarum aetas requirebatur (Lev. 1,10; 3,6; 22,27), sane quod tum carnes censerentur maturae, ideoque victima Deo dignior. « [*Iuxta quem ritum*] *tolletis et hoedum* ». *Hebr. : de agnis et de hoe-*

dis sumetis illud שה; quo haec vox uti צאן utramque animalium speciem designare probatur. Ergo non tum solum hoedus conceditur (*Sylv.*), quando agnus deficit. Illud *et* autem non esse copulativum sed disiunctivum (*Theodoret.*), tota Iudaeorum et ipsius Christi docet praxis, qui non duo simul animalia immolaverunt.

Designata accurate v. 5 victima, inde a v. 6 describitur ritus in ea observandus. v. 6 « *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* ». *Hebr.* בין הערבים *inter duas vesperas;* cf. Lev. 23,5; Num. 9,3. 5. 11 : pro quo Deut. 16,6 et Ios. 5,10 legitur בערב. De sensu igitur expressionis omnino constat, solum de forma duali disputatur. Cf. similem expressionem צהרים, meridies (Gen. 43,16. 25 ; Deut. 28,29). Explicationes, quarum nulla est satis evidens, vide apud *Dillm.* v. 7. « *Et sument de sanguine eius, ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum* » — « et pernoctabunt » suppiet *Ps. Ion.* demonstrans iis, qui in aliena domo v. 4 agnum manducassent, non tutum futurum fuisse in propriam domum somni capiendi causa reditum. Ergo in Aegypto tum Hebraei non tentoria incolebant, sed domos. v. 8 « *Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus* ». Panes azymi hic uti v. 34. 39 symbolum sunt festinationis, qua exodus peracta est. Quam festinationem eiusque futurum effectum, ut soli panes azymi in primo paschate praesto essent futuri, Deus praevidit; azymos panes in eius festinationis memoriam decrevit epulo paschali in perpetuum esse adhibendos : hinc pluribus ante primum pascha diebus 12,8. 15 sqq. legem tulit de iis panibus ei epulo adhibendis. Nulla in his est contra v. 34. 39 contradictio. Erat imo specialis ratio, cur Deus, praevidens panes pro primo Phase praesto futuros nonnisi azymos, eorum esum lege praescriberet, ne sc. Hebraei eos panes rati imperfectum quid sacroque epulo indignum, agnum comedentes pane omnino abstinerent. — מררים utique sunt herbae quaedam amarae (cf. Thren. 3,15). Eas omnes unius generis fuisse, non est cur affirmemus. *LXX* transtulere πικρίδες, quae sunt lactucae silvestres vel cichoria (cf. *Dillm.*). Porro vox *assas* explicatur v. 9 : « *Non comedetis ex eo crudum quid* », iam Gen. 9,4 sq. prohibitum, « *nec coctum aqua, sed tantum assum igni* ». Praeceptum est clarum et indubium, licet fortasse haud valeamus, singulorum penitus rationem explicare. Cur non permittebatur caro aqua cocta? Ob rationem forte practicam potius quam allegoricam, carnem citius assari quam coqui (*Sylv.*), totum vero istud epulum summa festinatione et parandum fuisse et comedendum. Sanius etiam caro recens mactata assatur quam coquitur. Inculcatur porro (v. 9 sq.),

victimam comedendam esse totam : « *Caput cum pedibus eius et intestinis* [*vorabitis*] ». כרעים designat crus infra genu, quod parum habet carnis. Sane non est (*Cler.*) supplendum verbum praecidendi, cum hoc minime exprimatur, neque holocaustorum (29,17; Lev. 1,8 sq. 12 sq.; 8,20 sq.; 9,13 sq.) analogia convincat, quippe quod Phase sit sacrificium sui generis. Neque vero textus vetat illas partes praecidere (*Dillm.*), licet id Num. 9,12 vetetur : sed simpliciter iubet omnia comedi. Patet per se non comedendas praecipi eas partes, quae esui sint prorsus ineptae (*Bonfr.*). v. 10 « *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane* ». « Huius legis ratio erat instans iter, quod summo mane aut nocte adhuc profunda aggressuri erant Israelitae, et quidem cum maxima festinatione, in qua facile contigisset residuas agni carnes, si quae superfuissent, indigne tractari vel ab ipsis Hebraeis festinantibus, vel ab Aegyptiis, vel etiam a bestiis » (*Sylv.*). « *Si quid residuum fuerit, igne comburetis* », « qui celerrimus et castissimus absumendae rei sacrae modus » (*Ians.*). Comburendum vero *usque mane*, quod pertinet ad 14^{am} diem, non « in aurora diei 16^{ae}, quia non potest comburi die festo » (*Ps. Ion.*). Altera versus pars ostendit priorem intelligi oportuisse cum latitudine quadam : comburenda sc. erant non solum ossa et similia cum carne, quae forte per imprudentiam superfuerit (*Bonfr.*), sed quae superfuerit quomodovis, v. g. si convivarum numerus deprehenderetur insufficiens, si quis subito corriperetur morbo etc. Caro omnis erat comedenda aut, si quae superfuisset, comburenda.

Iam convivii ritus describitur, quem *Ps. Ion.* monet observandum fuisse « hoc tempore, non aliis generationibus ». Sc. gratuito a quibusdam supponitur lege sancitum fuisse, ut in paschatibus posterioribus celebrandis observarentur omnia et singula, quae in hoc primo paschate fuerant observanda. Nullibi secus iubentur homines manducare pascha baculos manibus tenentes; Christus et apostoli leguntur « discubuisse », dum Hebraei in Aegypto certe non discubuerunt baculos manibus tenentes et calceamenta habentes in pedibus. Contextus clare prodit, eos manducasse pascha *stantes*, idque tum Deum fieri voluisse. v. 11 « *Sic autem comedetis illum : Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter* ». Neque festinationem solum exprimit חפזון, sed fugam praecipitem, pavorem (cf. Is. 52,12). Cui singula consonant : vestes quippe orientales in conviviis demissas gerunt, in itinere succingunt; calceamenta domum intrantes exuunt, itineraturi induunt (*Bonfr.*). Festinationis porro ratio assignatur : « *est enim Phase* [*i. e. transitus*] *Domini* ». פסח v. 13.23 adhibetur de Deo praetereunte limina Hebraeorum,

dum v. 12.13 eius per Aegyptum transitus verbo עבר exprimitur : prior transitus directe, alter indirecte nomine Phase exprimitur. Ille igitur licet paternus Dei ultoris seu « gloriae domini saeculorum » (*Ps. Ion.*) transitus pavorem merito inspirabat et, cum transeuntem mox Hebraei in desertum iuberentur sequi, festinationem suggerebat. Qui transitus cum Deo ex Aegypto in desertum futurus erat « transitus de servitute in libertatem » (*Cai.*). A transitu postmodum nomen *Phase* translatum est ad epulum et ad festum, quae eum transitum erant memoratura (*Bonfr.*).

Sententia פסח הוא ליהוה explicatur v. 27 vocibus : « Victima Phase est Iahve », estque omnino comparanda expressionibus Lev. 1-5 : Holocaustum est hoc, mincha est hoc. Ergo pronomen הוא refertur ad ritum, qui v. 1-11 describebatur et v. 12 sq. explicatur. Sed sensus certe non est : Comedetis festinanter, nam hoc significat transitum. Ratio festinationis non est in primo paschate significatio transitus, sed ipse transitus. Inane ergo est quorumdam novatorum argumentum, verba « Hoc est corpus meum » idem sonare atque « Hoc significat corpus meum » pari ratione, atque verba « Hoc est transitus Domini » idem sonent atque « Hoc significat transitum Domini ». Adverte etiam, Phase evasisse nomen proprium epuli et festi, sed « Corpus meum » nunquam adhiberi consuevisse ut nomen proprium sacramenti. Cf. *Ians.*

Iam vocis Phase ratio explicatur. v. 12 « *Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus* »; in gregibus etiam suis Aegyptii plectuntur; « *et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia* » seu, quia in iis iudiciis utique rei comperientur dii, *ultiones* (LXX). « *Ego Dominus* », « ideo facere possum, quae dico » (*Tost.*). « Videtur esse species iuramenti : Tam vere hoc faciam, quam ego vere sum Dominus » (*Drus.* in : Critici Sacri). Imo hac formula non sola verba v. 12 confirmantur, sed tota lex v. 3-13.

Coacte illud de *diis* (cf. Num. 33,4) explicat *Kn.*, inter primogenita pecudum interimenda fore etiam eorum animalium aliqua, quibus eo praecise tempore Aegyptii cultum divinum redderent, v. g. bovem Apis. Norat *Hier.* (Ep. 78 ad Fabiolam; *M.* 22. 701) Hebraeorum commentum, « quod nocte, qua egressus est populus, omnia in Aegypto templa destructa sint sive motu terrae, sive actu fulminum ». Cf. *Ps. Ion.* Exstant sane templa aliqua exodo antiquiora, sed neque fulgurum neque terrae motus ullum vestigium. Queritur *Dillm.*, « eam narrationis A partem, quae illa in deos iudicia narraverit atque descripserit, excidisse ». Prudentius *Cai.* : » Qualia fuerint haec iudicia, non est scriptum », neque unquam sane fuit scriptum, neque ab A neque ab alio. Uti Deus Hebraeorum liberatione glorificabatur, ita dii plectuntur Aegyptiorum plagis, imprimis morte primogeniti Pharaonis, qui deorum soboles habebatur. Cf. *I. Knabenbauer* in Is. 19,1; cf. etiam Ier. 43,13; 46,25; Ez. 30,13.

v. 13 « *Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus, in quibus*

eritis : et videbo sanguinem et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti ». Dativus commodi est *vobis :* Hebraei hoc signo distinguuntur, Deus signo conspecto praeterit : non quasi ipse signo indigeat, sed res anthropomorphice concipitur, ac simul typus statuitur sanguinis Christi (*Theodoret.*). Cf. Gen. 9,16.

2. Lex de Phase perpetuo celebrando Ex. 12,14-20.

Arg. — v. 14 festum *quotannis* celebrandum indicit, addita v. 15-17 *octava* imprimis *azymorum* usui sacra ; repetitur v. 17 factum eo festo commemorandum, et rursus v. 18 sq. lex azymorum inculcatur. — Prior lex v. 3 edebatur ante diem decimam mensis, altera haec post quartam decimam (cf. ad v. 17) : cui proprium non praefigitur eloquium divinum (Locutus est Dominus), quia brevi post priorem legem tempore est edita, et de eadem re tractat. Lev. 23,5-8 alteram nostram legum supponit et complet.

v. 14 « *Habebitis autem hunc diem in monumentum* », μνημόσυνον (*LXX*) ; ergo quotannis recurrentem quotannis celebrabitis. Intelligitur dies 14ª Nisan, decurrens a vespera ad vesperam, cuius diei initio agni mactabantur (v. 6). « *Et celebrabitis eam solemnem* » seu festum « *Domino in generationibus vestris cultu sempiterno* ». Uti « dies aevi » Deut. 32,7 non indicant durationem praeteritam infinitam, ita neque « cultus aevi » h. l. necessario exprimit durationem infinitam futuram. Celebrare tenebuntur hoc festum sane tamdiu, quamdiu cultus eorum universus legitimus perseverabit.

Festum Phase excipiunt dies septem azymorum commemorantes festinam ex Aegypto exodum ; quorum primus (Lev. 23,6 ; Num. 28,17) est dies mensis 15ª, ergo dies post celebratum Phase. Non prohibetur esus panis fermentati die paschatis, nisi in uno illo epulo sacro ; certe non vetantur Hebraei eo die panem fermentatum habere domi. v. 15 « *Septem diebus* » festum Phase immediate excipientibus « *azyma comedetis* ». Quae lex non datur solum pro tempore occupatae terrae promissae (*Bonfr.*), sed pro toto deinceps tempore : etiam in deserto Num. 9 Phase observabatur et azyma adhibebantur. « *In die primo* », quae h. l. expressio idem sonat atque « a die primo » (*Bonfr.* ; cf. v. 19), « *non erit fermentum in domibus vestris* », « ne fermentati panis suavitate allecti praeceptum violarent » (*Bonfr.*). Traditio iudaica hanc legem, uti alias plures, postmodum exaggeravit, excludens fermentum « a media die, quae est ante primam festi » (*Ps. Ion.*). « *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa* » seu, ut recte *Chal.* explicat, *homo ille* « *de Israel, a primo die usque ad diem septimum* ». Quo non poena

mortis (*Cai.*) decernitur, sed delendus affirmatur de catalogo Israelitarum (*Vat.;* cf. quae diximus ad Gen. 17,14). v. 16 « *Dies prima* », i. e. 15ª mensis, « *erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis* ». *Hebr. : Die prima convocatio sancta, et die septima convocatio sancta erit vobis.* Eiusmodi *convocatio sancta* praecipitur Lev. 23,3.7.8.24.27.35.36.37 pro festis; observabatur sane in stirpe electa iam ante Moysen, et fortasse aliis quibusdam diebus; eius ratio Num. 10,2.3.10 describitur, eratque ea conventus sacer ad cultum publicum peragendum. « *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quae ad vescendum pertinent* ». « Hinc patet, etsi dies hi festi, si attendamus sacrificia, populi ad templum conventus, solemniores exstiterint ipso die sabbati, ex alia tamen parte quoad opera servilia maiorem fuisse diei sabbati religionem, in quo nec cibos coquere nec ignem accendere licebat » (*Bonfr.*; et cf. 16,23 et 35,3). v. 17 « *Et observabitis azyma* ». *Sam.* וישמורתם ועשיתם; *LXX* solum ועשיתם. Pro המצות item *Sam. LXX* המצוה = ἐντολήν. Secundum hanc lectionem non ad praecipuam eorum dierum observationem, i. e. ad azyma redit oratio, sed generali formula totus ritus modo propositus inculcatur. « *In eadem enim ipsa die educam* » — *Hebr. Sam. Chald. Syr. : eduxi*, quae lectio est praeferenda; cf. quae dicebamus ante v. 14 — « *exercitum vestrum de terra Aegypti* ». « In idiomate hebraeo communiter consuevit multitudo virorum, sive pugnatorum sive non pugnatorum, vocari exercitus » (*Tost.*). « *Et custodietis diem istum in generationibus vestris ritu perpetuo* ». Festum azymorum cum Octava, similiter atque festa christiana, tamquam unicus concipitur dies, et quidem 15ᵘˢ Nisan, anniversarius exodi.

Porro lex de azymis tradita repetitur et in quibusdam accuratius definitur; et primum quoad tempus. v. 18 « *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam* ». Hic dies Phase cum sequentibus septem diebus confunditur, quia revera quoad azyma ab illis haud distinguitur. v. 19 repetit v. 15, ne advenis quidem concessa exceptione : « *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de coetu Israel, tam de advenis quam de indigenis terrae* ». v. 20 « *Omne fermentatum non comedetis : in cunctis habitaculis vestris edetis azyma* ».

γ. Lex Phase a Moyse promulgatur Ex. 12,21-28.

Arg. — Iam notabat *Tost.* non fuse hic repeti v. 3 sqq., sed aliqua compendio repeti, alia reticeri, pauca de novo adiici. Breviario repe-

titur v. 21 mandatum immolandi Phase, quae vox rem exprimens lectori notam articulum habet (*Dillm.*); victima autem exprimitur indeterminata voce צאן. Neque licet cum *Calm.* inferre dicta haec esse circa diem mensis 14^am^, cum quia, ubi res compendio narrantur, temporis determinatio omitti potest, tum quia ea determinatio fortasse latet in voce obscura מישכו v. 21. Novum affertur illud de adhibendo fasciculo hyssopi. Aut id a Deo dictum et v. 7 omissum Moyses h. l. supplevit, aut suarum partium esse duxit curare, ut Dei iussum decenter impleretur, ideoque propria auctoritate fasciculum illum adhibendum indixit. Item Dei v. 13 promissum vere interpretatus est v. 22 prohibitionem domo ea nocte excedendi. Sumpsit deinde ansam denuo inculcandi cum illiti sanguinis effectus (v. 23), tum obligationis festi perpetuo celebrandi (v. 24); et huic alteri monito adnexuit v. 25-27 novum quid, ubi quotannis in terra sancta festum hoc celebraturi essent, praeter ritum agni et azymorum debere parentes filiis explicare divina beneficia, a quibus illud festum ortum duxerit. Cum idipsum Moyses 13,3-16 pluribus explicet et quidem oratione, uti videtur, *suo*, non Iahve nomine ad populum facta, defendi potest etiam h. l. Moysen mandatum hoc adiecisse *propria auctoritate*. Cuiusmodi mandati propria auctoritate edendi ipsi erat indubium ius.

v. 21 « *Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel* ». Quaerit *Tost.*, an eos convenerit in terra Gessen an in urbe regia : neutrum textus affirmat, sed isti duo loci debuere proxime abesse inter se. « *Et dixit ad eos : Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase* ». *Hebr. Chald. : trahite et sumite*, ubi *Sam.* copulam ignorat. Illud *trahite* LXX vertit ἀπηλθόντες λάβετε, *Syr. cum festinatione sumite*. Sensus est satis clarus, licet vocis plenam rationem haud possimus reddere. v. 22 « *Fasciculumque hyssopi* » — hyssopus officinalis (Linn.) — « *tingite in sanguine, qui est in limine* », — seu verius *in pelvi* (*Targ., Syr.*; et cf. Zach. 12,2) — « *et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem* ». נגע liniendi potius quam aspergendi sensum habet (*Cai.*). Cum hyssopus frondes habeat tenues et scopae instar in unum collectas, dubitari potest, an אגדה significet talem ramum an plures ramos in unum colligatos. « *Nullusque vestrum egrediatur ostium domus suae usque mane* ». Rationem explicat v. 23 et notant *Tost.* aliique, pro hoc uno paschate solum hanc legem latam esse : Christus loco coenae paschalis egressus est noctu (*Calm.*). v. 23 « *Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios; cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et laedere* ». Ergo per angelum seu angelos occidit Deus (cf. v. 12 sq.) primogenitos (*Cai.*).

Frustra vero aliqui h. l. disquisiere, angeline intelligantur boni malive.

Iam fusius v. 24-27 inculcatur illud, quod v. 14 habebat. v. 24 « *Custodi* » — reliqui *custodite* — « *verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in aeternum* ». v. 25 « *Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis ceremonias istas* », seu verius cultum. Sive ultimum incisum *construas* apodosin versus 25, sive v. 25 sq. construas prodosin et v. 27 apodosin, secundum sensum tam v. 25 quam v. 26 prodosis *sunt* versus 27, sicque eliminatur dubium *Tost.*, secundum v. 25 Hebraeos non fuisse obligatos observare pascha, quamdiu in deserto versabantur : omnino obligabantur (cf. Num. 9). v. 26 « *Et cum dixerint vobis filii vestri : Quae est ista religio?* » v. 27 « *dicetis eis : Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios et domos nostras liberans. Incurvatusque populus* », i. e. seniores (*Tost.*), « *adoravit* ». Si autem praeplacet (cf. 19,7 sq.) verba intelligere de assensu ab ipso populo praestito, quando seniores ei verba Moysis retulere, neque id a textu dissonat, qui reapse concinnitatis gratia ab eiusmodi distinctius enuntiandis abstinet. v. 28 « *Et egressi filii Israel fecerunt, sicut praeceperat Dominus Moysi et Aaron* ».

8. Plaga describitur Ex. 12,29-36.

Arg. — Decimam plagam fuisse *pestem* coniiciunt plures. Manetho commemorat exitialem luem tempore primae dynastiae (Syncell. I. 101), aliam Hecataeus (Diod. Sic. 40) haud longe post, aliam Thucyd. 2,48, etc. Agitur utique h. l. de epidemia homines citissime interimente. Quandoque epidemia homines maxime robustos et sanos prae aliis, quandoque mares prae feminis prosternit. Oxonii in Anglia 1795 febris scarlatina unica nocte omnes oppressit pueros eo ipso anno natos, nullam vero puellam. Ita *Webster :* A brief history of epidemic and pestilential deseases, London 1800, II. 257; apud Friedreich 4. 113. Quibus veri simile efficitur decimam, uti priores plagas, profectam esse ab eventu aliquo naturali ex iis, qui in Aegypto quandoque locum habebant. Non fuisse eventum mere naturalem, sed veri nominis portentum, praeter Moysis praedictionem ostendunt tot primogeniti una dimidia nocte per totam Aegyptum exstincti, servatis Hebraeorum primogenitis.

v. 29 « *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio*

eius sedebat, usque ad primogenitum captivae, quae erat in carcere, et omne primogenitum iumentorum ». Pro *eius* verte *suo* : opponitur Pharao captivae, summus infimae. v. 30 « *Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi eius, cunctaque Aegyptus; et ortus est clamor magnus in Aegypto; neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus* ». Poetice cum luctum exaggerat Sap. 18,6-19. Item *Tost.* monens maximum fuisse extensive, quia per omnes domos diffusum, intensive, quia de primogenitorum morte editus. Textus non affirmat, in singulis domibus fuisse aliquem primogenitum (*Est.*) ; an maximus natu filiorum qui esset superstes, primogeniti nomine includi queat, licet alius natu maior e vivis cessisset, non liquet; certe nomine primogenitorum non veniunt filiae ; ceterum in ultimo inciso aliqua hyperbole admitti potest (*Bonfr.*), neque soli primogeniti dicuntur esse mortui aut soli viri. v. 31 « *Vocatisque* [*Pharao*] *Moyse et Aaron nocte* », — non otiose h. l. (cf. v. 29. 30) haec una vox repetitur — « *ait : Surgite et egredimini a populo meo, vos et filii Israel; ite, immolate Domino, sicut dicitis* ». Offerte sacrificium, de quo locuti estis : cf. 3,18; 5,1 sqq.; 7,16; 8,1. 20. 25 sqq.; 9,1. 13; 10,3. 8 sqq. 24 sqq. v. 32 « *Oves vestras et armenta assumite, ut petieratis* », cf. 10,25 sq. « *et abeuntes benedicite* » *etiam* « *mihi* » ; « orate pro me, ut non moriar » (*Ps. Ion.*).

Gravem cum 10,28 sq.; 11,8 *Dillm.* deprehendit discordiam, ubi protestatus erat Pharao non iam se coram adspectum iri a Moyse, Moysesque idipsum confirmaverat : an ergo tam Pharao quam Moyses promissis non steterunt? Pharaonem rebus desperatis animum mutasse aut Moysen ea, quae nonnisi ob eandem Pharaonis mentem protestatus fuerat, retractasse, non ita mirum est. Sed planior se offert solutio. Sicut multotics in hac narratione dicitur Moyses locutus esse ad Pharaonem, cum tamen e 4,14 sqq. constet locutum esse non ipsum sed per Aaronem, ita 12,31 vocavit Pharao Moysen per nuntium et per eundem nuntium ei locutus est. Et nota, v. 31 Hebraeum ignorare vocem Pharao; ergo « vocavit aliquis », « ait aliquis ».

v. 33 « *Urgebantque Aegyptii populum de terra exire velociter, dicentes : Omnes moriemur* » ; sive quod luem, quae primogenitos interemerat, latius grassaturam timerent; sive quod post caedem primogenitorum alia plaga superesse videretur nulla, praeter communem omnium caedem. v. 34 « *Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, et ligans in palliis* » *mactras* (cf. 8,3) « *posuit super humeros suos* ». v. 35 sq. « narrari factum prius » merito monet *Cai.* : etenim in una illa dimidia nocte deficiebat tempus. v. 35 « *Feceruntque filii Israel, sicut praeceperat Moyses* » (11,2), « *et petierunt ab Aegyptiis vasa argentea et aurea vestemque* [*plurimam*] ». Petierant ab Aegyptiis, quibus permixti terram Gessen incolebant; ab incolis urbis regiae, quae prope aberat; non ab omnibus omnino Ae-

gyptiis ad cataractas usque. v. **36** « *Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis, ut commodarent eis, et spoliaverunt Aegyptios* ». Commemorat *Tost.* « errorem quorumdam Iudaeorum, qui dixerunt, quod Iudaei acceperant gratis dona et nullo modo poterant committere furtum ». Hic error veritas est. שאל in hebraeo nunquam induit significationem commodandi, licet eam habeat in chaldaeo : ergo *et exoraverunt eos.* Neque ἔχρησαν (*LXX*) necessario derivatur a κίχρημι, mutuo dare; sed a χράω, praebere. Item נצל non semper sonat *iniustam* privationem, uti neque *spoliari* neque σκυλεύω, quae graeca vox de armis hosti devicto detrahendis adhibetur, quod iustum omnes aestimabant. *Chald.* vertit רוקן, *evacuare; Syr.* חלץ, *nudare.* Ergo non sunt accusandi Hebraei, quod ea mutuo acceperint, quae nunquam se restituturos esse oppido praescirent.

EX AEGYPTO IN SINAI

Ex. 12,37-23,33

A. De Ramesse in Socoth Ex. 12,37-13,19.

Ubi primum proficiscuntur Hebraei, narratio, quod p. 2 monebamus et iam in Genesi observabamus (Comment. p. 28. 31 sq.), *itineris stationes* sequitur. Quarum prima hac pericope absolvitur. 12,37-42 aliquae profectionis circumstantiae supplentur; 12,43-51 adscribitur alia lex ante profectionem data, definiens quinam Phase celebrare aut debeant aut nequeant; cui 13,1-19 subnectitur alia rursum lex de primogenitis, ob eam sane rationem, quod ipsa profectionis die (v. 3 sq.) ea lex fuerit a Deo edita ideoque ad eius diei acta pertineat.

Mandatis, quae illico sunt exsecutioni mandanda, narrator saepe appendit monitum, mandatum a populo esse expletum : ita 16,24; Lev. 8,36; 24,23 etc. Eius generis clausulam habent etiam duae cap. 12 leges v. 28. 50. Praeterea narratio v. 29-41, quae inter illas leges intercedit, suam habet v. 41 clausulam, *eadem die* populum ex Aegypto egressum esse. Quae clausula post ipsius sequentis legis v. 50 propriam clausulam rursum v. 51 repetitur. Quem versum *Masor.* et a praecedentibus et a sequentibus distinguunt. Hinc sequitur, *diem* v. 51 eandem intelligi atque v. 41, neque legem v. 43-50 *post* diem v. 41 esse editam. Quid sibi velit v. 42, dicemus infra.

1. *Hebraeorum profectio* Ex. 12,37-42.

Arg. — Supplentur circumstantiae aliquae nondum recensitae. Proficiscuntur die mensis 15ª, « videntibus cunctis Aegyptiis et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus » (Num. 33,3 sq.). Numerus egressorum subiicitur v. 37 sq., acta aliqua in Socoth v. 39 recensentur, numerus annorum commorationis aegyptiacae v. 40 sq. adscribitur, denuo v. 42 obligatio festi quotannis celebrandi inculcatur.

v. 37 « *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis* ». Sed voce טף intelligi universam *familiam*, censuere *LXX Chald. Symm.* De Ramesse et de Socoth, cuius pagi caput erat Phithom, diximus ad 1,11. Gratis supponit *Calm.*, Hebraeos omnes antea in Ramesse fuisse adunatos : sed Phase supponuntur singuli comedisse in suis domibus. Ergo verius

Moyses cum iis, qui prope urbem regiam incoluerant, primo profectionis die in extremam regionis Gessen partem se contulit, inde mox cum omnibus in Etham migraturus. Illud de *peditibus* suggessit *Ps. Ionathae*, mulieres et liberos vectos esse iumentis et plaustris; quod etiam suadet analogia cum Gen. 31,17; 46,5. Virorum numerus adiecto *fere* agnoscitur tradi approximativus tantum (*Tost.*), monetque *Calm.* sat probabiliter, Moysen accuratum censum nondum instituisse. Ceterum de numero ipso dicendum erit ad Num. 1. v. 38 « *Sed et vulgus promiscuum innumerabile* » — reliqui *multum* — « *ascendit cum eis, oves et armenta et animantia* [*diversi generis*] *multa nimis* ». Sed copulam ultimam ignorant *Sam. Chald.*, ut una voce *animantia* resumantur duo nomina antea scripta *oves* et *armenta*, i. e. pecudes minores et maiores. Aliquos se Hebraeis Aegyptios iunxisse, disce e Lev. 24,10; Num. 11,4, fortasse quod unam e tot plagis procul patria sperarent salutem, aut aliis de causis; reliquias Pastorum (Hyksos) aliosve ex Aegypto inferiore Semitas suggerunt alii. Verum silente textu haud tutum est quidquam affirmare. Porro in pago Socoth una res acta est oblivioni nequaquam permittenda : v. 39 « *Coxeruntque farinam, quam* [*dudum*] *de Aegypto* » reliqua, magis occidentem spectante « [*conspersam*] *tulerant,* [*et fecerunt*] *subcinericios panes azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Aegyptiis et nullam facere sinentibus moram; nec pulmenti quidquam* [*occurrerat*] *praeparare* ». Prima vice ibi *tortas* panis azymi coxerunt. Ad divinum 12,15 mandatum observandum hac prima vice eo etiam manducebantur Hebraei, quod aliter agere omnino non possent.

Cum commoratio aegyptiaca iam ad finem vergat, eius tota duratio describitur v. 40 : « *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum* ». v. 41 « *Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti* ». Quaenam dies intelligitur (cf. Gen. 7,13; 17,23. 26)? Die immediate consequente completionem 430 annorum, inquit *Cai.* : at parum probabile est, ita accurate per 430 annos Hebraeos dies computasse. *Tost.* : omnes simul uno die; sed is non est expressionis sensus. *Sa* : « ipsa die, de qua supra », ipsa die 15ª mensis primi (cf. Num. 33,3) de qua tot per hoc caput dicebantur. Et adverte, v. 17 iisdem plane verbis Deum id futurum promisisse, quod h. l. effectum pronuntiatur : « Eadem hac die educam exercitus vestros de terra Aegypti ».

Gen. 15,13; Act. 7,6 et apud *Ios.* Ant. II. 9.1 scribitur numerus rotundus *quadringentorum* annorum. Tamen *Ios.* numerum 430 Ant. II. 15. 2 habet. *Sam.* post *filiorum Israel* scribit et *patrum eorum*; dein ipse uti *LXX* addit *et in Chanaan*. Hi igitur 430 annos assignant non soli filiorum Israel in Aegypto, sed seminis electi inde ab

Abraham in Chanaanitide et Aegypto, commorationi. Non quaeritur, sitne lectio Sam. LXX genuina, quam spuriam esse legibus criticae efficitur : sed profectane sit e genuina traditione. Eandem traditionem habet *Ps. Ion.* numerans commorationis aegyptiacae hebdomadas annorum triginta, seu 210 annos. Sed, si rem accuratius inspexeris, invenies ab adventu Abrahae in Chanaanitiden anno mundi 2322 ad ingressum Iacob in Aegyptum (Gen. 12,4; 21,5; 25,26; 47,9) anno mundi 2537 fluxisse annos 215, seu hunc ingressum dividere numerum 430 in duas partes aequales. Eandem traditionem videtur exprimere S. Paulus Gal. 3,17. Trahuntur huc a quibusdam anni 390 + 40 = 430 apud Ez. 4,5 sq. : incerta lectio, neque constat prophetam de commoratione aegyptiaca cogitasse (cf. *Knabenbauer*). Contra annos 215 tantum commorationis aegyptiacae a quibusdam citantur ingentes numeri Hebraeorum, qui Num. 1 dicuntur cum Moyse Aegypto excessisse : sed de his numeris dicetur alibi. Pro illis 215 annis praeter testes laudatos facere videntur genealogiae : nam a Iuda ad Nahasson aequalem Moysis Ruth 4,18 sqq. numerantur generationes sex, a Iuda ad Bezeleel 1 Par. 2,5-20 generationes septem, a Ioseph ad Salphaad Num. 27,1 generationes sex, a Ioseph ad Iosue 1 Par. 7,22-27 generationes undecim (?). Infirmius tamen argumentum ideo, quod eas genealogias completas esse minime constet. At strenuam confirmationem illorum 215 annorum reperis Gen. 15,13, ubi posteri Abraham redituri ex Aegypto praenuntiantur « quarta generatione », postquam eo commigraverint. Iamvero, quamvis illis perantiquis temporibus liceat fortasse longiores triginta annis generationes assignare, at generationes saeculo longiores, ut sc. post 430 annos quarta generatio nondum effluxerit, adstrui nequeunt. E contra pro annis 215 sufficiunt generationes quatuor, quae singulae minus habeant sexaginta annis.

Placet h. l., quod etiam in Genesi (Comment. p. 359) faciebamus, subiicere annorum conspectum, non eo fine ut absolutam stabiliamus chronologiam, sed ut numerorum in s. textu descriptorum nexum demonstremus. Igitur, cum Abraham in Chanaanitiden immigraverit a. m. 2322, dicendi erunt Aegypto egressi esse Hebraei a. m. 2752, natus esse Moyses a. m. 2672. Si porro Levi, tertius Liae filius, supponatur natus esse tertio nuptiarum Iacob anno 2495, restant ab eo anno ad natum Moysen anni 177. Quibus vitae annis genuerint Levi, Caath et Amram cum ignoremus, dividamus inter eos 177 illos annos, tribuentes singulis annos 59; parum enim refert, an uno alterove anno computus a vero aberret; et habebimus sequentem elenchum.

Abraham Chanaanitiden ingreditur	a. m. 2322
Nascitur Levi, anno circiter tertio post patris nuptias	2495
Iacob Aegyptum ingreditur	2537
Nascitur Caath, anno circiter 59 vitae Levi	2554
Nascitur Amram, anno circiter 59 vitae Caath	2613
Moritur Levi annos natus 137 (Ex. 6,16)	2632
Nascitur Moyses, anno circiter 59 vitae Amram (Ex. 7,7)	2672
Moritur Caath annos natus 133 (Ex. 6,18)	2687
Moritur Amram annos natus 137 (Ex. 6,20)	2750
Aegypto egrediuntur Hebraei, anno 80 vitae Moysis	2752.

Quarta igitur generatio his nominibus continetur : Levi, Caath, Amram, Moyses. De chronologia aegyptiaca vide quae p. 29 dicebamus.

Sequentem versum *Masor. Sam.* ad praecedentia trahunt, et merito quidem, cum v. 43 novum ordiatur divinum eloquium. Tamen scribitur versus post narrationis clausulam v. 41, ut limites etiam praecedentis

narrationis quodammodo excedat. Non proponitur tamquam Dei aliquod eloquium, cum non habeat praefixa verba : Locutus est Dominus etc. Est igitur v. 42 appendix aliqua ad v. 41, exclamatio narratoris non Dei sed suo nomine cum tripudio repetentis legem v. 14, specialius etiam verba conformantis versui 12 (cf. v. 29 sqq.), ubi clades et liberatio *nocti* attribuuntur. v. 42 « *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Aegypti; hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis* », ergo cultu perpetuo. Vertunt : Nox vigiliarum haec fuit Iahve ad educendum eos de terra Aegypti : eadem debet esse pro Iahve nox vigiliarum cunctis filiis Israel in generationibus suis. *Nox vigiliarum* ea dicitur, qua quis, v. g. bellator, vigilias agit (*Cai.*) ad hostem opportuno tempore adoriendum. « Quibus verbis significatur, Deum ea nocte vigilasse et Hebraeos custodisse ab angelo vastante, ut eos deinde ex Aegypto educeret » (*Bonfr.*). Hebraei vicissim vigilabunt pro Iahve, in eius honorem et cultum, quotannis nocte quintodecimae diei primi mensis coenam paschalem celebraturi sunt. שִׁמֻּרִים, inquit *Dillm.*, est forma perantiqua, similiter atque כִּפֻּרִים, חִלֻּלִים, מִלֻּאִים : omnino ita est, eaque forma ipsius sententiae venerandam antiquitatem demonstrat. At, idem obiicit, praeter omnem contextum *noctis* h. l. mentio habetur. *Nox* haec eadem est, quae v. 41 *dies* audiebat, seu est eius diei nox. Locuturus auctor de vigiliis, non poterat scribere vigilias diei, nullam enim peculiarem laudem aut dignitatem habent vigiliae diurnae, sed debuit scribere vigilias noctis. Praeterea emphatica noctis mentio habebatur v. 29 sqq.

Ceterum *vigilandi* significatio, quam fere praeferunt recentiores, pro radice שׁמר non demonstratur, licet *custodia* persaepe sine *vigiliis* consistere nequeat; ea radice Moyses frequentissime exprimit mandatorum *observantiam*. Ergo cum *LXX Vulg. Chald. Syr.* melius vertes *nox observanda.*

2. *Lex de admittendis ad celebrandum Phase* Ex. 12,43-51.

Mentionem paschatis v. 42 factam novum excipit de paschate decretum. Cuius duae sunt partes : v. 43-47 agit de iis, quibus non sit aut sit ius comedendi paschatis; v. 48 sq. docet, quomodo, qui eo iure carerent, illud acquirere possent.

a. De admittendis et non admittendis Ex. 12,43-47.

Arg. — Statuitur v. 43 lex *negativa*, v. 47 lex *positiva*. Lex negativa v. 44 sq. *explicatur* quoad servos, inquilinos et mercenarios; *firmatur* v. 46 praecepto, ut epulum paschale *totum intra* Hebraeorum domos peragatur.

Nonne hanc legem oportuit edi non in Socoth post celebratum pascha, sed antequam illud celebraretur? *Primo*, ea lex quadamtenus iam continebatur in lege v. 3 sqq., ubi pascha describebatur esse res spectans « universum coetum filiorum Israel », peragenda in eorum familiis et domibus, minime vero in domibus Aegyptiorum. Quibus satis clare edicebatur, rem attingere solos Hebraeos. *Secundo*, Num. 9,10 sq. lege cavetur, ut qui statuto die a Phase celebrando legitime impedirentur, illud mense serius celebrarent. Nulla est ratio negandi, in primo etiam Phase similem indulgentiam a Moyse esse concessam, cum quod aliqui potuerint die mensis decima quarta legitime impediri, tum quod plures in dies homines agmini Hebraeorum iungerentur. Perpende *tertio*, Israelitas non omnes circa Moysen adunatos, sed per totam regionem Gessen fuisse dispersos; Moysen, licet seniores sedulo instruxerit, non tamen ubique praesentem adfuisse; seniores, licet in omnibus Moysi obtemperare studerent, in aliquibus tamen, quod humanum est, defecisse; verba 12,28 generalia esse neque aliqua, fortasse plura, perperam acta excludere. Recole summam eius noctis cum apud Hebraeos, tum maxime apud Aegyptios perturbationem : facile concedes, multa praeter legem ea nocte esse acta; ex illo 12,38 « vulgo promiscuo » plures in domos Hebraeorum sanguine agni defensas penetrasse, aut Hebraeos amicis quibusdam Aegyptiis aliquid sacrarum carnium tamquam certum imminentis ruinae palladium in domos submisisse. Rem Moyses rescivit et, ne abusus transiret in usum, ipsa sequenti luce inspirante Deo sermonem habuit ad populum de admittendis et excludendis. *Quarto*, gravissima ratio repetendae legis de admittendis v. 43-47 erat, ut ei annecteretur mandatum v. 48 sq., de quo vide infra.

An Hebraei, qui in Aegypto mancipiorum loco fuerant, habebant « mercenarios » et « servos emptitios »? Adverte « servos emptitios » etiam recenseri Gen. 17,27 in lege circumcisionis, in qua notissima v. 48 totus fundatur. v. 48 sq. « indigena » opponitur « peregrino », sicut hebraeus non hebraeo : quid interesset inter indigenam et peregrinum, experti erant Hebraei cum in Chanaanitide tum in Aegypto. v. 45 duas peregrinorum classes distinguit, « inquilinos » et « mercenarios ». De his opportune sane agebat Moyses, quo tempore « vulgus promiscuum multum » (v. 38) Hebraeis adhaerebat. Hebraeos *omnes* vilia Pharaonis mancipia fuisse, gratis effinxerit quis. Cur non habuerint « servos » Hebraeorum sacerdotes (19,22. 24) aut illi plurimi Hebraei, qui dum alii angariis opprimerentur, greges (10,26) procurabant? Quae tum fuerit Hebraeorum conditio, non est a priori definiendum, sed ex ipso textu sacro : porro ex 12,44; 21,2 sqq. etc. infero, apud Hebraeos fuisse tum servos, numero fortasse non exiguo.

v. 43 « *Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Haec est religio* », — lex, חקת : haec vox in inscriptione legis adhibita videtur denotare, uti vox תורה Lev. 6,9 etc. legem a Iahve *recens* editam — « *Phase. Omnis alienigena non comedet ex eo* »; omnis, « qui alienus erat a gente et religione iudaica » (*Sylv.*). Quod Phase sc. cum foedere intime connecteretur, ii soli ad Phase erant admittendi, qui foederi suberant. Sed iam principium generale ad varios casus erat applicandum; hinc v. 44 : « *Omnis autem servus emptitius circumcidetur et sic comedet* ». Agitur de veri nominis servis, iis etiam qui bello captivi ducebantur (*Tost.*). An erant circumcidendi vel inviti? Censet *Cai.*, potuisse adigi

ad circumcisionem, ut erat distinctivum familiae Abraham et divinitus praescripta, non ut erat professio fidei. Sapientius negant alii censetque *Sylv.* id edici, servo ut servo et familiari non fuisse ius comedendi Phase, sed debuisse primum, si comedere optaret, circumcidi. De servis in domo heri natis nihil dicitur : ipsi, mox ubi nascebantur, circumcidebantur etiam (*Kn.*). v. 45 « *Advena et mercenarius non edent ex eo* ». Ii, ut plurimum, non permanenter inter Hebraeos versabantur; non erant uti servi urgendi et inducendi. Ceterum plura de illis v. 48 habet. v. 46 « *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis* ». Cf. Num. 9,12; Io. 19,36. Unus agnus in unica semper domo comedatur; non mittatur pars de domo in domum, ubi facilius aliquid in manus profani hominis devenire poterat. Etiam, si ossa confringebantur, facilius aliqua eorum pars disperdebatur. Accedit ratio typica. v. 47 « *Omnis coetus filiorum Israel faciet illud* », comedet pascha. Haec est propositio positiva correspondens negativae v. 43.

b. Quomodo acquiratur ius comedendi Phase Ex. 12,48 sq.

Arg. — Acquiritur *circumcisione*. Eodem porro iure quoad Phase celebrandum, et consequenter quoad reliqua omnia, fruitur advena ritu Hebraeorum circumcisus, sicut Hebraeus natus.

Quis miretur, Iahven continuo in Socoth tulisse hanc legem tempori tam convenientem, imo necessariam? Devinciebat sibi ea lege Moyses imprimis illud « vulgus promiscuum multum » non Hebraeorum, quibus viam ostendebat, ut aequalibus cum Hebraeis iuribus fruerentur; gentem reddebat magis unam sacris, iuribus, rebus omnibus. v. 48 « *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere Phase Domini, circumcidetur* [*prius*] *omne masculinum eius* », i. e. eius familiae, « *et tunc rite celebrabit eritque sicut indigena terrae. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo* ». Sequens versus agit de *peregrino*, qui circumcisionem subiit (*Cai.*), ideoque iam non est peregrinus; nam eandem non esse legem peregrino atque Hebraeo, definierat praecedens sententia. v. 49 « *Eadem lex erit indigenae et colono, qui peregrinatur apud vos* », proxime quoad comedendum Phase, mediate quoad reliqua omnia.

De duabus clausulis v. 50 sq. dicebamus p. 129. — v. 50 « *Feceruntque omnes filii Israel, sicut praeceperat Dominus Moysi et Aaron* », quoad admittendos ad pascha manducandum et, quando occasionem nacti sunt, quoad circumcidendos; v. 51 « *et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas* ». Cf. 6,26.

3. *Lex divina de primogenitis, cum Moysis monitione de celebranda divinitus effecta liberatione* Ex. 13,1-16.

Arg. — Iahve v. 2 antiquam primogenitorum consecrandorum legem humanam renovat. Quod mandatum Moysen nomine Iahve populo enarrasse, cum per se pateat, h. l. praetermittitur. Adscribitur autem v. 3-16 *oratio aliqua ipsius Moysis*, non Deo iubente pronuntiata, qua Hebraeos, ubi in terra promissa consederint, monet ut ritus azymorum et ritus primogenitorum sensum filiis suis gratis animis explicent. Orationis prodoses habes v. 5-7 et 11-13, apodoses v. 8-10 et 14 sq. Cur vero haec explicare iubentur non statim in deserto, sed post plures tandem annos in terra sancta? In deserto aderat Moyses, haec eadem quotannis et saepius inculcaturus; oportebat vero, ut repetito haec a Moyse primum parentibus inculcarentur, quo hi eadem tandem liberis et vere et integre repeterent.

Ea, quam suggerebamus quamque facile admittit grammatica, prodoseon et apodoseon distinctione eliminatur difficultas, legem cum primogenitorum tum azymorum tradi tantummodo in terra sancta, non vero in deserto servandam. Porro primogenitorum consecratio erat Moyse longe antiquior, cum et Abel immolaverit primogenita, et primogenitorum fere consecratio consequatur primitiarum consecrationem, et apud ethnicos etiam reperiatur tamquam legis primitivae vestigium. Difficile credat quis, legem tam venerandae antiquitatis per quadraginta annos iubente Deo observari desiisse. Cuius in deserto etiam observandae nulla erat difficultas; imo Num. 3,11 sqq. supponitur ea lex in deserto etiam viguisse, et Ex. 22,29 sq. nulla adscripta restrictione inculcatur. Azymorum lex, quantum novimus, Moyse non exstitit antiquior; Ex. 12,15. 19 sine ulla restrictione fertur, item Lev. 23,6 et Num. 28,17; ostendit vero Num. 9,3. 11 eam legem saltem ipso die Phase etiam in deserto fuisse observandam. Istae leges v. 9. 16 servandae statuuntur tamquam *memorialia perpetua* acceptorum beneficiorum : sed facile efficacia carebit memoriale, quod non nisi elapsis quadraginta annis observandum instituitur. Quomodo aequalium Moysis filii interrogaturi erant eorum rituum rationem : « Quid est hoc? » (Ex. 13,14 sq.; cf. v. 8), si eos ritus patres supponantur nequaquam observasse? Quod igitur Moyses oratione directe inculcat, non est ipsa primogenitorum et azymorum religio, sed eius explicatio a parentibus filiis in terra Chanaan proponenda, demortuo iam Moyse.

a. Lex de primogenitis Ex. 13,1 sq.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit* » *omnem* « *vulvam in filiis Israel* », ergo primam prolem *matris* (*Cai.*), et quidem masculam secundum v. 12, « *tam de hominibus quam de iumentis : mea sunt* [*enim omnia*] », mea sunt illa primogenita. Cum in bona hominis non soli homini, sed Deo etiam sit ius, hinc aliqua illorum pars Deo debetur, et quidem

pars prima, non enim decet hominem anteponere Deo. Hinc primitiae sacrae habitae sunt, et in animantibus primogenita. Primogenita non ideo Deo sacra habita esse, quod meliora censerentur iis, quae postea gignerentur, evincit Lev. 27,27; Deut. 15,21 sq. Tamen primogeniti *filii* parentibus semper fuere apprime cari (cf. etiam 4 Reg. 3,27 et Mich. 6,7), ideoque Deus percussit primogenitos Aegyptiorum. Hinc nova fluxit ratio primogenitorum Deo post exodum attribuendorum : dum interimebat primogenitos Aegypti, tam hominum quam animalium, servaverat Deus primogenitos Israelis. Merito igitur ait : *mea sunt;* cf. 34,19 sq.; Num. 8,16 sq.; Luc. 2,23. Non erant Deo dono danda, sed iure ad eum pertinebant Lev. 27,26 : quare optime h. l. quadrat nativa verbi *sanctificare* significatio, quae est a profano usu segregare.

b. Celebranda divinitus effecta liberatio Ex. 13,3-16.

α. *Exordium Ex.* 13,3 *sq.*

Arg. — Recordationem effectae liberationis inculcat Moyses. Cuius alterum monumentum, primogenitorum consecrationem in hoc exordio, non attingit, quod non sit recens instituta, non solam exodum in memoriam revocet. Primarium monumentum, azymorum religionem, attingit, eamque *quotannis* observandam.

v. 3 est introductio tam ad v. 5-10 quam ad 11-16 : « *Et ait Moyses ad populum : mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto* [*et*] » — copula haec in eadem expressione deest v. 14; 20,2; Deut. 5,6; 6,13 (12); 8,14; 13, 10,11 ; (cf. v. 5. — Hebr. 6); Ios. 24,17 — « *de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto* ». Memoria accepti tanti beneficii, ut beneficium celebrent, eos impellet. Pergit *Vulg.* : « *ut non comedatis fermentatum panem* ». v. 4 « *Hodie egredimini mense novarum frugum* », seu nomine proprio retento, *mense Abib.* Ubi admirationem facit inserta h. l. animadversio chronologica superflua et manca : ubi enim de consilio tempus exodi describebatur, oportebat praeter mensem efferri etiam diem, quae erat decima quarta mensis. *Hodie* ad priora trahit *Sam.*, post eam vocem copulam inserens. Unice vere pro היום *Syr.* legit ביום : *Non comedetis fermentatum in die egressus vestri, mense Abib;* habebisque planum contextum. Dices, sic etiam desiderari diem mensis. Verum, illam non potuisse adscribi pandit v. 6. sq. Videlicet *dies* v. 4 non intelligitur viginti quatuor horarum dies, sed universim *tempus;* aut dicas, diem ibi accipi sensu caeremoniali, qui ad octavam seu integrum septiduum pertingat. Syri lectio item eliminat difficultatem, Moysen in Socoth, uno saltem post egressum die, dixisse *hodie* egressos esse Israelitas.

β. *Celebranda liberatio Ex.* 13,5-16.

א. occasione ritus azymorum Ex. 13,5-10.

Arg. — Secundum ea, quae supra dicebamus, ita construe : *Cumque introduxerit te Iahve in terram etc., cumque celebrabis cultum hunc mense hoc*, — hic inseritur v. 6 sq. textus legis divinae 12,15 sq. eum cultum praecipientis — *narrabis filio tuo etc.*

v. 5 « *Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananaei et Hethaei et Amorrhaei et Hevaei et Iebusaei* », — *Syr.* addit Pherezaeos, *Sam. LXX* praeter hos etiam Gergesaeos : parum refert, cum, quotcunque tandem nomina legantur, scriptor omnes terrae sanctae populos in mente habuerit (*Sylv.*) — « *quam iuravit patribus tuis, ut daret tibi, terram fluentem lacte et melle* » (cf. 3,8), « *celebrabis hunc morem sacrorum mense isto* ». v. 6 « *Septem* » — *Sam. LXX sex*, fortasse imitati Deut. 16,8 : re idem est, cum lectio Hebr. primum diem includat, altera excludat — « *diebus vesceris azymis, et in die septimo erit solemnitas Domini* ». Inde a v. 5 a plurali descenditur ad singularem (cf. 12,24), quo numero antiquissimae leges exprimi consueverunt (*Dillm.*). Hic septimus festi dies vocatur חג 12,14, et Lev. 23,7 primus. Reapse uterque erat *festum* et, licet חגג significet « saltare », tamen nomini חג perperam affigitur significatio « peregrinationis ». In cuius locum Deut. 16,8 subintrat vox עצרת, πανήγυρις. v. 7 « *Azyma comedetis septem diebus* » : — *Hebr. comedetur* — « *non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis* ». 12,15 « in domibus ». v. 8 « *Narrabisque filio tuo in die illo dicens : Hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Aegypto* ». Verbotenus : *propter id, quod fecit mihi Dominus*, — supple : hanc azymorum legem servo (*Vat.*). זה significatione *is, qui* etiam habetur Iob 19,19 ; 15,17. « Doctrina domestica praecipitur in solemnitate paschali » (*Cai.*). v. 9 « *Et erit* » observatio legis azymorum « *quasi signum in manu tua* », quod ipse non potes oblivisci, quia semper illud vides, « *et quasi monimentum ante* », seu verius, *inter*, « *oculos tuos* » (cf. Deut. 14,1), ergo fronti impressum quodque alios nequit latere, « [*et*] *ut lex Domini* [*semper*] *sit in ore tuo* », ut de illa saepe et libenter loquaris cum filiis aliisque (cf. Deut. 6,7;11,19), et hinc eam etiam habeas in corde, assidue mediteris. « *In manu enim forti eduxit te Dominus de Aegypto* », et ideo meretur, ut eius beneficiorum recorderis. v. 10 « *Custodies huiuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies* », i. e. « de anno in annum » (*Cai.*).

ב. Occasione sanctificationis primogenitorum Ex. 13,11-16.

Arg. — Construas ita : *Cumque introduxerit te Iahve etc., cumque separabis omne, quod aperit vulvam etc.*, — hic resumitur v. 12 sq. ipsa lex, quae, quod videatur fuisse Moyse antiquior, in praecedentibus nondum recensebatur — *cumque interrogaverit te filius tuus etc., respondebis ei etc.*

v. 11 « *Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananaei, sicut iuravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam* » : v. 12 « *separabis omne, quod aperit vulvam, Domino; et quod primitivum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino* ». « Ex lege primogenitorum docendi sunt parentes non obsistere filiis tametsi primogenitis, imo et unigenitis, cupientibus ad religionem transire » (*Sylv.*).

העברת *transire facies*, ergo *segregabis*, *consecrabis* : haec significatio dici vix potest derivata, sed nativa. Quod ergo Lev. 18,21 etc. scribantur (?) filii « consecrari Moloch », non efficit ad eam impiam consecrationem h. l. alludi (*Keil*), aut textum esse recentius scriptum (*Wellh.*). Cf. *Dillm.* — שגר *Vulg. Chald.* intellexere idem esse atque רחם, et significatio *vulva* reapse a radice *demisit*, *proiecit* sat facile derivatur neque video, cur eadem non possit adstrui pro Deut. 7,13; 28,4. 18. 51. Sed eam h. l. non supponebant *LXX* : Πᾶν διανοῖγον μήτραν ἐκ βουκολίων ἢ ἐν κτήνεσί σου. Ubi μήτραν non est idem atque רחם, sed uti v. 13 e contextu sapienter suppletur; שגר vero latet in priore duorum sequentium nominum (ἐκ βουκολίων), quae copula colligantur. Et nota LXX ignorare copulam ante citata verba ita, ut « omne aperiens vulvam » v. 11 videatur dividi v. 12 sq. in tres classes : omne aperiens (vulvam) שגר בהמה, omne aperiens (vulvam) asini, omne primogenitum hominis. Profecto שגר בהמה LXX, uti h. l., ita etiam Deut. 7,13; 28,4. 18. 15 vertunt τὰ βουκόλια τῶν βοῶν σου; *Chald.* בקרי תורך, *armenta boum*; itemque *Syr.* A radice שגר alii derivant significationem *foetus*. — בהמה nativa acceptione designat quadrupedes domesticos gregarios (cf. Gen. 1,24 sqq.; Lev. 1,2). Vocem quandoque latius sumi, non est mirandum : v. g. Num. 32,26 sermo est de « gregibus omnibusque בהמה »; Gen. 47,18 eo nomine praeter boves videntur includi oves, caprae, equi, asini; quandoque vox arctius etiam sumitur de quadrupedibus domesticis gregariis maioribus, exclusis minoribus שה, i. e. ovibus et capris. Sed hos includi h. l. inferas ex Lev. 27,26; Num. 18,15 sqq. Agi h. l. de solis quadrupedibus mundis docet v. 15 (« immolo »). Equi in Aegypto fere unice tum reservabantur regi atque exercitui. Hebraei usque ad Davidis regnum illis caruere. Cameli, quorum nomen habetur Ex. 9,3, tamen in Aegypto videntur fuisse rarissimi, nulla ante Graecorum imperium inscriptio aut pictura illos habet.

v. 13 « *Primogenitum asini mutabis ove* ». Cur solus asinus efferatur, quaeritur. Non quia erat animal immundum, camelus quippe et alia aliqua item erant immunda. Optimam rationem assignat *Sylv.*, « quia Iudaei asinorum opera maxime utebantur », et nota asinam unicum quotannis pullum parere. Ergo Deus hoc animal Hebraeis tam

utile futurum gratiose concessit, imo redimi permisit animali minoris pretii, ove. Quam legem suis rebus iniquam certe non effinxerunt sacerdotes. Lev. 27,27 (itemque Num. 18,15) agitur probabilius de animalibus specie quidem mundis, sed ob aliquem defectum immundis : ergo non habetur a nostro textu discrepantia. « *Quodsi non redemeris, interficies* », « quia Dei est et non redemptus » (*Cai.*). ערף est τραχηλίζειν, decollare, cervicem frangere. « *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis* [*pretio*] *redimes* ». Pretium h. l. nondum accuratius determinatur. Hic textus implicite condemnat sacrificia humana.

v. 14-16 utique correspondet v. 8 sq. *Cras* hic et in textibus Ios. 4,6. 21, qui cum nostro textu unum sunt, evidenter idem sonat atque *LXX* μετὰ ταῦτα : « ponitur cras pro tempore futuro » (*Tost.*). v. 14 « *Cumque interrogaverit te filius tuus cras dicens : Quid est hoc? respondebis ei : In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo servitutis* ». v. 15 « *Nam cum induratus esset Pharao* [*et nollet*] *nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti a primogenito hominis usque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo Domino omne, quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo* ». Hinc colligas, primogenita iumentorum v. 12, et ovem vel capram v. 13 asino substitutam, destinata fuisse quae sacrificarentur. v. 16 « *Erit igitur quasi signum in manu tua et quasi appensum quid* [*ob recordationem*] *inter oculos tuos, eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Aegypto* ».

טוטפת evidenter simile quid sonat atque « monimentum » v. 9; quod *Vulg.* indicat insertis vocibus *ob recordationem*. Uti dicebamus ad v. 9, ex his textibus ortum sumpsit apud Iudaeos phylacteriorum usus, quod exprimens *Chald.* h. l. scribit תפלין. Alii vertunt dubitantes et titubantes : *LXX* ἀσάλευτον, immobile; *Symm. Theod.* σαλευόμενον; *Aq.* εἰς ναπτά (?). Vox, undecunque tandem derivetur, radice una est cum Chald. טוטבא armilla (2 Reg. 1,10), טוטפתא vitta vel tiara (Ez. 24,17. 23), טוטפן vitta (Esth. 8,15).

4. *Itineris ratio* Ex. 13,17-19.

Sequentes tres versus fere sunt parenthesis instar, nomen אלהים habent, fortasse serius adiecti fuere ad supplendam piam rationem selecti itineris longioris, et ad ostendendam impletionem vaticinii Gen. 50,23 sq. — v. 17 « *Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terrae Philisthiim, quae vicina est* »; — audacter verte *quia vicina erat :* post quadraginta fere dies dimicavere Hebraei contra Amalec : sed cum Philisthaeis, hostibus bellicosissimis, pugnandum fuisset statim et assidue (*Men.*). Parcebat autem Deus

populi infirmitati et, qui tot contra Aegyptios miracula decrevisset, nolebat miraculis contra Philisthaeos decertare (*Tost.*) : Aegyptii quippe propter gentis electae oppressionem ei exosi erant, Philisthaei non item — « *reputans, ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum* ». Locutio est anthropomorphica : Deus non reputabat, coniiciebat, sed certissime praesciebat conditionate futura (*Tost.*). v. 18 « *Sed circumduxit* » gyro « *per viam deserti, [quae est iuxta] Mare Rubrum. Et armati* » (cf. quae diximus ad Gen. 15,16) « *ascenderunt filii Israel de terra Aegypti* ». Edicitur sane idem, quod 6,26; 12,41. 51; et cf. Ios. 1,14 et 4,12. Habuerant ergo iam in terra Gessen Hebraei aliqua arma, quorum plura de cetero potuere esse simplicissima : baculi, arcus, fundae, lanceae. Initio regni dimicaverat Merenpthah in Aegypto inferiore contra Libyes aliosque : haud mirum igitur est, apud terrae Gessen incolas reperta esse arma. v. 19 « *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel dicens : Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum* » (Gen. 50,24).

Act. 7,15 sq. S. Stephanus ait : « Et descendit Iacob in Aegyptum, et defunctus est ipse et patres nostri; et translati sunt in Sichem et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem ». S. Stephanus et errare potuit et erravit. An putarit Iacob sepultum esse in Sichem, qui Gen. 49,13 sepultus scribitur in Hebron, non liquet. At certe errat, agrum emptum esse affirmans ab Abraham, qui fuerat 33,19; Ios. 24,32 emptus a Iacob. Videtur praeterea asserere, patriarcharum etiam Iosephi fratrum ossa ex Aegypto esse translata. Eadem *Ios.* (Ant. II. 8) ante exodi tempora Hebronem esse translata affirmat. E quibus illud saltem colligas, apud recentiores Iudaeos exstitisse traditionem aliquam de ossibus illis aliquando in Chanaanitiden translatis. De qua traditione cf. *I. Felten* : Die Apostelgeschichte, Freiburg. i. B. 1892, p. 150 sq. — Non describitur v. 18 totum Hebraeorum iter, sed itineris directio. *Via terrae Philisthiim* transibat prope Mare Mediterraneum. *Desertum* intelligitur totum ab oriente Isthmi desertum, ut illa etiam via per eius deserti partem transierit : quare Hebraeorum iter accuratius describitur *via deserti. Mare Suph;* ea sc. deserti parte transiere, qua illud attingit Mare Suph. His generaliter omnino describitur via, qua Deus Hebraeos ducturus est, secuturos fere litus occidentale paeninsulae Sinaiticae. Hebraei quidem v. 20 in Etham progressi in animo fortasse habebant recta terram sanctam petere; etiam 14,2 ad tempus a *via deserti, Mare Suph* deflectunt : sed generalis itineris directio ea expressione enuntiatur. Nomine *Mare Suph* indubie designatur *Mare Rubrum.* Ita quippe praeter *Vulg.* semper vertunt *LXX* (excepto Iud. 11,16 Σἰφ). 3 Reg. 9,26 et 2 Par. 8,17 nomen ad sinum Aelaniticum extenditur. Num. 14,25; 21,4; 33,10 designat mare Aegyptum inter atque paeninsulam Sinaiticam. Cum igitur illud nomen tam ad mare, quod est ad orientem, quam ad illud quod est ad occasum eius paeninsulae pertineat, pertinet idem ad totum Mare Rubrum, cuius illi duo sinus partes sunt. Minime vero nomen extendere licet ad Lacum Menzaleh (prope Damiettam urbem), quod voluit *H. Brugsch* : L'Exode, Leipzig 1875, p. 11 sqq. — סוּף 2,3. 5; Is. 19,6 designat *iuncum,* Ion. 2,6 *algam.* Vocem transumptam putant e lingua aeg., aliis suggeren-

tibus *sippe* i. e. algam, aliis *sebe* i. e. arundinem, aliis *tufi* i. e. papyrum. Iunci et papyri in aquis salsis non reperiuntur; algae in Mari Rubro sunt plurimae, pauciores tamen in parte eius septentrionali; sed quod pauciores sint nunc, non sequitur pauciores item fuisse antiquitus, imprimis cum Mare Rubrum longius tum pateret ad septentrionem, quam nunc patet. Quod ita probatur. Exstructus fuerat antiquitus canalis a Nilo apud Bubasten per Wadi Tumilat fluens in Lacum Timsah, atque ita circuitu quodam Mare Mediterraneum ei lacui iungens. Ubi vero canalis lacui iungebatur, ibi exstructa est urbs Arsinoe. Porro eadem urbs scribitur fuisse in litore Kemuer, i. e. aequoris nigri magni. Ergo Kemuer est ipse Lacus Timsah. Verum in aequor Kemuer vel Ptolemaeorum aevo penetrabant naves e Mari Rubro. Unde pronum est inferre, Mare Rubrum seu Suph tum usque ad Lacum Timsah pertigisse. Cf. *Mueller* p. 39 sqq. 391. Hic idem lacus videtur tum aquas salsas habuisse, cum Aegyptius aliquis illuc fuga delatus narretur siti esse cruciatus. — Notatu digna est pictura apud *R. Lepsius*: Denkmaeler III. 128 a. b (cf. *H. Brugsch*: Die Geographie des alten Aegyptens, Leipzig 1857, p. 261 sqq., tab. XLVIII). Depingitur sc. iter Seti I post devictos Asiae populos in Aegyptum ab oriente revertentis. Arces aliquas puteosque praetergressus rex venit ad aequor piscibus abundans, quod lacum Kemuer seu Timsah esse crediderim, quocum angulo recto iungitur aequor alterum crocodilis abundans ideoque aquas habens dulces, cui adscriptum est nomen *Ta-tenat* i. e. excavatio, quod proprium est canalis, de quo modo dicebamus (*Ebers*, Gosen p. 471 sqq. 507 sq.). In eius canalis utraque ripa, ponte interiecto, cernitur urbs munita, cui adscriptum nomen *Chatem* i. e. circumvallatio. Hoc vero nomen a nomine *Etham* v. 20 nihil differt. Erat igitur Etham arx exstructa prope canalis illius in Lacum Kemuer seu Mare Rubrum ostium, fortasse eodem loco quo postea condita est Arsinoe. Erat ea Aegypti clavis, qua parte terra Gessen desertum prospiciebat, cui etiam nomen inditum deserti Etham (Num. 33,8); erat simul emporium Maris Rubri; nihilque magis erat obvium, quam ut Hebraei terra Gessen egressuri per Etham transirent. Sed aliud decrevit Deus, qui non populum solum liberare, sed Pharaonem confundere in animo habebat. — Unde *Maris Rubri* nomen ortum duxerit, explicat *Ebers* l. c. p. 518 sq.: sc. dum suam regionem Aegyptii appellabant terram *Kam* seu nigram, deserta lybicum et arabicum vocabant terram *teser* seu rubram (cf. Herod. II. 12), et mare adiacens vocabant « Mare terrae rubrae ».

B. De Socoth in Etham Ex. 13,20-22.

v. 20-22 tertiam stationem breviter perstringit, quae fuit Etham. Quo loco dicendum erat de columna nubis et ignis, quae tum primum apparuit : gratuito quippe coniicit *Bonfr.*, eam primum visam esse, quando de Ramesse Moyses proficiscebatur in Socoth; via de Ramesse in Socoth erat Hebraeis notissima, at, ubi e Socoth excessere, duce profecto opus erat. v. 20 « *Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis* », munitione in finibus deserti exstructa, uti modo dicebamus. v. 21 « *Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis* » *ad lucendum eis*, quod incisum etiam LXX omittunt; *ad eundum diu noctuque*, quod liberius sed vere reddit *Vulg.* : « *ut dux*

esset itineris utroque tempore ». v. 22 « *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo* », praecedens illum. Quae verba conscripta sint oportet aliquamdiu post exodum, quando aliqua iam experientia demonstraverat nubem illam non deficere.

עמוד certe dicit *columnam*, cf. Iud. 16,25. « Significat autem columna, Deum non posse imagine repraesentari » (*Clem. Alex.* : Strom. I. 24; *M.* 8. 909). Haec columna nubis postmodum consedit in monte Sinai (19,9. 16) atque inde arcae iuncta est (40.34 sqq.; Num. 9,15 sqq.; 10,11 sq; cf. Ex. 33,9); arca vero, uti antea sola nubes, populo in itinere praeibat. Nubes vocatur *columna* per comparationem; comparationes vero non solent semper eaedem adhiberi, habent natura aliquid varium atque incertum; potuitque ea quandoque nubes ita deprimi aut ita supra solum elevari, ut non iam columnae prae se ferret similitudinem, quae et in altum procera attollitur et in solo fixas habet radices. In quibus omnibus nulla deprehenditur ratio duorum adstruendorum auctorum, quorum unus nubem illam inde ab ipsa exodo, alter nonnisi post exstructum tabernaculum adfuisse affirmet, unus columnae comparet, alter non ita. — Alexander Magnus (Curt. 5,2,7) Babyloniam et Susianam peragrans « perticam, quae undique conspici posset, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat, pariter omnibus conspicuum, observabatur ignis noctu, fumus interdiu ». Addunt aliqui, etiamnum in Arabia praeferri « caravanis « in pertica praealta vasa ferrea ligni ardentis plena. Sed monet *Ebers* l. c. p. 530 eiusmodi praeferri, non quo itinerantium agminibus via demonstretur, sed quo principibus viris honor exhibeatur. Nihil huiusmodi s. scriptorem narrare planum est; qui vero sentiunt, eiusmodi ignem in pertica gestatum in plebeculae mentibus mox transformatum esse in portentum columnae, ii veracitatem scripturae negant.

C. Transitus Maris Rubri Ex. 14,1-15,21.

1. *Hebraeorum et Aegyptiorum ad Mare Rubrum castra* Ex. 14,1-14.

Arg. — Dominus Hebraeos iussit pedem referre et in Maris litore castra ponere. Unde perspexit Pharao non recta illos sacrificii locum petere regnoque egressos ad se minime esse reversuros. Qui antea ut dimitterentur suaserant, iam indignatione in Hebraeos exarserunt. Pharao priorum portentorum immemor cum universo exercitu fugientes est persecutus. Perterritis ac murmurantibus divinam Moyses promittit salutem, a solo Deo sine ipsis efficiendam.

Cap. XIV. v. 1 « *Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel : Reversi castra metentur e regione Phihahiroth, [quae est] inter Magdalum et mare, contra Beelsephon; in conspectu eius castra ponetis super mare* ». Ita etiam *LXX;* sed *Masor. Chald.* iungunt sic : *e regione Beelsephon, ex opposito eius castra ponetis admare.*

Phihahiroth sane idem est atque *Pikeheret* seu *Pikerehet*, quod reperit *Naville* l. c.

Qui locus erat pagi Socoth, haud longe a Phithom, scribiturque modo Phithom modo Pikeheret nomi octavi caput. Cum igitur nomen omnino videatur esse aegyptium, non est cum *LXX Targ. Syro* et *Hier.* (Ep. 78 ad Fabiolam; *M.* 22. 702) indulgendum etymologiis hebraicis. — Uti plura apud Hebraeos מִגְדָּל i. e. *turris*, ita plura apud Aegyptios exstabant *Maktira* seu *Maktila*. Narratur vero Seti I aliquod Maktira exstruxisse in pago Socoth (*Mueller* p. 134). — *Beelsephon* est nomen specie utique semiticum : origine fuerit aut item semiticum, cum veri haud sit absimile Phoenices aliquos prope Mare Suph incoluisse (*Ebers* p. 511), aut aegyptium sed in formam postmodum semiticum quid sonantem a Semitis transformatum. Quae praeterea aliqui coniiciunt, fuisse Beelsephon aut montem aut urbem in monte exstructam, quod cultores Baal excelsa adamaverint, ea audacius proferunt. — Venimus iam ad ipsam sententiae *constructionem*. Igitur dicuntur Hebraei esse *reversi*, i. e. non ultra Etham in desertum Etham progressi, sed in Aegyptum, sc. in pagum Socoth regressi atque ad occidentale Maris Suph litus delati. Voci לִפְנֵי bis in eodem contextu adhibitae idem utrobique tribuendus est sensus. Significationem *ad orientem* induit illa Gen. 23,17 (cf. v. 19) : quo tamen nondum cogimur eandem h. l. significationem adstruere. In textu vero parallelo Num. 33,7 in locum לִפְנֵי semel subintrat עַל, quod nunquam, semel פְּנֵי עַל, quod etiam (Gen. 16,12 ; 23,19 ; 25,18 ; 3 Reg. 17,3. 5) sed non semper sensum habet *ad orientem*. In ipso nostro textu alterum לִפְנֵי explicari videtur per נֶגְחִי, *ex opposito eius*, quod sensum *ad orientem* habet nunquam. Tutius igitur sistemus in significatione *ante, in conspectu, e regione* : e regione Phihahiroth iubentur Hebraei consistere. — Sequentes porro voces *inter Migdol et Mare* insertis vocibus *quae est* retulit *Vulg.* ad *Phihahiroth* : habebis ergo Phihahiroth inter Migdol et Mare, et Hebraeorum castra e regione Phihahiroth, ergo sane ad septentrionem Phihahiroth et fortasse etiam Migdol. Sed possunt voces referri ad וַיַּחֲנוּ, ut iubeantur Hebraei considere inter Migdol et Mare simulque e regione Phihahiroth : habebisque castra inter Migdol et Mare, Phihahiroth vero nonnihil ad meridiem, quod crediderim, castrorum. — Iubentur iidem mox castra ponere *e regione Beelsephon, ex opposito eius*. Quae verba per se sola spectata interpretabere aut de loco a Phihahiroth diverso, aut de loco eodem, ut iam eiusdem loci nomen tradatur semiticum, cuius modo nomen scribebatur aegyptium. Sed comparandus hic venit alter textus Num. 33,7 : « et reversi sunt versus (עַל) Phihahiroth, quae est e regione (עַל פְּנֵי) Beelsephon, et castra posuere e regione « seu » « ab oriente » (לִפְנֵי) « Migdol ». Et cf. Ex. 14,9 « in Phihahiroth contra Beelsephon ». Quibus utique efficitur, agi non de unico sed de duobus locis. Situs accurate definiri nequit; cum vero tam Phihahiroth quam Migdol fuerint in pago Socoth, Beelsephon quoque fere ibidem erit quaerendum, non est mons Gebel Atakah prope Suez. Tota res acta est aut ad litus Lacus Timsah aut aliquantulum ad eius Lacus meridiem.

v. 3 « *Dicturusque est Pharao super filiis Israel* » : — *LXX populo suo : Filii Israel etc.*; sed non est emendanda constructio cum לְ, licet sit minus usitata. Refertur Pharaonis cogitatio, non vero ad populum oratio — « *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum* ». Pharao suspicatur, eos non iam divinis oraculis duci, igitur impune opprimi posse. Pro niphal verbi בּוּךְ ex Ioel 1,18; Esth. 3,15 habes significationem *perturbati sunt*, cuius sequelam h. l. scribunt *LXX errant*, causam *Syr. peregrini sunt* : quia peregrini sunt, perturbantur in terra non sua, ideoque itinere errant. Hinc effectum est, ut deserto nunc

operiantur (סגר) seu *claudantur* eoque se extricare non valeant. Praeter Aegyptum, quam fugiunt, et mare, quod traiectum iri haud suspicatur Pharao, undique concluduntur deserto Aegypti, quod nullam libertatis et salutis aperit viam. v. 4 « *Et indurabo cor eius ac persequetur vos, et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu eius, scientque Aegyptii, quia ego sum Dominus. Feceruntque ita* ».

Sequentia Pharaoni *nuntiata* esse per exploratores ab illo submissos, sentit *Tost.;* neque tamen eiusmodi exploratoribus opus erat, cum documentis hieroglyphicis doceamur, munitionum circa deserti fines praefectos consuevisse Pharaonem accuratissime edocere de iis omnibus, qui per munitiones transirent (*Erman* p. 708 sq.). Recte vero hi nuntiavere *fugisse* populum : promiserant se tridui itinere in desertum esse perrecturos sacrificii causa; ubi primum a recto in desertum arabicum tramite deflectebant, nascebatur suspicio eos non sincere agere, non merum sacrificium meditari sed fugam (*Cai.*). Neque obest, quod fugae efficiendae minus aptam viam elegisse viderentur, dum in Phihahiroth deflectebant. v. 5 « *Et nuntiatum est regi Aegyptiorum, quod fugisset populus; immutatumque est cor Pharaonis et servorum eius super populo* », — etiam *servorum*, quorum plures antea (10,7; 12,33.36) populum suaserant dimittendum, nunc vero et fugientium malam fidem indigne ferebant et incerto itinere vagantes despiciebant — « *et dixerunt : Quid [voluimus] facere, ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis!* » v. 6 « *Iunxit ergo currum* » *suum*, quam vocem *LXX* collective interpretantur, « *et omnem populum suum* », i. e. militem imprimis peditem, « *assumpsit secum* ». Exercitu ita summatim descripto, quae in eo potissima erant, singillatim efferuntur; curruum numerus, aurigae, duces. v. 7 « *Tulitque sexcentos currus electos* », — numerum hunc fide esse omnino dignum, et monumenta docent et loci scripturae paralleli : cf. quae diximus ad Iud. 4,3 et 1 Reg. 13,5 — « *et quidquid in Aegypto curruum fuit* », — id post sexcentos currus modo recensitos claudicat. *LXX* vertere *equitatum*. רֹכֵב 3 Reg. 22,34 et 2 Par. 18,33 *aurigam* designat, ergo : *et omnem aurigam Aegypti* — « *et duces totius exercitus* ». *Hebr. : Et Schalischim super ipsum omnem*, ubi pronomen *ipsum* non ad *aurigas* refertur aut *currus*, cum curribus Aegyptiorum praeter aurigam unicus veheretur pugnator, qui neque e ducum ordine semper desumptus esse supponi potest, neque aurigae dux commode scribi potuit; sed ad *currus et populum* (v. 6), i. e. totum exercitum (*Vulg.*). De ducum autem ordine, qui Schalischim vocabantur, fuse dicebamus ad 2 Reg. 23,8. v. 8 « *Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Aegypti, et persecutus est filios Israel; at illi egressi erant in manu excelsa* ».

Cuius erat ea *manus?* Hebraeorum, inquiunt *Vat.* aliique : « egressi erant magna audacia et animo alacri, animosi, magna sperantes, hilares ». Ubi ו non est vertendum *quia* (*Kn.*) : quos enim « fugientes » (v. 5) arbitrabatur Pharao, eorum sane non stomachabatur audaciam. Unde *Bonfr.* : « etiamsi » seu non obstante, quod « egressi essent in manu excelsa ». At minime « obstabat » manus illa in nocte Phase extenta, sed posteriore « fuga » retractata. Et nota v. 10 sqq., quam parum audaces Hebraei se praebuerint in Phihahiroth. Non Hebraeorum secus manus excelsa tota hac narratione celebratur, sed Dei; et cur יד רמה h. l. et Num. 33,3 non affirmemus idem edicere atque Ex. 6,6 זרוע נטויה? an, quia Num. 15,30 peccatores agunt « manu excelsa », et Deut. 32,27 hostes : « Manus nostra excelsa », inquiunt, « non Dominus, fecit haec omnia? » an ex his sequitur, non Deo etiam tribui posse manum excelsam? Ubi *Tost.* ad plagas Aegypti potissimum censet alludi, *Cai.* potius ad columnam nubis et ignis, idque aptissime. Pharao persequendorum Hebraeorum consilium init : *at* eo ipso tempore illi egrediebantur, Dei excelsa manu in columnae forma in eorum protectionem erecta. O viri vesaniam!

v. 9 « *Cumque persequerentur Aegyptii [vestigia] praecedentium, repererunt* » — *Hebr. assecuti sunt*, cf. Gen. 31,25; 44,4. 6 — « *eos in castris super mare* ». Ibi quippe substiterat columna (*Tost.*). « *Omnis equitatus et currus Pharaonis et universus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelsephon* ».

V. 4 totus *exercitus* voce חיל exprimitur, quae v. 17. 28 solos *pedites* designat, idemque sonat v. 6 עם. Praeterea textibus praeter v. 4 omnibus recensentur רכב, *currus;* accedunt 14,9. 17. 18. 23. 26. 28; 15,19 פרשים, *equites* seu collective *equitatus* (cf. Gen. 50,9). 14,23 habetur expressio סוס פרעה רכבו ופרשיו; 15,19 סוס פרעה ברכבו ובפרשיו; 14,9 כול רכב פרעה ופרשיו : quae tres expressiones utique idem edicunt, sc. equos Pharaonis tam curribus quam equitatui attributos. Exercitus eius temporis Aegyptiorum ita depinguntur, ut solis curribus et peditibus sine equitatu constitisse credendi sint. Tamen de hominibus equorum tergis vectis pauci textus loquuntur (*Erman* p. 652), neque e narratione Exodi colligere opus est integras equitum turmas in exercitu Pharaonis fuisse, sed solum equites aliquos numero incerto. — *Ios.* numerorum prodigus sexcentis curribus addit peditum ducenta, equitum quinquaginta millia : is equitum numerus cum picturis supra laudatis proeliorumque narrationibus hieroglyphicis componi nullo nomine potest.

v. 10 « *Cumque appropinquasset Pharao* », copias iam e Phihahiroth versus Hebraeos producens, « *levantes filii Israel oculos viderunt Aegyptios post se* » *insurgentes*, — *Hebr.* נסע, *Sam.* נסעים : si lectio Hebr. genuina, vere tamen pluralem interpretati sunt *LXX Chald. Syr.* — « *et timuerunt valde, clamaveruntque ad Dominum* », v. 11 « *et dixerunt ad Moysen* : » — Recte *Calm.* viros graviores ait versos esse ad preces, dum alii impotentius inveherentur in Moysen; verba autem, quae sequuntur, non immerito « mordacem sarcasmum » dicit *Sylv.* — « *Forsitan non erant sepulcra in Aegypto* », quae regio sumptuosissimis abundabat sepulcris : « *ideo tulisti nos, ut moreremur in so-*

litudine? » Nota exaggerationem : vix dici poterant in solitudine versari, tot locis habitatis (v. 2) circum iacentibus (*Tost.*). « *Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Aegypto?* » Sapientiores ipsi omnia accurate praedixerant, quae iam eveniebant : v. 12 « *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes : Recede a nobis* », πάρες ἡμᾶς, desiste a nobis, « *ut serviamus Aegyptiis? Multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine* ». Easdem verbotenus querelas post 6,9 inserebat *Sam.* : at, etiamsi in prioribus non commemorabantur, satis 6,9 et 5,21 innuitur atque e natura rei fere colligitur aliquos exstitisse murmuratores. v. 13 « *Et ait Moyses ad populum : Nolite timere, state* », « non fugiatis, non moveamini ad pugnandum » (*Tost.*), « *et videte magnalia Domini, quae facturus est hodie : Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum* ». Seu potius cum *LXX* verte כי אשר : *sicut vidistis hodie*, sc. vivos; et cf. v. 31. v. 14 « *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* », « quiescetis, otiose et iucunde hanc Dei pro vobis pugnam spectando » (*Men.*).

2. *Hebraeorum salus et Aegyptiorum strages* Ex. 14,15-31.

Arg. — Deus Hebraeos siccis pedibus promittit mare esse traiecturos; quid Aegyptiis sit inflicturus generalius tantummodo innuit, cognituros illos affirmans ipsum esse Iahve. Aegyptii Hebraeos per siccum maris alveum insequentes primum perturbantur, postea aquis redeuntibus opprimuntur.

v. 15 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me?* » Iam cessa clamare (*Cai.*), quia exaudieris. *Clamaverat* Moyses cum reliquis v. 10 viris piis, neque inserere cum *Syro* fas est *et oravit Moyses coram Domino*. Afferuntur ergo v. 15-18 ea, quae Deus Moysi v. 10 clamanti respondit. At v. 11 sq. ei clamori immediate subnectebantur quorumdam querelae, et querelis v. 13 sq. subiiciebatur Moysis ad eas querelas responsio. An singula eo, quo narrantur ordine, etiam acta sint, nescimus neque tenetur narrator in minimis quibusque ordini actorum inhaerere. « *Loquere filiis Israel, ut proficiscantur* ». Mandato explicito opus erat, cum hac vice nubes non esset ante populum incessura. v. 16 « *Tu autem* », cui voci v. 17 respondet « ego autem », « *eleva virgam tuam et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum* ». v. 17 « *Ego autem indurabo cor Aegyptiorum, ut persequantur vos, et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu eius et in curribus et in equitibus illius* ». v. 18 « *Et scient Aegyptii, quia ego sum Dominus, cum glorificatus*

fuero in Pharaone et in curribus atque in equitibus eius ». Persequentur Aegyptii Hebraeos per siccum mare, et certe non assequentur : secus enim vix glorificaretur Iahve. Tamen futura Aegyptiorum strages, aquarum in alveum reditus distinctius nondum enuntiatur. Effectus vero divini portenti is erit, ut non soli Hebraei (cf. 6,7; 10,2; 16,12 etc.) sed, quod maxime semper intenderat Deus, ipsi Aegyptii (7,5 ; 14,4. 18; et cf. 7,17; 8,10. 22; 9,14. 29) agnituri sint, *quia ego Iahve*, non inane gerens nomen, Deus et nomine et re. Huius rei habebitur integra et perfecta probatio.

Iam divina ordiuntur portenta. Manifestatur divina in columna recondita virtus, *Angelus Dei*. Ubi adverte duo membra incipientia voce ויסע et desinentia in באחריהם, assonantiam hic inter מלאך et וילך, ibi inter עביד et ויעביד, motum utrobique a primo ad extremum agmen. v. 19 « *Tollensque se angelus Dei, qui praecedebat castra Israel, abiit post eos; et* [*cum eo pariter*] *columna nubis priora dimittens post tergum* » v. 20 « *stetit, inter castra Aegyptiorum et castra Israel; et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis* [*tempore*] *accedere non valerent* ». Ergo, eo certe tempore, ita larga erat illa columna, ut a conspectu universorum castrorum Hebraeorum Aegyptios praecluserit (*Bonfr.*).

Textus minime est certus. Adverte ex ipso contextu patere, nubem illam fuisse Aegyptiis tenebrosam, sed Hebraeis luminosam : luminosa quippe semper erat nocte (13,22), debuitque esse tum potissimum luminosa, quando Hebraeis per ipsum maris alveum fuit incedendum. Porro *Chald. Syr.* itemque *Symm.* textum explicavere, distincte affirmantes nubem Aegyptiis fuisse tenebrosam, Hebraeis luminosam. *Hebr.* habet ויהי העגן והחשך ויאר את הלילה. *LXX* διῆλθεν ἡ νύξ = ויכל הלילה. Etiam *Syr.* *Chald.* videntur legisse כל ante לילה : unde probabile apparet, eam vocem in textu primitus fuisse, sive post את, sive eius loco. Soli *LXX* ignorant ויאר, cuius tamen pars prior in illo ויכל latere videtur. ו ante החשך ignorant *Sam. Symm.*; hic etiam ignorat articulum. Tamen eo retento et alia a Masor. adhibita punctatione, vertes : *et erat nubes obtenebrans et illuminans tota nocte* (*Ewald, Kn., Dillm.*), quod fere idem sonat atque *Vulg.*

v. 21 « *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus* » — ויולך *fecit illud diffluere;* cf. Ez. 32,14 — « [*flante*] *vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum; divisaque est aqua* » v. 22 « *et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus a dextera eorum et laeva* ». Res ad oculum narratur, non secundum rationem scientificam. Causae portenti assignantur non necessario omnes, sed eae quas Hebraei deprehendere valuere : primum Dei omnipotentia Moysis verbo et manu demonstrata, deinde ventus. Unde concludes ad hoc quoque portentum, uti ad priora in Aegypto perpetrata, aliquid contulisse causas naturales, illud fuisse

supernaturale quoad modum tantum. Atque reapse, si tota ab initio res inauditis plane miraculis constitisset, Aegyptii nullis iussis minisve compulsi essent, ut in illud se vadum coniicientes Hebraeos insectarentur : non fert istud humana natura. Notat *Proc.* portentum affine haberi Ios. 3,16 : tamen, an fuerit omnino idem iisdemque causis effectum, interpretis est disquirere. *Est.* post *Ios.* confert factum Maris Pamphilii recedentis, quo Alexandri Magni copiis transitus pateret : in eiusmodi factis comparandis summa utique opus est prudentia.

De vento קדים cf. quae diximus ad Iud. 5,21. Est ventus ab oriente flans, *scirocco*, ideoque non inepte dictus *urens*. Sed potest etiam esse ventus fere ab oriente flans, cum Hebraei ventos tantum secundum quatuor partes coeli principes distinguant. Porro venti in angusto illo mari summam exercent vim. Raro ventus flat ab oriente, vix alio quam aequinoctii veris tempore. Mensibus Aprili et ineunte Maio saepe vehemens habetur auster ad orientem vergens, ut plurimum horis ter viginti quatuor ; cui succedit violentior etiam boreas ad occidentem vergens, undas ex angusto sinu in apertius mare propellens, maris alveum prope Suez fere denudans, quo tempore recedentibus aestu aquis sinus a peditibus etiam angusto aliquo Suez vado traiicitur. Sed vento ad austrum transeunte, aquae rursum in extremum sinum irruunt, altitudinis sex vel novem pedum. Cf. *Kn.*, *Ebers* p. 101 sq.

Quare ventum ad aquarum Ex. 14,21 divisionem aliquid contulisse, facile concedimus, omnia praestitisse haud assentimur. Quodsi enim ventus ille *validus* divisionem aquarum unus efficiebat, debuit quamdiu ea divisio, tamdiu ipse perdurare, toto sc. tempore, quod Hebraei traiiciendo mari impendere. Qui ventus validus et urens debuit Hebraeis esse quam maxime adversus, liberis, gregibus et supellectili impeditorum iter plurimum debuit retardare, imo impossibile reddere (*Tost.*). Neque divisionem aquarum ei vento adscribit textus, sed *siccatum* recedentibus aquis maris alveum. Sufficit igitur cum interpretibus plerisque tueri ad hunc potissimum finem illum a Deo ventum fuisse submissum. Neque obest aquas scribi diffluxisse ברוח, id veluti efficiente vento : cum res ad oculum narretur, neque aliud tandem exprimatur, quam simul et aquas recessisse et eum ventum flavisse, quin affirmentur eius venti violentia aquae esse revolutae.

Putat *Dillm.* v. 21 sq. duorum scriptorum centones deprehendi consutos, quorum alter Moyse manum extendente aquas esse divisas narraverit, alter vento flante esse propulsas. Gratuito adstruitur sutura. Primum res, uti oculis cernebatur, effecta describitur, sc. Moyse manum extendente validoque flante vento aquas diffluxisse siccatumque esse alveum; dein per divisas aquas et murorum instar tramitem utrimque definientes sicco itinere transiisse Hebraeos. Ultimum v. 21 incisum iunge cum v. 22, et videbis non bis idem, sed diversa narrari.

Sed, quid de aquis *muri* instar eminentibus? Adverte Hebraeos noctem haud integram (cf. v. 20.24) traiiciendo mari insumpsisse, fuisse numero plurimos cum gregibus permultis (12,38), ergo non angusto aliquo vado, sed lato tractu mare traiecisse. Qui medio illo tractu incedebant, utrimque procul revolutas aspiciebant aquas. Muro hae comparantur, aut quod muri instar *eminuerint*, aut quod muri instar tractum illum *concluserint*: comparationis tertium non est necessario adstruenda altitudo. Verum, si unquam in vasto planoque maris litore constitisti, quo tempore aestus aut procedebat aut recedebat, nonne conspexisti undas procul cumuli seu valli, utique haud praealti, instar et quasi ex altiore loco imminentes? Quod omnino explicat, quomodo hebraeus narrator rem ad oculum pingens potuerit aquas h. l. comparare *muro*, et 16,8 et Ios. 3,16 *cumulo*; id siquidem, non vero *montem* (*Vulg.*) sonat ib. vox נד.

Quodsi accuratius definire cupias eum, quo Hebraei mare traiecerint, tractum, perpendenda tibi primum erit soli ea in regione conformatio. Igitur inter extremum, qui nunc est, Sinum Suez et inter Lacus Salsos interiacet stratum arenae altitudinis unius circiter metri, latitudinis quinque kilometrorum. Quorum lacuum solum 7-12 metra infra Maris Rubri superficiem demittitur. Inter Lacus Salsos et Lacum Timsah intercedit alterum arenae stratum, plures habens paludes. Hunc inter et Lacum Menzaleh, qui Mari Mediterraneo est coniunctus, tertium est stratum altitudinis 12-15 metrorum, quod ante rerum aegyptiarum primordia invectis utrimque arenis utrumque mare, Mediterraneum atque Rubrum, primum ab invicem separavit. Reliqua duo strata recentius ortum sumpsere. Quod Mare Rubrum vel Ptolemaeorum aevo ad Lacum Timsah pertigerit, oportet illa duo strata tum certe partim submersa fuisse sed aquis parum altis. Hebraei vero ultra Lacum Timsah meridiem versus nondum procul processerant, si Magdalum v. 2 supponatur illud esse a Seti I exstructum, quod intra limites pagi Socoth continebatur. Ergo probabilius traiecere Hebraei mare extremo fere, qui nunc est, Lacu Timsah, inter hunc Lacusque Salsos.

Aliam praeter ventum naturalem causam non commemorat textus, quia alia ab Hebraeis sensibus non percipiebatur. Sunt tamen causae aliae, ob quas mare quandoque longius recedit, postea consueta litora repetiturum: terraemotus, eruptiones vulcanicae, ingentes tempestates, quandoque in locis maxime dissitis habitae. Quarum an aliqua tempore exodi acciderit, ignoramus.

v. 23 « *Persequentesque Aegyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus eius et equites per medium maris* ». *Hebr.*: *et omnes equi Pharaonis, currus eius et equites eius*, equi tam curribus quam equitatui attributi. Columna nubis adhuc inter Aegyptios et Hebraeos intercedebat, hoc enim fere colligitur e voce *respiciens* v. 24 et ex eo, quod columna discessisse minime narretur. Non igitur videtur columna per se fuisse phaenomenon horrendum, sed potius instar spissae nebulae; neque ita spissae, ut omnem mutuum obtutum praecluserit. Videntur Aegyptii trans nebulam, quid agerent quodve iter tenerent Hebraei, percepisse; insequebantur eos audacter, soluta nebula impetum facturi. — Porro in tres antiquitus *vigilias* Hebraei noctem dividebant, quarum prima Thren. 2,16, media Iud. 7,19, tertia h. l. et Reg. 11,11 commemoratur. Tres item vigilias norant Babylonii et Assyrii (F. Delitzsch in : Zeitschrift für Keilschriftforschung

II. 284 sqq., Leipzig 1885). v. 24 « *Iamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum* ». הקשיף proprie *inclinari*, dein *inclinando respicere*. « Quid est, quod per nubem dicitur Deus respicere super castra, nisi hoc sc., quod nubes, quae prius tenebras faciebat Aegyptiis, lucem praebuit eis? » (*Hugo*). Et Ps. 76 (77), 18 sq. (cf. *Ios.* et *Targ.*) apte interpretatur tonitrua et fulgura. Quibus utique *perturbandi* (non *interfecit*) erant Aegyptii eorumque equi. Monet *Dillm.*, delectari B voce מהנה (cf. v. 19 sq.), dum A v. 4.9.17.28 scribat חיל : sed nota, solo v. 4 חיל designare totum exercitum, secus solos pedites; erat ergo ratio praeferendae vocis מהנה. v. 25 « *Et subvertit rotas curruum* » ; ויסר *fecit declinare* in illa perturbatione, unde secuta est subversio; *LXX* itemque *Sam.* ויאסר *colligavit* i. e. *implicavit :* rotae rotis implicabantur in illa perturbatione. Vox מרכבה (Gen. 41,43; 46,29) vel in ipsam linguam aegyptiam transumpta est, ubi *merkobt* currum designat duabus rotis instructum (*Erman* p. 650 sq.). « *Ferebanturque in profundum* ».

וינהגהו : si subiectum supponatur מצרים in hac sententia acceptum ut nomen numeri singularis (*Chald. Syr.*), suffixum masc. sing. referendum erit ad nomen fem. plur. מרכבתיו, quod est nimis durum. Ergo subjectum est *Dominus*. נהג *impellere, minari* animalia, in piel fortasse significationem induit *effecit, ut veheretur*. Sed *Sam.* legit וינחגהו, cui radici in linguis syr. et arab. significatio competit *concussit, quassavit*, v. g. situlam in puteum demissam. Cf. Vocabulaire arabe-français, Beyrouth 1883. Sed quid est ἅπαξ λεγόμενον בכבדת. *in difficultate ?* Quam difficultatem *LXX Chald. Syr.* intellexere subiective, ergo : quassavit eum violenter; aut : effecit, ut veheretur cum difficultate, sensus in hoc contextu perquam languens. *Vulg.* intelligit obiective videturque cogitasse de locis in alveo maris, ubi currus arenis fortasse mobilibus absorbebantur : detrusit in eiusmodi loca. Ita sane in textu ceteroquin obscuro apta habetur gradatio : fulguribus perturbantur imprimis equi, implicantur curruum rotae, aliqui arenis mobilibus absorbentur, totus exercitus terrore dissolvitur.

« *Dixerunt ergo Aegyptii : Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos* ». Cf. v. 4.18. v. 26 « *Et ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquae ad Aegyptios, super currus et equites eorum* ». v. 27 « *Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo* » — cf. Gen. 24,63 — « *ad priorem locum, fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquae* », non necessario ex eadem directione, qua illi fugiebant, « *et involvit* », conquassavit « *eos Dominus in mediis fluctibus* ».

Sequitur iam, quod hebraeis aliisque scriptoribus frequens est, brevis v. 28-31 narratorum recapitulatio eorumque effectus, fides sc. Hebraeorum in Deum et Moysen. Nulla diversorum adstruendorum auctorum cernitur ratio. v. 28 « *Reversaeque sunt aquae, et operuerunt*

currus et equites cuncti » — pro לכל *LXX Syr* וכל — « *exercitus Pharaonis, qui sequentes* » *eos* — Pharao ipse nullibi diserte affirmatur esse absorptus, et ex documentis Aegyptiorum effici videtur, eum aliquamdiu superstitem fuisse — « *ingressi fuerant mare. Nec unus quidem superfuit ex eis* ». v. 29 « *Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquae eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris* ». v. 30 « *Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum* », v. 31 « *et viderunt Aegyptios mortuos super litus maris, et manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos; timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino et Moysi servo eius* ».

3. *Canticum Moysis* Ex. 15,1-21.

Cap. XV v. 1 « *Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino et dixerunt* » : — Vox *tunc* sensum h. l. induit *ea occasione :* fortasse consequente illam noctem mane concinnatum est carmen. Peracto transitu Maris Rubri, ut alias completa hostium clade (cf. Iud. 5 et Iudith 16), instituebatur solemnitas epinicia. Non habebat ea sacrificia, nam Hebraei professi fuerant se tridui itinere in desertum profecturos esse ad sacrificia et, qui recentes erant a pugna, censebantur immundi (Iudith 16,22). Sed prope ipsum victoriae locum aut domum reducibus victoribus, celebrabatur victoria choris atque tripudiis. Facile conieceris, posteriores eiusmodi solemnitates ad instar primae huius maximeque memorabilis a Iudaeis esse celebratas : comparatae igitur inter se lucem invicem affundent. Habes hic canticum v. 1-18 et epinicium mulierum v. 21. Post victoriam Debborae Iud. 5 et Iudith 16 habes canticum, sed non adscribitur epinicium illud, fortasse quod in illo cantico ipsae mulieres strophas decantaverint. Habes 1 Reg. 18,6 sq. epinicium mulierum, quod fortasse praecesserat canticum aliquod : eo quippe loco non intendit sacer auctor canticum, quod forte decantatum sit, tradere, sed occasionem indicare irarum Saul, quae tota erat in illo epinicio. Comparari item potest planctus David 2 Reg. 1,19-27, qui quidem epinicium mulierum non habet, sed nota in planctibus orientis semper prominuisse mulieres, et v. 24 easdem diserte ad luctum edendum invitari. Ceterum de epinicio Ex. 15,21 confer eius versus explicationem.

Auctor narrationis Exodi, quisquis ille nondum discussa a nobis de Pentateuchi auctore quaestione esse supponatur, vir certe fide omnino dignus Deoque inspirante profatus, affirmat hoc canticum Moysis tempore, et quidem brevi post traiectum Mare Rubrum, esse concinnatum. An Moyses auctor? Id e sola voce *cecinit* utique non colligitur: cecinere

etiam *filii Israel*, quin fuerint auctores. Neque sequitur ex appellatione « canticum Moysi » Ap. 15,3, cum canticum Moysi non illud solum dici queat, cuius Moyses auctor, sed item illud, quod Moyses primus cecinisse tradatur. Tamen, si advertas, quomodo in tota exodo principem constanter locum Moyses obtineat, Dei verba ad populum loquatur, prudens dubium relinquitur nullum, eum carminis non praecentorem solum sed etiam auctorem fuisse. Cf. quae diximus ad Iud. 5. Adde, Sap. 10,21 edici videri, speciali divino influxu canticum esse concinnatum : « Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas »; i. e. vel eos, qui ceteris minus essent eloquentes, sapientia impulit, ut totis animis canticum illud decantarent. At per quemnam potius ille influxus in universam plebem derivari debuit, quam per Moysen, qui in omnibus numen inter et populum intercedebat? Si, quod post 6,7 suggerebamus, linguae in Moyse impedimentum a Deo sit paulatim alleviatum, non improbabiliter (cf. Sap. 10,21) affirmabis, illud in hoc cantico iam plene esse sanatum.

De cantico Ex. 15 disputaturi, vestigia premimus *I. K. Zenner S. I.*, qui de psalmorum aliorumque canticorum indole solide simul atque egregie disserit in libro : Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. B. 1896. Nostrum igitur canticum, quod v. 21 confirmat, fuit e numero eorum, ad quae poesis, musica et chori conspirabant. Constat stropha v. 1-5 et antistropha v. 6-10 quinorum versuum, quas duo ex ordine chori decantabant. Sequitur stropha mutatoria v. 11-13, cuius versum primum et tertium chorus prior, medium chorus alter decantabat. Tandem alter hic chorus decantabat stropham secundam v. 14-16^{a}, chorus prior antistropham secundam v. 16^{b}-18, quae erant trinorum versuum. Affectum cantici primarium exprimit stropha mutatoria celebrans Iahven, quod terribilem se exhibuerit inimicis, benignum populo suo. Eum affectum praeparant stropha et antistropha priores, producunt posteriores. Singuli versus distichi sunt, quandoque (v. 8. 9. 15) tristichi, binam aut trinam habentes vocis contentionem et remissionem.

Ios. canticum aiebat conscriptum esse *hexametris*. Idipsum de psalmis cum ipso affirmabant Hier., Euseb., Or., Philo (Zenner p. 13). Quae vox si ad accuratum syllabarum numerum et ordinem referatur, inepte hac in re scribitur. Eo autem sensu est vera, sicut hexameter duobus constet stichis caesura distinctis, ita versum quoque hebraeum plerumque duos habere stichos.

Quam longe distat hoc canticum a carmine Lamech Gen. 4,23 sq., antiquissimo illo, quod novimus, poetico tentamine! Ibi disticha tria ab unico certe primitus homine decantabantur, Adae et Sellae marito,

gladium cum inconditis saltibus agitante. Hic duobus virorum choris circumfunditur tertius mulierum; antistropha strophan excipit. chorus chorum; resonant tympana, corporum decori motus oris verba musicaeque sonos comitantur. Unde Hebraeis ea nata est ars? Habebant Aegyptii choros et choroegos, videntur item habuisse Assyri (*Erman* p. 340 sq.; *A. W. Ambros :* Geschichte der Musik, Leipzig 1880, I. 137 sqq. 177 sq.); sed musices initia habes Gen. 4,21; funerum planctus antiquissimis temporibus nati sunt; cum Gen. 31,27 cf. Ruth 4,11 sq. E quibus factis coniicias, in stirpe electa antiquitus fuisse choros et cantica; ea sane Hebraei sacris suis etiam praemosaicis adhibuerant.

Stropha prior v. 1-5.

Arg. — Laudatur Iahve ob excellentiam manifestatam strage Aegyptiorum. Suo robore servavit Hebraeos. Iam plenum effectum nacta est ea Iahve voluntas, ut eum esse Iahve *omnes sciant :* experti sunt eius nominis virtutem Aegyptii; Israel eum esse Deum suum, Deum avitum ideoque verum, eundem atque El Schaddai proclamat. Clades quatuor membris graphice describitur.

« *Cantemus Domino* », in Iahve laudem (*Vat.*), « demus ei laudem de tanto beneficio » (*Tost.*). Verba sunt mutuae exhortationis; nam solus *Hebr.* habet *cantabo* (אשירה; *Sam.* אשירו!. Subiungitur laudis thema : « *gloriose enim magnificatus est* », « non factus magnus, sed demonstrans magnitudinem » (*Tost.*). *Hebr. alte supereminet;* ἐνδόξως δεδόξασται. Nota vocalium musicam in illo גָּאֹה גָּאָה, finge integrum chorum id uno ore canentem. Thema, quod modo universim enuntiabatur, iam ad specialem casum contrahitur : « *equum et ascensorem deiecit in mare* ». Hoc portentorum maximum atque supremum prae reliquis omnibus unum effertur. Una vox רכבו et equites et eos, qui e curribus decertant, imo ipsos currus exprimit : illud omne quod in Aegyptiorum exercitu maxime terrebat Hebraeos. Pedites efferri brevissima formula non patitur. רמה de proiectione violenta scribitur, de sagitta emissa, ubi recolas fulgura, de quibus ad 14,24 dicebamus.

v. 2 « *Fortitudo mea et laus mea Dominus* », hic primum uti 17,16 brevi forma יה expressus. Sensus omnino is est, quem *Vulg. Chald.* exprimunt; sed admirationem faciunt *Hebr. Sam.* זמרת sine suffixo possessivo. Pronum est dicere, iod suffixi sequente iod vocis יה excidisse (*Houb.*) : tamen Is. 12,2 et Ps. 117 (118), 14, verba nostra repetentes, item ignorant suffixum alterum. Dicas igitur, vel זמרת esse formam archaisticam pro זמרה (*Ges.*), vel esse contractam e זמריתי (*Hupfeld*). *LXX* videntur corrupte legisse עזר וביכתר היה לו לישועה, adiu-

tor et refugium factus est mihi in salutem. *Fortitudo* populi hebraei est Iahve, quia ipso potissimum, multoque magis quam viribus naturalibus, roborantur : sed in transitu Maris Rubri fuit Iahve tota ipsorum fortitudo, cum ipsi viribus naturalibus nihil omnino ad portentum contulerint. Quia vero hac ratione Iahve est fortitudo, *ideo* idem est *laus* seu *canticum* (*Hebr.*), quod scribitur per synecdochen pro cantici themate seu materia. Vox *canticum* huic membro adscribitur intuitu vocis *cantemus* v. 1; res in mente poetae omnino principalis est fortitudo, quam unam respicit sequens incisum : « *et factus est mihi in salutem* », seu « salvator » (*Men.*). Copulam interpretare *et ita* (*Dillm.*) : cum sit fortitudo mea, factus est salvator. Non interpretare *nam* (*Sylv.*) : siquidem non ideo Iahve est fortitudo mea, quia me salvavit; sed vice versa, quia est fortitudo mea, ideo factus est meus salvator. « *Iste Deus meus* » est solus (*Bonfr.*); non dii Aegyptiorum (*Sylv.*); « *et glorificabo eum* ». Verbum נוה semel Hab. 2,5 coniugatione kal legitur significatione habitandi, permanendi; et hoc uno loco coniugatione hiphil, ubi *LXX Syr.* vertunt uti *Vulg.* E contra *Chald. : et aedificabo ei sanctuarium*, eum habitare faciam. Hunc sensum h. l. esse dimittendum, et parallelismus docet cum sequenti inciso, et stilus cantici concinnus et vigoris plenus, ab eiusmodi quaesito sensu abhorrens. « *Deus patris mei, et exaltabo eum* ». Dicitur non Deus patrum, sed *patris*, Deus avitus, uti 3,6, ut eam expressionem *Dillm.* censeat velut ex ipsius Moysis ore sonare. Deus avitus fideliter retentus eo ipso agnoscitur Deus verus, cum genus humanum primitus verum Deum novisse supponatur. Israelitarum vero avi, paucis in Mesopotamia exceptis, hunc Deum coluere. Ceterum avitus hic dicitur Deus imprimis, quod Abrahae posteriorumque patriarcharum fuerit Deus, quibus factae sunt promissiones.

A generaliori ad particulariorem expressionem progreditur vates. In exodo aegyptiaca *fortitudinem* et *salutem* se praebuit Iahve *pugnans* pro populo suo; hinc v. 3 : « *Dominus* [*quasi*] *vir pugnator* », *Syr. heros et bellator, Chald. magister superans bello*, robore et arte ad bellandum instructus. Eo secus titulo homines fortes insigniuntur Ios. 17,1; 2 Reg. 17,8; Deus Ps. 23 (24), 8 dicitur גבור מלחמה. « *Omnipotens nomen eius* » : non erat hic versione supprimendum id, quod omnino praecipuum est, nomen Dei proprium : *Iahve est nomen eius*. Quod nomen inscritur, non mere quo intelligatur alius nemo praeter Iahven hic celebrari (*Dillm.*), sed quia herois nomen herois simul est tessera bellica, quam inclamans proruit ad certamen, ipse et populus eius.

Describitur Aegyptiorum clades. v. 4 « *Currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare* ». Hic, ubi v. 1 dicta nonnihil evolvuntur,

praeter currus cum equis et aurigis, etiam pedites lubet commemorare. ירה, uti v. 1 רכיה, dicit proiectionem violentam, et utrumque de iacienda sagitta adhibetur : sed cave, ne cum *Men.* Aegyptios sagittae compares. Non sunt ipsi Domini sagittae, sed, si placet, sagittis fulgurum eius configuntur. « *Electi principes eius* » (cf. 14,7) « *submersi sunt in Mari Rubro* ». Submersione puniuntur pro submersis pueris Hebraeorum (*Sylv.*). v. 5 « *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis* », seu quasi « plumbum » v. 10 : quae comparationes efferunt, eos illico et nulla relicta salutis spe esse submersos (*Tost.*).

Antistropha prior v. 6-10.

Ary. — Universim rursus v.6 sq. celebrat Iahve fortitudinem percutientis, deturbantis, consumentis. Cuius exemplum afferuntur v. 8-10 undae maris primum recedentes, dein in Aegyptios insequentes revertentes.

Verborum v. 6 sq. tempora produnt non agi de uno aliquo facto, sed de communi agendi ratione Dei. v. 6 « *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum* ». *Hebr. : Dextera tua, Iahve inclyte robore, dextera tua, Iahve, confringit inimicum.* v. 7 « *Et in multitudine gloriae tuae* » — seu *magnificentiae tuae :* est enim eadem atque v. 1 radix — « *deposuisti adversarios tuos* »; *Hebr. convellis adversarios tuos :* verbum alias de aedificiis demoliendis adhibetur (P. 27 [28], 5; Ier. 42,10). « *Misisti iram tuam* », proprie *incendium* quod sensu translato furorem significat (2 Esdr. 13,18; Ps. 2,5; 87 [88], 17). « *Quae devoravit eos sicut stipulam* ». Etiam haec verba verte praesenti : *mittis iram tuam, quae devorat eos sicut stipulam.* Dominus ictu confringit adversarios, convellens subvertit, spirans comburit. Hanc porro indolem egregie illustravit in transitu Maris Rubri. v. 8 « *Et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae* », *LXX* διέστη i. e. divisae sunt, *Chald. calefactae sunt,* sc. ope venti urentis 14,21. Non agitur hic de aquis post Hebraeorum transitum rursus coactis ad suffocandos Aegyptios, sed de aquis primum divisis ad accessum praebendum primum Hebraeis ac postea Aegyptiis. Sequens incisum agit de aquis instar muri consistentibus, tertium agit de contractis seu coagulatis aquarum massis in ipsum cor maris, in partes eius remotiores : totus versus est de mari siccato atque nudato, v. 9 est de Aegyptiis in mare siccatum irruentibus, v. 10 de Aegyptiorum interitu. Reapse, cum נזם in kal sonet *nudare*, non est cur in niphal loco *nudari* induat significationem *congregari.* Cf. *Cai., Men.* « *Stetit unda fluens* »; *Hebr. : substiterunt*

instar cumuli fluentes. « *Congregatae sunt abyssi in medio mari* ». Eae quae antea abyssi fuerant imperviae agmini hominum, iam in secretiores oceani partes diffluxerant aquae. At, quaerunt aliqui, quomodo haec omnia effecta scribuntur *in spiritu furoris* Dei, cum imprimis processerint ex eius in Hebraeos misericordia? Respondeas, duplici motivo eo in portento actum esse Deum, misericordiae in Hebraeos, furoris in Aegyptios. Ceterum nihil vetat, quominus רוח אפיך accipias sensu non translato : *in vento narium tuorum*, cf. v. 10. Sequenti versu notat *Keil*, asyndetis exprimi Aegyptiorum mentes vindictae avidas quietisque expertes. v. 9 « *Dixit inimicus : Persequar* [*et*] *comprehendam* », i. e. assequar, « *dividam spolia, implebitur anima mea* », *Chald. saturabitur* spoliis, greges quippe multos et res pretiosas secum Hebraei asportabant. « *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea* ». Repugnabat iam *Cai.*, quominus הורישׁ, cui alias semper significatio *tribuendae* et *adimendae possessionis* competat, hic et Num. 14,12 ad significationem *interficiendi* seu *destruendi* detorqueatur : « Non ad occidendum Hebraeos persequebantur, sed ad rediigendum eos in servitutem; et propterea evaginatio gladii non ad interficiendum, sed ad spoliandum Hebraeos rebus scribitur ». *LXX* κυριεύσει. Verte : dabit eos in possessionem, rediget eos in servitutem manus mea. Etiam Num. 14,12 commode vertitur : et possessione eum privabo. v. 10 « *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare* ». *Hebr. : insufflasti spiritu tuo.* Ventus depingitur ut flatus a Deo procedens : unico flatu Deus audacia illa consilia fallit, neque plus Aegyptii efficere valent, quam plumbum in aquas demissum. *Kn.* monet, de hoc vento nihil haberi 14,27 : nihil habetur, sed sat facile per se intelligitur (cf. 10,13.19), neque variorum scriptorum hinc nascitur argumentum. « *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus* ». אדיר id denotat, quod *praeclarum* est : praeclarae videbantur Hebraeis illae aquae, quae Aegyptiorum exercitum tam subito universum oppresserant. Cur? Quia (v. 11) tam praeclare manifestabant Dei sanctitatem etc.

Stropha mutatoria v. 11-18.

Arg. — Thema cantici concinne enuntiatur. Chorus primus Iahven supra deos, imprimis Aegypti, extollit ratione sanctitatis; chorus secundus ratione gloriose et portentose actorum contra inimicos; chorus rursum primus ratione benignitatis, qua populum suum traducit ad locum, quo suam ei sanctitatem est manifestaturus.

v. 11 « *Quis similis tui in fortibus* », seu verius *in diis*, « *Domine? Quis similis tui* », seu *quis sicut tu*, « *magnificus in sanctitate?* » Aliqua

etiam in Aegyptiorum sacris sanctitas deprehendebatur, sed externa, quae constaret ablutionibus, ritibus sacrificiorum et ciborum, vox aegyptia *l'e'b*, sacerdos, idem sonat atque *purus* (*Erman* p. 327.391.436). At, quot morum religionisque spurcitias externa haec sanctitas adiunctas habebat! Comparatione cuius Iahve iure merito *magnificus in sanctitate* dicitur.

« *Terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia* ». Etiam haec accipere poteris imprimis enuntiari de Iahve comparatione deorum aegyptiorum. Facillime intelligitur altera expressio : comparantur Iahve portenta cum maleficorum aegyptiorum potissimum praestigiis. Et nota, פלא designare miraculum stricte divinum (cf. *Knabenbauer* ad Is. 9,6). Porro expressio נורא תהלת omnino conformatur expressioni עשה פלא, licet aliam exigat constructionem : *terribilis* (*quoad*) *laudes*, *faciens portenta*. « Laudes » vero vocantur ipsa « laudabilia », veluti continens pro contento; Dei autem portenta eo aptius h. l. exhibentur tamquam « laudabilia », quod reapse laudis cantico celebrentur. Terribilem vero portentorum patratorem se exhibet Deus Aegyptiorum interitu, qui brevi formula enuntiatur : v. 12 « *Extendisti manum tuam* », non pugnantis instar (*Tost.*), sed quando 14,26 sq. iussisti Moysen extendere manum suam; « [*et*] *devoravit eos terra* ». Nullo alio opus fuit, nisi ut manum extenderes iubentis ritu (*Cai.*). Vox *terra* quandoque, uti Gen. 1, aridam et aquas designat (*Aug.*) monetque *Calm.*, etiam Ps. 104 [105],30 dici terram edidisse ranas, cum eae Ex. 8,5 sq. ex aquis fluminis narrentur esse natae. Felicius *LXX* κατέπιεν, deglutivit.

Portentis terribilibus opponitur suavitas, qua Deus populum electum tractavit. v. 13 « *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti* ». נחה, proprie *dirigere*, initium potius itineris eiusque rectam directionem respicit, quam terminum. « *Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum* ». *Sam.* נחלת, *possedisti* : sed hoc constructio non patitur. Notabat iam *Cai.* נהל non edicere completam ad terminum, sed inchoatam tantum deductionem : reapse vox significat ducere more pastoris, cum magna cura. Expressio נוה קדשך secus non legitur; vertenda est *habitaculum sanctum tuum;* nulla est ratio vertendi *habitaculum sanctuarii tui*. Is. 32,18 felicitas regni messianici describitur, ut homines habitaturi sint « in habitaculo pacis », בנוה שלום, imagine sane a terra sancta, non vero a templi monte petita. Os. 9,13; Is. 35,7; 65,10; Ier. 23,3 נוה significat *campum*, imprimis eum ubi pascuntur greges : ergo apte eadem vox Ex. 15,13 selecta est. Quod autem Deus « magnificus in sanctitate » non ad alia pascua, quam quae sint « habitaculum sanctum », gregem suum Israel ducturus sit, quis miretur? Ceterum habitaculum hoc sanctum non est ne-

cessario intelligenda terra sancta, sed potest commode cum *Calm.* intelligi mons Sinai.

Stropha posterior v. 14-16ª.

Arg. — Describitur iam effectus, quem illa portenta producere debent in gentibus, quae terram promissam tum obtinebant aut prope eius fines incolebant. Ubi non enumerantur eae nationes, quarum toties in Genesi mentio habebatur, sed nomina produnt poetam prope Aegyptum constitutum. Primi nominantur Philisthaei, per quorum fines, qui ex Aegypto veniebant, Chanaanitiden ingredi consueverant (cf. 13,17); dein Edomitae, Sinaitiden inter et Chanaanitiden incolentes; Moabitae orientalem Maris Mortui plagam obtinentes; tandem Chananaei universi appellantur.

v. 14 « *Ascenderunt* » — sed reliqui omnes *audierunt* — « *populi et irati sunt* ». רגז primitus sensum habet *commotus est* (cf. *Bonfr.*) : hinc melius *Symm.* ἐταράχθησαν, *Aq.* ἐκλονήθησαν. « *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim* », seu verius *Philisthaeae*. חיל proprie partus dolores (*LXX*) exprimit, quibus puerperae, ut quidquam agant aut a quoquam se defendant, prorsus redduntur incapaces. Pulchre his atrocibus doloribus corripi scribuntur Philisthaei, gens prae aliis bellicosa, sed quae aliis etiam propius aberat a locis, ubi tanta Iahve egerat portenta. v. 15 « *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt* » — *diffluxerunt*, *LXX* ἐτάκησαν — « *omnes habitatores Chanaan* ». Ceterum cum v. 14 sq. cf. quae p. 31 citabamus ex hymno in laudem Pharaonis Merenpthah.

Censet *Dillm.*, voce אז demonstrari vatis tempus fuisse tempore Moysis et transitus Maris Rubri recentius, ergo vatem non esse Moysen. Sed אז non semper de praeteritis adhiberi, sed etiam de futuris, evincunt Ps. 95 [96], 12; Soph. 3,9; Iob 3,13. Ubi in narratione certissime futurorum forma verbi perfecta adhibetur pro futura, ibi etiam futuri eventus tempus adverbio אז demonstrari potest. Frequentissime אז in antiquissimis carminibus adhibetur (Gen. 49,4; Iud. 5,8. 11.13. 19. 22), ubi facile adverbii usus potuit esse paulo diversus ab eo, qui postmodum obtinuit. — אילים alii vertunt « robustos », alii « arietes ». *Dillm.* censet, uti principes Edomitarum אלופים (Gen. 36,15), ita Moabitarum אילים vocari consuevisse.

Recte v. 16-18 omnia verba dicta accipiuntur « per modum optantis et obsecrantis » (*Sylv.*), licet aliqua, v. g. v. 17 dicta, ob divinas promissiones sciebat vates certissime esse eventura. v. 16 « *Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui* », dum vident hanc magnitudinem portentis manifestatam. Ceterum reliqui ultimas duas voces ad sequentia trahunt. « *Fiant immobiles quasi lapis* ». דמם

significat *quietum esse*, quem sensum varie varii huic loco adaptare conati sunt. Infelicius *Syr.* imitatus v. 5, *demergantur sicut lapis;* an mergendi ad tempus, *donec etc.? Aq. Theod. Chald. : taceant sicut lapis. LXX petrificentur.* Optime *Symm.* ἀκίνητοι ἔσονται, quocum consentit *Vulg. :* sane, quod maxime in votis est in hoste, non tam est ut taceat, quam ut non moveatur.

Antistropha posterior v. 16ᵇ-18.

Arg. — E benignitate Iahve v. 13 celebrata concipit chorus fiduciam, porro item Iahven populum fore benigne deducturum, et in terra promissa cum illo perpetuo habitaturum atque regnaturum.

« *Donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti* », « in terram promissam » (*Men.*). Cum nova incipiat antistropha, pro עַד puncta עֹד : *In posterum* etiam pertranseat populus tuus adversa omnia. Verba interpretare optativos. v. 17 « *Introduces eos et plantabis in monte haereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine* », — *Hebr. : loco, quem ad requiem tuam fecisti, Iahve* — « *sanctuarium tuum, domine, quod firmaverunt manus tuae* ». *Plantabis,* « ut stabilem, firmam et naturalem instar plantarum et arborum fixis radicibus sedem obtineant » (*Men.*). « Exiguum enim videretur et esset beneficium in eam induci, nisi etiam firma habitatio promitteretur » (*Bonfr.*). *Mons* scribitur in oppositione ad Aegyptum, regionem planam (*Tost.*) : non vero intelligitur, quod suggerit *Calm.*, Sinai, neque Moria (*Bonfr.*), sed tota terra Chanaan montuosa (*Tost., Cai.*). Dicitur autem mons *possessionis* et hinc etiam *haereditatis Iahve,* quia ab eo patriarchis fuerat assignatus in posteris possidendus, et hinc etiam haereditate transmittendus. Nota porro animadversionem *Cai.*, a *tribus* nominari terram promissam : a monte, ab habitaculo, a sanctuario. Reapse tria v. 17 membra omnia respiciunt terram sanctam : non templum (*Targ.*). Obiiciunt, similes expressiones postmodum de templo edici consuevisse, ergo easdem h. l. de templo esse intelligendas, extremam cantici stropham esse addititiam. Sed res aliter, et quidem facilius, explanari potest. Primum terra sancta universim dicebatur locus habitaculi Dei, sanctuarium Iahve etc. : ubi postea Iahve specialem terrae sanctae locum, montem Moria suo cultui et habitationi destinavit, illarum expressionum significatio ad unum montem Moria contracta est. v. 18 « *Dominus regnabit in aeternum et ultra* » in terra sancta, in saecula saeculorum. Sed eiusmodi expressiones non semper absolutam significare aeternitatem, apud omnes constat. Omnino « significare videtur

Moyses regnum Dei super Israelem legi subditum » (*Calm.*); et pergere licet cum eodem : « sublimior sensu animum erigit ad regnum ecclesiae Iesu Christi et electorum tandem in aeternitate ». Ubi Israel excrevit in populum, voluit Deus agnosci eius populi Deus assumpto nomine Iahve, et hinc etiam eius populi *rex;* quare in Chanaanitide ei populo pro patria attributa Iahve *regnabit* seu *rex erit,* ibidem habitabit, requiescet, sanctuarium nanciscetur, et quidem tamdiu, quamdiu Israel regionem obtinebit et autonomia fruetur.

Kn., *Dillm.* censuere, v. 11-18 non potuisse esse Moysis auctoris, quod ingressum in Chanaanitiden et sanctuarium ibidem erectum tamquam facta praeterita celebret. Unicum, quod aliquam probabilitatis speciem habeat, argumentum desumitur e verborum temporibus, de quibus diximus. Unde *Kn.* totum canticum ortum affirmat aevo Davidis aut Salomonis; *Dillm.* duas cantici adstruit recensiones, primam ab ipso Moyse profectam, ad quam certe primi tres versus pertinuerint, alteram brevi post occupatam Chanaanitiden natam. Per se, dummodo cantici summa Moysis esse auctoris concedatur, non repugnat, aut illud forma aliqua recentiore, aut appensa etiam recentiore aliqua stropha, a sacrorum documentorum collectore aliquo, v. g. ab Esdra, canoni esse insertum. Non enim ita premere oportet verba « cecinit Moyses carmen hoc », ut singula verba, versus, imo strophae Moysi adscribantur auctori. Tamen hypotheses, quales supra describebamus, gratuito h. l. affingi, patet ex ea quam dedimus interpretatione et imprimis e cantici structura (cf. *Zenner*).

Addita ad canticum Ex. 15,19-21.

v. 19 « *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus eius in mare* », — *Hebr. : equus Pharao, tam in curribus quam in equitibus* — « *et reduxit super eos Dominus aquas maris; filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio eius* ».

Cur *enim ?* Censet *Sylv.*, versum reddere rationem, cur Iahve sit regnaturus in Chanaanitide : tamen non erat regnaturus ibi Iahve, quia per Mare Rubrum traduxerat Israelem, sed quia regnare super ipsos ibi decreverat, ideo traduxit. Ergo potius dicendum erit extremo cantico rursum (cf. v. 1) exprimi rationem seu factum, ob quod hoc canticum decantatum sit. *Tost.* pronuntiat v. 19 esse versum intercalarem (*gall.* « refrain ») post singulos versus vel strophas repetendum. Qui rei metricae studuerunt, hunc etiam versum metro aiunt fluere ideoque ad canticum pertinere. Tamen id fortuito accidisse tanto facilius adstrui potest, quod dictio v. 19 sit minime poetica totaque constet expressionibus prosaicis, quae iam cap. 14 adhibebantur. Quare *Bossuet* (in Biblia Sacra etc., Venetiis 1747) versum a cantico separat censetque intermissam resumi narrationem. Contra quod illud est, v. 20 relicta extemplo narratione ad canticum redire. Suggerit *Dillm.* canticum aliquando fuisse in aliquo libro seu collectione canticorum, ibique hoc versu esse auctum, quo concinnati cantici occasio in memoriam revocaretur; inde versum in Exodum quoque ad cantici calcem irrepsisse. Id si factum esse adstruatur, tempore utique perantiquo factum esse supponendum erit, cum v. 19 etiam apud Sam. legatur.

Explicatio maxime obvia ceterisque praeferenda nobis videtur esse haec. Prima vice haec solemnitas habita est ipso post exodum die, repetenda deinceps quotannis ad tanti beneficii memoriam renovandam. Ad eam vero memoriam non sufficiebat recitari solummodo canticum, quod eventum supponeret magis quam narraret; sed absolutum canticum excipiebat narratio aliqua seu fortasse mimica repraesentatio effectae liberationis, cuius v. 19 tria capita primaria indicat : Aegyptios in mare post Hebraeos irruentes, eosdem fluctibus oppressos, Hebraeos incolumes servatos.

Nominis מרים etymologiam nuper solide excutiebat *O. Bardenhewer* in : Biblische Studien I. 1, Freiburg i. B. 1895. Nomen, si e lingua hebraica explicetur, non e duabus vocibus coaluit (myrrha maris, stilla maris), neque e suffixo nomini adscripto (contumacia eorum, *Ges.*). Est unica vox, quam *A. Caninius* (De locis S. Scr. hebraicis commentarius, Antw. 1600, p. 63 sq.) a רום repetit (excelsa), *M. Hiller* (Onomasticum sacrum, Tubingae 1706, p. 173) a מרי (contumax), *P. Schegg* (Die hl. Evangelien übersetzt u. erklärt I. 1. p. 419, München 1856) a מרא (pinguis, corpulenta, hinc formosa). Ultimam hanc derivationem praetulerim; servatque illa suum valorem tum etiam, si nomen supponas origine aegyptium postea ad formam magis semiticam esse revocatum. Opinio vero, nomen esse e lingua aegyptia derivandum, sicut nomen Moyses et fortasse etiam nomen Aaron, suam habet probabilitatem; *mery, meryt* apud Aegyptios significat *dilectus, — dilecta.* Mariam vere fuisse *prophetissam* disce ex Num. 12,2, ubi Deus ei affirmatur locutus esse; hoc autem sufficit ad veri nominis prophetiam, neque requiritur (*Sylv.*) eventurorum praenuntiatio. An una praeter Moysen et Aaron Maria prophetiae charismate eminebat? Et cur *soror Aaron* scribitur, cum ipsa aeque atque Moyses et Aaron ex Amram et Iochabed Num. 26,59 originem duxerit? Suggerebat *Cai.*, Mariam aetate Aaroni fuisse propinquiorem quam Moysi : infirma ratio, cum tamen in tota narratione Moyses super Aaron plurimum emineat et solus v. 1 nomine appelletur. Potuit antiquissimo tempore ו משה e textu excidere. Quod Mariae maritus nullibi recenseatur, censuere *Greg. Nyss.* (De Virg. cap. 19; *M.* 46. 396), *Ambr.* (De Instit. virg. cap. 17; Exhort. virg. cap. 5; Epist. 62; *M.* 16. 331. 344. 1198) aliique fuisse virginem. Contra *Ios.* Ant. III. 2. 4 et 6. 1 maritum ei tribuit Hur, filium Beseleel. Silente scriptura prudentius esse monet *Bonfr.*, nihil affirmare.

v. 20 « *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua; egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris* ». Cf. Ps. 29 (30), 12; 149,3; 150,4; cf. item Iud. 11,34; 1 Reg. 18,6; Gen. 31,27. — v. 21 « *Quibus praecinebat dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem eius deiecit in mare* ». Sed *Hebr.* : ותען להם, *et respondit eis,* sc. viris : שירו

(masc.), *cantate*. Qua lectione suggeritur fere, mulieres ipsius cantici v. 1-18 nihil pronuntiasse, non antistrophas, sed solum hunc primum versum ingeminasse. Quando id fecerint, ex data v. 19 explicatione facile colligitur; res enim, quo ordine actae sunt, eodem narrantur. Primi canticum in choros distincti decantavere viri; dein recitabatur factae liberationis historia; qua finita mulieres choros cum tympanis agentes circumfundebantur, ac tandem omnia ingeminato sexcenties primo cantici versu resonabant. Priora, qua ratione a Moyse praescripta fuerant, peracta sunt : tum Maria, subito divino impulsu abrepta, (« prophetissa ») tympanum prehendit etc.

Partim vera igitur partimque falsa scribit *Proc.* : « Chori erant duo, virorum alter, cuius praecentor et dux erat Moyses; alter mulierum, quem gubernabat et moderabatur Moysis soror Maria pulsans tympanum... Carmen quidem unum est, et a duplici canitur choro vicissim canente et respondente ». A duobus choris decantabatur canticum, quorum alterum fuisse mulierum perquam improbabile est. Sed finito cantico tertius omnium mulierum chorus in medium prodiit.

D. De Mari Rubro in Mara Ex. 15,22-26.

Arg. — Murmurante populo ob aquae inopiam, aquas amaras Moyses mutat in dulces. Praecepta inculcat, obedientiae praemium nomine « Iahve sanatoris » promittit immunitatem a plagis, quas in Aegypto conspexerant.

Plagis aegyptiis edoctus fuerat Pharao Iahven esse Deum Hebraeorum, denegati obsequii poenas tulerat. Oportebat vero Hebraeos penitius adhuc perspicere eandem veritatem « Ego Iahve Deus vester », cui mox legum omnium auctoritas erat superstruenda, eamque harum legum constanti obsequio profiteri. Ad id Aegypto vix egressi manuducuntur tribus divinis portentis, aquae Marae sanatae, duplicis cibi coelestis concessi, aquae rursum e petra elicitae. Marae manifestatur Deus ut « Iahve sanator » (15,26), in deserto Sin ut « Iahve Deus Israel » (16,12), in Raphidim ut « Iahve tentator » (17,15). Sanando et tentando se Deum exhibet, hoc duplex Dei Israel officium. « Sanator » est, quatenus omnem removet plagam (15,26), omnem tollit inediam, boni pastoris (15,17 sq.) partes agit. « Tentat » imponendo *mandata*, quibus et obedientiam exigit et inobedientiae occasionem praebet. Sic tentavit Israelem Marae (15,26), in deserto Sin (16,28). At quandoque vicissim tentat Israel Deum, quando vel « sanatoris » diffidentiam murmurando prodit (17,7) vel mandata negligit (16,28). Meminisse autem Israelem decet, mandata etiam non solius esse Dei tentantis, sed etiam

sanantis et consolantis; quorum observatio panis sit animae et potus salutaris (Deut. 8,3).

v. 22 « *Tulit autem* », seu *fecit proficisci*, « *Moyses Israel de Mari Rubro, et egressi sunt in desertum Sur* » (cf. Gen. 16,7; 20,1; 25,18; 1. Reg. 15,7; 27,8), quod idem Num. 33,8 vocatur desertum Etham, a *Chald.* desertum חגרא (= Bered Gen. 16,14), a *Ps. Ion.* desertum חלירא, quod loci nomen ignoramus. Sc. eiusmodi deserta nomina accipiebant a variis urbibus vel locis, quae desertum illud attingebant. In extrema porro eius deserti meridiem versus parte situm videtur Elim, ultra quem locum 16,1 incipiebat desertum Sin. Sur vero intelligi murum a Pharaonibus exstructum ad nomadas Asiae arcendos, dicebamus ad Gen. 16,7. « *Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam* ». Iter fecerunt ea ratione, qua fieri consuevit in deserto, quiescentes quantum hominum pecorumque vires requirebant, neque invenerunt nisi fortasse exiguos aliquos fontes, qui tot viatoribus reficiendis nequaquam essent satis. Fortasse aliquid aquae secum tulerant. *Tres dies* commemorantur, non ut temporum rationem, sed ut sitis magnitudinem edoceamur. v. 23 « *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amarae; unde* [*et congruum loco*] *nomen imposuit* », non necessario Moyses sed aliquis, quare potuit iam antea loco nomen esse Mara; « [*vocans illum*] *Mara,* [*i. e. amaritudinem*] ». Itineris Hebraeorum stationes plures definiri vix possunt. Nominum antiquorum cum hodiernis quibusdam nominibus consonantiae deceptioni patent. Quod fontes quidam tenues hodie emittant aquas, imo videantur esse prorsus exsiccati, non efficit eos Moysis aevo aquis non abundasse. Vel nunc varia in quibusdam est copia aquarum variis anni temporibus. Estque satis probabile, totam illam inter Chanaanitiden, Aegyptum et Sinaitiden regionem antiquitus fuisse minus aridam minusque sterilem : sed iam deserti arenae omnia opplent. Notat *Ebers* p. 120, Beduinas consuevisse arbores in oasibus excidere procurandi carbonis gratia; qua ratione aliae quaedam regiones quondam fertilissimae in deserta sunt mutatae. Porro *Mara* et *Elim* auctores variis locis demonstrant, prout varium Hebraeorum trans mare iter descripserunt. Nobis ceteris magis arridet sententia *Hitzig*, Mara idem esse atque ʿAin Naba vel ʿAin el Gharqada, quod tribus horis distat a Suez meridiem versus habetque fontem abundantissimum aquae salsae. Ab hoc loco horae itinere meridiem versus abest ʿAin Musa (Fons Moysis), oasis fertilis, ubi plures sunt fontes aquae parum tantummodo salis habentis. Cf. *Ebers* p. 68 sqq. Omnino crediderim ʿAin Musa alterutrum esse locum, aut Maram aut Elim. Ne vero cum *Calm.* Maram constituamus » medio

ferme itinere e Suez ad Sinai », praeter alia illud vetat, quod vix aequum videatur desertum, quod a Sur nomen sumpsit, tantopere meridiem versus producere : desertum Sur ille sane deserti tractus audiebat, qui non ita longe abesset a Sur. v. 24 « *Et murmuravit populus contra Moysen dicens : Quid bibemus?* » v. 25 « *At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum; quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt* ». Ex Eccli. 38,4 sq. inferunt naturalem fuisse eam ligni virtutem : « Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? » Qui textus, « ex professo depraedicans vim medicam variarum rerum naturalium, pro exemplo dat id, de quo hic agimus, lignum » (*Tir.*). E contra, an naturalis fuerit ligni virtus, ambigit *Aug.* et negat *Ps. Aug.* (De Mirab. S. Scr. I. 22; *M.* 35. 2167 sq.).

Aquas amaras reddi dulces iniectis quibusdam foliis, fructibus, lignis, corticibus, impossibile non est : eiusmodi quid agunt Tamuli et Peruani. Cf. *Ros.* : Altes u. neues Morgenland II. 28 sqq. (apud Dillm.). « Qui mecum erant Arabes », inquit *Ebers*, Gosen p. 117 sq., « nullam norant plantam, quibus populares sui aquas amaras mutarent in dulces. Affirmat tamen *Lesseps* audivisse se a quibusdam Arabum ducibus, eos, quo aquas salsas potarent, immittere spinae quoddam genus (épine-vinette), quod in deserto reperiatur ». Arabes eiusmodi secretum non cuivis viatori europaeo communicare, quis miretur? *E. H. Palmer* (The desert of the exodus, London 1871, I. 83) ait, in Beduinorum dialecto voce « ligni » (schejer) designari medicamentum quodlibet. Lignum illud *Aug.* aliique crucem Christi adumbrare pronuntiant.

« *Ibi constituit ei* », non « Moyses populo » (*Mar.*), sed Deus populo (*Men.*), quod evincunt verba v. 26, « *praecepta atque iudicia, et ibi tentavit eum* ». Commoratio in Mara minime fuit otiosa; tamen, quae ibi acta sunt, ideo tantum attinguntur, quo divinam v. 26 promissionem edoceamur. Praecepta, quae ibi data sunt, non videntur fuisse nova, inquit *Vat.*, sed vetera inculcabantur, imprimis, quod coniiciunt *Cai.* aliique, lex sabbati, quae illico cap. 16 vigere supponitur. Vel potest dici voce *praecepta* et similibus h. l. non tam intelligi leges divinas generales, quae omnes pariter et perpetuo obligarent, sed imprimis *oracula particularia*, qualia 18,13 sqq. describuntur. *Tentavit* Deus, ut plures volunt, non alia ratione, quam praecepta dando, quo appareret an ea acceptarent et observarent, Deique agnoscerent auctoritatem. *Calm.* comparat Ios. 24,15, ubi Iosue Dei in populum beneficiis recensitis optionem Israelitis dedit, utrum servire mallent Domino an illum abiicere, dein foedus inivit et proposuit « praecepta » atque « iudicia »; qua in re Calm. suggerit, Iosue imitatum esse acta Moysis in Mara. Idem auctor comparat textum Ier. 7,22 sq. : « Non sum locutus cum patribus vestris et non praecepi eis in

die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum et victimarum. Sed hoc verbum praecepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis ». Quem textum alii ad Ex. 19,5-8 referunt; sed potest idem cum 15,26 conferri. Verbotenus neutrum textum exprimit, quoad sensum utrique affinis est et, si ad nostrum textum referatur, edicit Deum in Mara non nova edidisse praecepta, sed ad summum vetera Noe et Abrahae imposita inculcasse, et generaliori modo obedientiam postulasse. Sicut igitur eventus cap. 15-17 illustrabant formulam illam constanter iam adhibendam « Ego Iahve Deus vester », ita quae eorum occasione Deus ad populum dirigebat alloquia, ea praeter paucas leges divinas tum editas (de sabbato etc.) inculcabant illam generalem formulam item constanter repetendam « Custodite leges meas etc. ». Et cur non Marae aliquot dies subsistens Moyses suppleverit eorum, qui nondum circumcisi essent, circumcisionem (cf. 12,48)? v. 26 « *Dicens : Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis eius, custodierisque omnia praecepta illius, cunctum languorem, quem posui in Aegypto, non inducam super te : ego enim Dominus sanator tuus* ». Igitur promittit Deus Hebraeos, si bene egerint, immunes fore a peste et ulceribus et hinc, quod facili illatione perspicitur, a malis omnibus. Pulchre Deus *sanator* exhibetur is, qui modo aquas amaras sanaverat. Verbum רפא de sanatione aquarum scribitur 4 Reg. 2,22; Ez. 47,8. Etiam brevis haec oratio formula « Ego Iahve » quasi sigillo obsignatur.

E. De Mara in Elim Ex. 15,27.

v. 27 « *Venerunt autem in Elim* [*filii Israel*], *ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae, et castrametati sunt iuxta aquas* ». Cf. Num. 33,9. De Elim diximus p. 163. Locus commemoratur ob abundantes aquas, et probabilius Hebraei ibi aliquamdiu substitere. Insumperunt mensem e Ramesse, unde profecti sunt 15ª mensis primi (12,17. 41. 51), ad desertum Sinai 16,1. Ipsa illa 15ª die venerunt in Socoth (12,37), 19ª in Etham (13,20), summa quippe festinatione tum procedebant. At quamdiu in Phihahiroth substiterint, nescimus. A Mari Rubro ad Mara tres saltem insumpserunt dies (15,22), Marae sine dubio substiterunt.

F. De Elim in desertum Sin Ex. 16.

Textum huius capitis esse in quibusdam deformatum, alii ante nos

agnovere. v. 8 idem plane habet quod v. 6 sq., constructione planiore, ut videatur scriba aliquis textum v. 6 sq. voluisse clarius exprimere, quae glossa postmodum in ipsum textum irrepserit; imprimis ille v. 8 *carnes* et *panes* expressit, qui v. 6 sq. tacebantur, et ita, ut nobis videtur, capitis contextum obscuravit. Igitur v. 8 tamquam glossam expungimus. Haec explanatio facilior altera, quam suggerit *Bonfr.*, v. 6-8 legi « anticipative » eo quo nunc leguntur loco; proprium eorum locum esse post v. 12. At ibi certe abundarent portentique narrationem haud opportune discinderent. *Dillm.* putat v. 4 sq. a contextu discordare, solum panem, non carnes promittere, murmurationes non carpere, sed tentationem promittere nescio quam. Nos accurata textus expositione has obiectiones diluemus, simulque narrationis unitatem demonstrabimus, quae nequaquam constet centonibus ex A et C depromptis.

1. *Cibus coelestis promissus* Ex. 16,1-8.

Arg. — Murmurante populo ob annonae inopiam, Deus soli Moysi suum aperit consilium largiendi populo cibi coelestis, colligendi de die in diem, die vero ante sabbatum pro biduo colligendi; simul finem aliquem concedendi beneficii indicat, velle se experimento probare populi in re sabbati fidem. Moyses populo brevi adfuturam gratiam generatim annuntiat, finem illum prudenter reticet : illa quippe tentatio si praenuntiabatur, vera tentatio iam non erat.

A nomine *deserti Sin* creditur derivatum nomen *Sinai*, ut sit mons deserti Sin, seu attingens desertum Sin, quod nomen non unum aliquod cacumen, sed totum illum tractum montanum expressisse videtur. At unde nomen *Sin?* Habetur illud Ez. 30,15 sq. tamquam nomen urbis cuiusdam munitae aegyptiae, ubi *Chald. Syr.* retinuere סין, LXX secundum sonum, uti videtur, scripsere modo Σαΐν, modo Σύηνη, *Vulg.* vertit Pelusium. At toto eo loco Hier. negligenter vertit, sc. ter נא, quae sunt Thebae, vertit Alexandriam, et v. 14 צען vertit Taphnes, cum tamen v. 18 etiam תחפנחס vertat Taphnes. Quam parum fundamenti habeat opinio סין vertens Pelusium, disce ex *H. Brugsch :* Dictionnaire géographique, Leipzic 1879, p. 913. 1090 sq. Probabilior est coniectura סין seu potius סן aequans Syenae, aeg. Sun. Facile patet, hoc nomen סין a nomine deserti Sin esse plane alienum. Sed illa etiam opinio, quae deserti nomen connectit cum deo Sin, qui ab Assyriis, Hymiaritis aliisque deus lunae habebatur, gratuito adstruitur. Tota de deserti nomine disquisitio tenebris est obvoluta.

Cap. 16 in eam deserti Sin stationem nos introducit, quae Num. 33,11 commemoratur, in qua cum annonae penuria plurimum torquerentur Hebraei, non est cur eam oasi cuidam fertiliori attribuamus; sed dum alii in deserto Sin loci suis nominibus efferantur Num. 33, 12 sq. : Daphca, Alus, haec statio, quod esset in loco omnino deserto et arido, alio nomine non appellatur, nisi deserti Sin. At Num. 33,10

aliam inter hanc stationem et inter Elim commemorat stationem, illam sc. « super Mare Rubrum » seu in conspectu eius. Potuit ea esse Wadi Gharandel, minus octodecim horarum itinere distans ab ʿAin Musa, una e maximis Sinaitidis oasibus. Aquam habet potabilem, licet amariorem. Oasis, si descriptiones peregrinorum saeculi decimi quinti consulas, videtur tum florentior fuisse, quam nunc est. Cf. *Ebers*, Gosen p. 119 sqq. Alii Wadi Tajibeh, quod octo fere horis a Wadi Gharandel distat, ei stationi assignarunt : illud fontes habet paucos et malos.

Cap. XVI v. 1 « *Profectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai; quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Aegypti* ». Ergo integrum mensem itineri insumpserant, censetque *Ps. Ion.* eo usque durasse annonam, quam secum ex Aegypto asportavissent Hebraei. Reapse, licet proficiscendi veniam nacti sint subito profectique sint festinanter, tamen gratuito supponuntur profecti esse imparati : cur non secum abstulerint totas illas terrae Gessen segetes a grandine et locustis tam mirabiliter servatas? v. 2 « *Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine* ». v. 3 « *Dixeruntque filii Israel ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* » Non id solum dicunt, melius sibi futurum fuisse mori in Aegypto quam fame consumi in deserto, sed aiunt maioris se favoris loco habituros id fuisse ut *Iahve* se in Aegypto interemerit, quam ut fame consumendos in desertum eduxerit : acerba est ironia. v. 4 « *Dixit autem Dominus ad Moysen* », oratione ab eo consultus (*Sylv.*) : « *Ecce ego pluam vobis panes* », seu verius *panem* « *de coelo* ». Cur solius panis meminit Deus, petente populo et panem et carnes? Populo sane tam impudenter petenti non erat Deus omnia illico petita concessurus. Concedit *panem* seu potius *cibum*, is quippe h. l. vocis est sensus. « *Egrediatur populus* » de tentoriis (*Tost.*), non enim v. 13 edicit (*Sylv.*) solum extra castra repertum esse manna; « *et colligat, quae sufficiunt per singulos dies : ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non* ». « Voluit praeterea dare illis cibos non per singulos menses, sed per singulos dies, ut nullus praeteriret dies, in quo circa se non sentirent ipsius beneficium » (*Vat.*). v. 5 « *Die autem sexto* » hebdomadae, non vero lati huius mandati, — non sequitur manna primum comparuisse die dominica (*Or.* Hom. 7) — « *parent quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies* ».

Adverte verba v. 4 sq. proloqui Deum *ad solum Moysen*, quin eadem iubeat populo repeti. Eiusmodi quaedam eloquia non sine certa ra-

tione ad Moysen solum dirigi vidimus 3,14 et 6,2-5. Non prohibent ea Moysen, quominus audita populo enarret, sed rem eius prudentiae relinquunt. Igitur Moyses v. 6 sq. populum alloquens Dei effatum non ad verbum repetit, illud de *tentatione* sapienter tacet : e contra aliud a Deo dictum distinctius effert. Sc. Deum liberalissimum perspicit, quo die annonam promisit, eo ipso illam esse largiturum coenamque pro ieiunio paraturum : quare v. 6 pro eodem *vespere* divinam manifestationem indicit. Promiserat item v. 4 Deus se *quotidie* annonam esse praebiturum, sane pro matutina etiam refectione : quare v. 7 Moyses annuntiat *mane* item revelatum iri divinam gloriam.

Quorsum vult Deus populum *tentare?* « Ut quasi experimento cognoscam », inducit *Bonfr.* Deum loquentem, « an beneficiis meis illecti inducantur ad praecepta mea custodienda ». Verum non est tentatio ad quaelibet mandata extendenda, sed solum ad ea, quae v. 4 sq. efferuntur, « ut dietim colligant, et septimo die duplicatum » (*Cai.*). Id confirmat triplex v. 16-30 tentatio. Murmurationes carpit Deus primum per Moysen v. 7, dein ipse v. 12; non erat ratio earum carpendarum in privato Moysis innocentis alloquio. Fuerunt eae murmurationes Deo occasio tentandae populi fidei et sabbati inculcandi : haec ei magis erant cordi quam vel murmurationum reprehensio ipsumque manna.

v. 6 « *Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Aegypti* » — Non de hoc v. 3 dubitaverat populus, tamen aut Iahven reputabant deum imbecillum aut nomen inane. Ergo verba h. l. aut id sonant, non solum Moysen (*Tost.*) praetenso per fraudem Iahve nomine illos eduxisse; aut qui eos eduxerit, Iahven non esse inane idolum, sed deum nomine et re, plenitudinem essendi et potentiae — v. 7 « *et mane videbitis gloriam Domini. Audivit enim murmur vestrum contra Dominum. Nos vero quid* [*sumus*], *quia murmurastis contra nos?* » Sensum verborum explicat glossa v. 8 : « *Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate, eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum. Nos enim quid* [*sumus*]*? Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* ».

2. *Cibus coelestis concessus* Ex. 16,9-15.

Arg. — Populo coram tabernaculo adunato, manifestatur gloria Dei in nube; promissio v. 4 facta eo distinctius enuntiatur, ut *cibus* concedendus sit (semel) *carnes* et (quotidie) *panis;* advehuntur coturnices vespere, reperiturque manna mane.

Convocatur iam populus ad divinum contuendum portentum; idque muneris Moyses Aaroni demandat, per seniores aliosve exse-

quendum. v. 9 « *Dixit quoque Moyses ad Aaron : Dic universae congregationi filiorum Israel : Accedite coram Domino, audivit enim murmur vestrum* ». Ex his cum *Cai.* concludere oportet : « Ante conditum tabernaculum, conditam arcam erat locus aliquis deputatus Deo ». Cf. v. 34 et, quae p. 3 sqq. dicebamus et ad 33,7 dicemus de praemosaico apud Hebraeos tabernaculo. v. 10 « *Cumque loqueretur Aaron ad omnem coetum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem* », ergo orientem versus (*Bonfr.*), « *et ecce gloria Domini apparuit in nube* », sc. in columna nubis (*Tost.*), quae erat ante castra (cf. 13,22) ; quod autem vox « columna » non adscribatur, non est ratio cum *Cai.* alterius cuiusdam nubis affingendae. Porro, cum interdiu illa columna nubis esset, non ignis, apte cum *Tost.* aliisque *gloriam* illam explicabimus fuisse « fulgorem tamquam advenientis Dei et sonitum loquentis ».

Dillm. putat, *iubente* Aarone populum ad desertum facies vertisse : de eiusmodi iussu nihil in contextu habetur. Versiones כ verterunt *cum*, et optime cum *Cler.* secundum incisum trahes ad prodosin : cum Aaron loqueretur et populus facies conversas haberet ad solitudinem, ubi nubes erat, ecce apparuit etc. Sed quid *loquebatur* Aaron ? *Verbum Aaron* erat ipsum illud nuntium per seniores aliosve circummissum, ut ad tabernaculum confluerent. Quo dum pergebant, faciebus ad tabernaculum ideoque ad orientem conversis, evenit portentum.

v. 11 « *Locutus est autem Dominus ad Moysen* », « nam Aarone populum alloquente, Moyses ad columnam nubis oraturus accesserat » (*Men.*), « *dicens* » : v. 12 « *Audivi murmurationes filiorum Israel. Loquere ad eos : Vespere* » — *Hebr. : inter duas vesperas*, cf. 12,6. Tempus accuratius etiam quam ante determinatur — « *comedetis carnes, et mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester* », quodque ego (cf. v. 3) eduxerim vos de Aegypto, vobisque sim provisurus. v. 13 « *Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra; mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum* ». Quem non esse idem atque manna, sed verum rorem, docet Num. 11,9 patetque ex hoc etiam textu, ubi *Hebr.* v. 14 pergit : *et ascendit effusio roris, et ecce etc.* Ergo ascendente rore seu nebula, quae rorem effuderat, apparuit humi iacens manna. v. 14 « *Cumque operuisset superficiem terrae, apparuit in solitudine minutum* [*et*] *quasi pilo tusum, in similitudinem pruinae super terram* ».

v. 15 « *Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu?* [*Quod significat : Quid est hoc?*] *Ignorabant enim, quid esset* ». Licet מן הוא possit verti « hoc est manna », tamen verba *ignorabant etc.* testantur, Hebraeos primum non agnovisse manna, et nominis hic derivationem proponi. מן apud Hebraeos significat *quis* (Ps. 60,8), item apud Assyros : cf. nomen proprium Mannukiramman,

« Quis est similis Ramman? » (*Schrader* II p. 246). Item apud Chaldaeos : cf. Dan. 3,15 ; 1 Esdr. 5,3. 4. 9. Potuit tamen antiquitus vox etiam significationem *quid* habere. Ceterum, an habuerit, non ita multum refert, cum haec nominis explicatio non sit necessario accipienda ut etymologica, sed ut mnemoneutica, quales plures in Genesi leguntur. « *Quibus ait Moyses : Iste est panis* » seu cibus, « *quem Dominus dedit vobis ad vescendum* ».

שלו, *Chald. Syr.* סלוי, *Ios.* ὀρτύγων : sunt *coturnices*, quarum numerosissima in Aegypto vere et autumno agmina; alites graves, esculenti, quos veteres Aegyptii retibus vel foveis prehendebant et sale condiebant. *LXX* ὀρτυγομήτρα proprie est *crex*, alia omnino avis; tamen vocem h. l. explicat *Photius*, ut sit ὄρτυξ μέγας, *Hesych.*, ut sit ὄρτυξ ὑπερμεγεθής, ergo rursum coturnix. Cf. *Dillm.*, *Ebers* p. 235 sq. et : Natur u. Offenbarung XIV 289 sqq. Münster 1868. — Sensum vocis מחמצם satis definiunt versiones : *Vulg. pilo tusum; Chald. Syr. Aq. Theod. abrasum; Symm.* ἀνασυρόμενον, *nudatum* (?), *LXX* e v. 31 huc transtulere coriandrum. Sensus sane est, fuisse manna in parva grana distinctum. Quae autem de sensu radicis nativo afferuntur, ea sunt perquam incerta. Alterum רק ignorant *Vulg. LXX*. — v. 31 describitur manna : « erat quasi semen coriandri, album, gustusque eius quasi similae cum melle ». Quibus externa eius species clare definitur. Porro manna uti alia describunt Hebraei, imo Deus Hebraeos alloquens, secundum externam apparentiam. Ros de coelo descendebat vel etiam pluebat; manna, antequam ros descenderat, non conspiciebatur, nebula vero, quae rorem attulerat, recedente cum rore humi effusum cernebatur. Quod abunde sufficiebat, quo manna diceretur panis de coelo descendens (16,4; Ps. 77,24 sq.; Sap. 16,20; Io. 6,31 sqq.), Deusque diceretur illud pluere.

Nota sunt *Ios.* de manna verba : « Hodiedum tota illa regio pluit manna, quemadmodum et tunc in Moysis gratiam Deus illud alimentum demittebat ». Et *Bonfr.* : « Dico », inquit, « mihi etiam probabile videri eiusdem speciei fuisse » manna Israelitarum cum manna vulgari; « sed cum angelorum ministerio illud generaretur, habuit multas excellentias accidentales prae vulgari manna in sapore, puritate etc. ». Recentiori tempore viatores plures europaei in illud *manna vulgare* inquisierunt et, quid ipsi repererint, nobis primum considerandum est. Rabbinorum de manna placita vide in *I. Buxtorfii* Dissertatione de Manna (apud B. Ugolinum : Thesaurus antiquitatum sacrarum VIII. 587 sqq., Venetiis 1747).

Antequam plura de manna disputemus, duo lectorem monemus. Primum, *in hac quaestione nullam haberi veri nominis traditionem*. Hebraei e Sinaitide egressi certe pluribus saeculis in illam non retulerunt pedem. Quamdiu vas manna plenum in sancto sanctorum permanserit nescimus, illud certe perpauci viderunt et, qui viderunt, nihil nobis de illo enarraverunt. Qui posterioribus saeculis Sinaitiden invisere Hebraei, eorum opiniones non sunt majoris, imo fortasse minoris faciendae, quam recentio-

rum viatorum placita : neque enim veteres Hebraei neque veteres Arabes sagaciores erant in factis naturae indagandis. Arabes moderni, si illis stipendium (bakschisch) proferatur, mirabilia quaeque tam sacra quam profana digito demonstrant. Monachi item S. Catharinae non aliam ostendi possunt habere traditionem, quam aut e sua pietate, aut e recentiorum Hebraeorum et Arabum commentis hauserint.

Alterum, quod lectorem monemus, illud est, *non oportere a limine excludi eorum placita, qui manna biblicum cum aliquo eventu naturali comparent, dummodo illud non e solis causis naturalibus explicent.* Cum enim plagae aegyptiacae omnes, imo ipse transitus Maris Rubri, licet plura in his facta sint super naturam, tamen probabiliter videantur revocanda ad eventus quosdam consentaneos conditioni Aegypti, non sunt impietatis damnandi ii, qui simile quid de manna affirmant. Intime connectit scriptura portentum coturnicum cum portento mannae : fuit vera avis coturnix, prodierit e vera planta manna. Nonne uno veluti spiritu v. 8 carnem et panem promittit Deus? Nonne aeque de coturnicibus poterat dicere Deus : Ecce caro, quam dedit vobis Iahve ad vescendum? Cum miracula illi sint eventus, qui limites naturae excedunt, eorum verior cognitio *etiam* pendet ab accuratiore illorum limitum cognitione, eorumque explicatio *etiam* huic accuratiori cognitioni erit conformanda. Ita progressum scientiarum consequetur progressus sacrae interpretationis. Quae non tam scientiis profanis « concessiones faciet », quam illud ab eis tributum exiget, quod pendere tenentur creatori naturae.

Igitur inde a Wadi Gharandel reperitur hodiedum *Tamarix mannifera Ehrenb.*, arbor in viginti fere pedum altitudinem excrescens; in Wadi Feiran eius conspicitur silva horae fere longitudinem habens. Mensibus Iunio, Iulio et Augusto, quandoque iam Maio eorum imprimis annorum, quibus abundantes exstitere pluviae vernae, tempore maximi aestus exsudat cortex tam trunci quam ramorum humorem mellis similem, qui mane guttatim e ramis foliisque pendet atque in terram decidit. Sunt globuli albi magnitudinis pisi, qui, sin mane colligantur, solis radiis dissolvuntur, secus vero cerae instar durescunt. Sapore imitantur mel praebentque tam gustui quam odoratui aroma quoddam. Arabes hoc manna collectum decoquunt, expurgant, aliquam eius partem in Aegyptum divendunt, aliam monachis monasterii S. Catharinae tributi cuiusdam instar persolvunt, maiorem partem suis usibus reservant, azymis panibus mellis instar infundunt, panem in illud intingunt, nunquam vero ex solo manna (Num. 11,8) tortulas coquunt.

Hoc igitur manna ab Arabibus hodiedum « manna de coelo » vocatur diciturque « pluere ». An hoc in mente habuerit *Ios.* hoc eodem usus verbo, non satis constat. Hoc in templo Edfu inter alia dona

altari impositum cernitur depictum, habetque nomen aegyptium *manna*, describiturque fuisse « album, ad instar granulorum *anta* » (*Ebers* p. 226 sq.); est autem *anta* resina aliqua pretiosa a quibusdam Aethiopiae arboribus profecta. Hoc 1483 *Bernardus de Breydenbach*, Decanus Moguntinus, et *Petrus Belon du Mans* c. 1550, qui Sinaitiden ipsi invisere, pluresque alii cum manna Hebraeorum comparaverunt. Manna hoc vulgare aliquam cum manna biblico affinitatem habere, primo obtutu patet : moventur tamen etiam graves quaedam obiectiones.

1) Manna vulgare, licet in iis fere locis nunc reperiatur, ubi ab Hebraeis primum conspectum est, nequaquam tamen per totum illum tractum reperitur, quo Hebraei manna pasti esse scribuntur. Etenim v. 35 dicuntur comedisse manna, « usquequo tangerent fines terrae Chanaan ». Manna autem vulgare in sola Sinaitidis parte occidentali reperitur et, licet una tamarix 50-100.000 globulos producat, tamen, si fides habeatur Arabum assertis, totus ille tractus non plus septingentis libris anglicis producit singulis annis; neque per totum annum producit, sed per paucos menses tantum.

Respondent a) : Non est dubium, Sinaitiden antiquitus multo frequentioribus arboribus consitam fuisse, atque nunc est. Arabes quippe semper assuevere arbores excidere ad carbones obtinendos, quos non suis tantum usibus adhibebant, sed in Aegyptum etiam divendebant; Mehemmed Ali, Aegypti satrapa, Sinaitidis Arabibus carbones pro tributo persolvendos imposuit; sed alias pro excisis arbores Arabes plantant nunquam. Certe S. Nili tempore regio lignis abundabat (De caede monachorum in monte Sina narratio VI; *M.* 79. 664) : Ξύλον γάρ αὐτοῖς ἐν παντὶ τόπῳ καὶ φρυγάνων εὐπορία πολλὴ, οὐδενὸς κατὰ τὴν ἔρημον ὑλοτομοῦντος τὰ φυόμενα. Factum est ergo in Sinaitide aliquid simile eius, quod in Dalmatia contigit, regione pridem nemorosa et fertili, sed quae succisis silvis fere abiit in desertum.

b) Etiam aeris temperiem longe aliam antiquitus in Sinaitide fuisse, atque nunc est, affirmandi sunt rationes. Id primum inferas e frequentioribus arboribus silvisque, et hinc e fontium et rivorum abundantioribus aquis; inferas e diversa, quam adstruere fas est, adiacentis Aegypti inferioris temperie, ubi abundabant papyri nunc fere exstincti, crocodili et hippopotami; inferas ex ea, cuius plura in s. paginis deprehenduntur indicia, maiore illis temporibus Idumaeae fertilitate. Coelum tum in Sinaitide fuisse humidius, colligas item e v. 13, comparato cum Num. 11,9, ubi doceris quotidie adfuisse rorem. Quomodo tot Hebraeorum greges vitam trahebant, nisi alia supponatur aeris temperies, alia regionis indoles fuisse ?

c) Ex dictis efficitur probabile, et tamaricibus antiquitus longe frequentioribus tractum a Sinaitide ad Iordanem obsitum fuisse et manna, quod etiamnum annis humidioribus nascitur copiosius, fuisse in eodem tractu longe abundantius, non uno tantum alterove mense, sed per totum annum. Haec, inquam, non quidem sunt certa, sed neque veri sunt ullo nomine dissimilia, simulque nos docent, quod in Sinaitide ab Hebraeis quaedam facta narrentur, quae hodie ibidem fieri nequeant, inde nequaquam effici ficta narrari, sed suggeri non talem plane tum fuisse Sinaitiden, qualis nunc est.

2) Manna vulgare non putrescit : manna Hebraeorum v. 20 « scatere coepit vermibus atque computruit ».

Respondent a) : Licet sagaces viatores plura nos de manna vulgari edocuerint, non omnia comperta habemus, plura supersunt penitiori studio indaganda.

b) Duo nos de manna docet scriptura : primum mansisse illud incorruptum per singulos dies, imo biduo, quoties occurrebat sabbatum, et « in futuras retro generationes », quatenus aliqua eius copia reposita et asservata fuit coram Domino ; secundo, cum *aliqui* Moysi inobedientes manna servassent ultra tempus praescriptum, illud computruisse. Alterutrum factum miraculum fuerit. Quodsi miraculo adstruas paucorum illorum hominum manna computruisse, nihil erit in manna biblico, quod a manna vulgaris indole discrepet.

3) Etiamsi supponatur manna vulgare fuisse tum in Sinaitide longe, quam nunc est, abundantius, imo etiamsi supponatur tota tum paeninsula tamaricibus fuisse obsita manna exsudantibus, tamen non poterat ea tantum manna progignere, quo tot centena hominum millia sustentarentur, maxime cum manna, de quo scriptura loquitur, fuerit « cibus levissimus » (Num. 21,5) et manna vulgare sit item cibus levissimus.

Respondent, scripturam nullibi dicere, Hebraeos per quadraginta annos solo manna vixisse, neque id e populi v. 3 querelis eruitur, quae utique rem exaggerabant. Cibus sane erat gregum lac, et etiam carnes, Mare Rubrum abundabat piscibus; Deut. 2,6 iubentur Hebraei cibos emere ab Edomitis (cf. Deut. 2,18); emerunt sane etiam antea data occasione; simila tot sacrificiis et oblationibus adhibita (cf. Lev. 8,2. 26. 31 sq.; 9,4; 24,5 sqq.; Num. 7; Ios. 1,11) supponit frumenti copiam; quando per annum et amplius in eodem loco considebant, supponi possunt etiam agros sevisse.

4) Num. 11,8 docemur, Hebraeos manna fregisse mola et trivisse mortario, coxisse in olla atque ex eo fecisse tortulas saporis quasi panis oleati. Sed manna vulgare est instar cerae, contusum calefit atque liquescit.

Haec profecto obiectio difficilius solvitur. Respondent tamen, manna vulgaris naturam non esse sufficienter exploratam, illud fortasse mortariis tritum esse una cum aliis substantiis vegetabilibus etc.

Cf. *C. Ritter* : Die Erdkunde von Asien B. VIII Abth. II Abschn. 1 p. 665 sqq., Berlin 1848; *Ebers* p. 224 sqq. — Consule item *C. Gutberlet* : Das Buch der Weisheit, Münster 1874, p. 433 sqq.

Sed praeter manna vulgare e tamarice mannifera collectum considerandum h. l. venit *Sphaerothallia esculenta Nees ab Es.* Qui lichen a Taurica Chersoneso ad Tartariam usque, itemque in Asia Minore, Persia, Africa septentrionali plurimus reperitur in locis altioribus. Is ubi aestu exsiccatus est, vento abripitur in valles *vel etiam in adiacentes regiones*, ubi quandoque *in granula comminutus pluviae instar* decidit. A Tartaris vocatur « panis terrestris », ex eoque reapse comparatur panis aliquis. Fuerunt eiusmodi pluviae in variis Asiae tractibus 1824, 1828, 1841, 1846, 1864. Cf. *Leunis* : Synopsis der Pflanzenkunde, Hannover 1883-1886, § 939.146.1.

Si igitur manna affirmes fuisse hunc eundem lichenem, revera « pluebat » Deus panem Hebraeis, portentum habetur portento coturnicum perquam simile, quae item vento advehebantur. Hic lichen mola frangitur et pinsitur. Erit utique asserendus

multo magis tum in regionibus Orientis abundasse quam nunc : verum id, tot argumentis diversam tunc aeris temperiem circa Sinaitiden suggerentibus, quis neget? An vermibus corrumpatur is lichen nescimus, uti etiam alia plura eam plantam spectantia. — Neque dicas, nomen aegyptium *mannu* certe non ad illum lichenem sed ad manna vulgare referri. Potuit quippe Hebraeorum manna ob similitudinem appellari eodem nomine atque aegyptium *mannu;* potuit nominum similitudo esse mere fortuita; potuit nomen hebraeum revera petitum esse a populi admiratione.

Habemus igitur tres de manna sententias. Prima illud pronuntiat inaudito atque constanti miraculo esse concessum neque cum ullo naturali eventu quidquam habere commune. Altera, quae a recentioribus pluribus defenditur, sed immerito nova dicitur, cum Iosephi fuerit et a Bonfr. approbetur, manna biblicum substantia idem esse concedit atque manna vulgare. Tamen haec quoque sententia portentum agnoscat necesse est. Cernitur illud in pluribus, quae manna attinent, divinitus ante eventum praenuntiatis; in manna illo, quod a quibusdam ultra diem asservabatur, putrefacto. Copia item illius manna cum singulis diebus, tum per omnes anni menses miraculo carere haud videtur. — Tertia tandem sententia manna biblicum repetit non a manna vulgari e tamarice nato, sed a lichene Sphaerothallia. Ea, uti praecedens sententia, in pluribus portentum agnoscere compellitur. Tamen illius lichenis naturam tam parum habemus exploratam atque, si ille portento explicando adhibeatur, tam multa sunt gratuito supponenda, ut consultius esse iudicemus neque huic explicationi accedere, sed quaestionem, an manna biblicum cum aliquo eventu naturali affinitatem habeat, in medio relinquere, futuris fortasse studiis elucidandam.

3. *Populi triplex tentatio* Ex. 16,16-30.

Arg. — Triplici Moysis mandato v. 16,19-25 ea inchoatur. Iubentur Hebraei eam quotidie copiam mannae colligere, qua singulis obveniat gomor unum : qui plus colligunt, non reprehenduntur. Iubentur nihil servare in sequentem diem : qui servant, reprehenduntur portento et verbis Moysis. Vetantur sabbato colligere : qui collectum exeunt, rursum portento carpuntur et verbis ipsius Dei.

a. Tentatio prima Ex. 16,16-18.

v. 16 « *Hic est sermo, quem praecepit Dominus : colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum* » (cf. 12,4); et statuitur com-

munis pro omnibus mensura « *gomor* », lit. 3,8. Quibus mensura satis superque definitur. Adiiciuntur nihilominus expressiones synonymae omnino tres ad rem ceteroqui planam inculcandam : « *per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quae habitant in tabernaculo* », — seu verius secundum habitantes — « [*sic*] *tolletis* ». De stilo huius mandati casuistica effugia praecidente cf. quae dicebamus p. 116 sq. v. 17 « *Feceruntque ita filii Israel, et collegerunt alius plus, alius minus* ». v. 18 « *Et mensi sunt ad* [*mensuram*] *gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus; sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregaverunt* ».

Inde a *Ios.* plures in hoc insigne sibi visi sunt deprehendere miraculum. Aliqui plus gomore collegerant, quod colligentes vasibus uterentur modo maioribus modo minoribus (*Tost., Sylv.*) neque, dum colligerent, mensurarent : dein stupendo Deus miraculo eorum, qui plus collegerant, manna condensabat et ad gomor mensuram redigebat, eorum vero, qui minus collegerant, manna multiplicabat. Tamen eiusmodi miraculum non oportet adstruere. Collegerunt utique alii plus, alii minus, cum ob vasorum diversam capacitatem, tum quod res non mera *collectione*, sed *mensione* tandem esset definienda; collegerunt imprimis alii plus, alii minus, quod animarum in familiis numerus modo esset maior, modo minor (*Vat.*). Sed postea viri fortasse a Moyse constituti metiebantur manna, ita ut neque qui agiliores fuissent in colligendo, acciperent plus, neque reliqui acciperent minus, sed singuli לפי אכלו, quod Deus praeceperat. Cf. *Bonfr., Calm.*

b. Tentatio altera Ex. 16,19-21.

Altera de manna lex fertur, ut sc. nihil eius relinquatur in mane. v. 19 « *Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane* ». v. 20 « *Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus* » — יורם a רום *elevari* item derivant *LXX* ἐξέζεσε, ebullivit, *Chald. Syr.* רחש, ebullivit. *Dillm.* derivat a רמם sensu putrescendi : sed eam radicem habuerintne Hebraei, et ea quidem significatione, minime constat — « *atque computruit. Et iratus est contra eos Moyses* ». Fuit autem hoc, uti dicebamus, miraculi. v. 21 « *Colligebant autem* » — *Hebr. quovis* — « *mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum; cumque incaluisset sol* », *illud quod remanserat super faciem agri* (*Chald.*), non quod collectum fuerat, « *liquefiebat* ».

c. Tentatio tertia Ex. 16,22-30.

Dies sexta est dies ante sabbatum, cf. v. 5. Narratio omnino supponit, Hebraeos tum hebdomadis dies distribuisse et diem septimum, non utique lege stricte dicta aut divina, sacrum habuisse. v. 22 « *In die*

autem sexta collegerunt cibos duplices, [id est] duo gomor per singulos [homines] ». An Moyses illud v. 5 populo edixerit, feria sexta duplicem fore annonae copiam colligendam, nescimus, cum et illud v. 4 de tentatione siluerit. Quodsi etiam hoc siluit, haud mirum, populum v. 22 miratum esse tantam circumiacentem feria sexta copiam mannae. Verum ea copia portentum erat non minus, si praesciebatur; neque de eiusmodi portento semel praemonitus populus Hebraeorum totam eius rationem continuo erat perspecturus.

Praeterea, licet ipsum portentum praesciretur, at eius nondum ratio fuerat explicata (*Men.*), quare *principes* (cf. 22,28) non tribuum solum (*Tost.*), sed etiam familiarum (*Bonfr.*) Moysen adierunt. « *Venerunt autem omnes principes multitudinis* », quos crediderim distributioni manna praepositos fuisse, « *et narraverunt Moysi* ». v. 23 « *Qui ait eis : Hoc est, quod locutus est Dominus* » (v. 5). Quae immediate sequuntur, non sunt Dei verba, qui sane non usus erat voce *cras*, sed sunt ipsius Moysis explanatio. « *Requies sabbati sanctificata est Domino cras* ». *Hebr. : Sabbatismus, requies sacra Iahve est cras.* « *Quodcunque operandum est, facite* ». Sed *Hebr. : quaecunque pinsenda sunt, pinsite :* quod sane proxime ad manna refertur. At non ideo etiam, quod modo de *coquendo* dicitur, cum *Dillm.* ad solum manna est limitandum, sed scribitur generatim et cum *Tost.* etiam de carnibus accipi potest. « *Et quae coquenda sunt, coquite. Quidquid autem reliquum fuerit* », non a coquendo (*Cai.*), ut sola cruda serventur, sed ab edendo feria sexta, « *reponite* » — reliqui לְמִשְׁמֶרֶת, *ad custodiendum ;* quod *Syr.* explicat קְרִירָא, *frigida* — « *usque in mane* ». « De eo, quod hodie paraveritis et coxeritis, hodie comedite quantum opus fuerit; quidquid autem de manna sive cocto sive incocto superfuerit, reponite ad cibos in diem crastinam. Idemque iudicium est de aliis cibis, si qui eos haberent » (*Syle.*). Perperam *Ps. Ion.*, vocem *cras* repetens aut supplens : « quibus vobis cras coctis opus erit, ea coquite hodie ». v. 24 « *Feceruntque ita, ut praeceperat Moyses* ». *Hebr.* id, quod praecipuum erat, distinctius effert : *et reposuerunt illud usque mane.* « *Et non computruit, neque vermis inventus est in eo* ». Unde Moyses occasionem sumpsit inculcandae legis sabbati v. 25 : « *Dixitque Moyses : Comedite illud hodie, quia sabbatum* » *hodie* « *est Domini : non invenietur hodie in agro* ». *Ergo hodie* nihil comedendum habetis praeter illud, quod heri collectum hodie incorruptum perseverat. v. 26 « *Sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum [est Domini], idcirco non invenietur* » *in eo*, i. e. in agro.

v. 27 *Hebr.* incipit *et factum est, in die septima*, unde clare perspicitur, non esse sequentia referenda cum *Tost.* ad alterum aliquod sab-

batum, sed ad illud, quo primum manna desiderabatur. « *Venitque septima dies, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt* ». v. 28 « *Dixit autem Dominus ad Moysen* », fortasse antequam quisquam (v. 22) illi narrasset : « *Usquequo non vultis custodire mandata mea et legem meam?* » *Hebr.* utrumque nomen plurali scribit. Est ἓν διὰ δυοῖν. Una hac in unum mandatum inobedientia ostendunt animum ad obediendum mandatis divinis parum pronum. v. 29 « *Videte, quod Dominus dederit vobis sabbatum* », illud vobis observandum proposuerit, « *et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices : maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo* », ad colligendum manna (*Bonfr.*) aut generatim ad opus servile peragendum. Unde sequitur v. 30 : « *Et sabbatizavit populus die septimo* ».

4. *Supplentur aliqua ad manna spectantia* Ex. 16,31-36.

Arg. — Traditur nomen, quod fuerat v. 15 indicatum. Narratur mannae aliquid in tabernaculo perpetuo esse asservatum. Definitur tempus, quo manna pasti sunt Hebraei, et mensurae gomor capacitas.

v. 31 « *Appellavitque domus Israel nomen eius Man* » (cf. ad v. 15). « *Quod erat quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similae cum melle* ». Dum v. 14 manna describebat primum et procul conspectum, v. 31, qui v. 14 sq. intime iungitur, idem veluti manu prehensum et ore degustatum describit; tradit formam, colorem, gustum.

Coriandrum (L.) planta umbellifera bina producens granula inter se iuncta. צפיחת, *Sam.* צפחית est ἅπαξ λεγόμενον. *Vulg.* vertit *similam* seu triticum; *LXX* ἐγκρίς, *Chald.* אסקריטון (= ἐσχαρίτης), *Aq.* ἀμύλιον, *Symm.* ἄμυλος, quae omnia sunt placentarum genera. Porro a placentarum e farina non fermentata confectarum gustu non ita multum differt gustus *favi*, i. e. cerae mel continentis : quem favum exprimit alia *Symm.* lectio μελικήριον (cf. μελίκηρον). Quibus omnibus gustus manna satis accurate describitur, ut imitetur gustum panis non fermentati melle tincti, aut favi mel habentis. E contra *Syr.* כבריתא, i. e. mel liquefactum, cum illico mel recenseatur, abundat. — v. 29 (cf. v. 28) Deus inducitur de se ipso loquens in tertia persona : aut aliquid in textu excidit, aut aliquid corruptum est, aut etiam textus talis primitus exstitit, qualis nunc legitur. Cum sc. omnia illa divina effata primum a Deo dicta sint Moysi, deinde a Moyse populo repetita, bene potuit stili inaequalitate aliqua auctor etiam inspiratus priorem effati partem, ut a Deo ad Moysen, posteriorem, ut a Moyse ad populum pronuntiabatur, describere.

v. 32 « *Dixit autem Moyses : Iste est sermo, quem praecepit Dominus : Imple* » — *Masor.* punctant *impletio; Sam. LXX* מילאו, *implete* — « *gomor ex eo, et custodiatur in* [*futuras retro*] *generationes, ut*

noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Aegypti ». v. 33 « *Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi man, quantum potest capere gomor, et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras* », v. 34 « *sicut praecepit Dominus Moysi* ». Ultimum incisum, si ad praecedentia trahatur, utique claudicat; sequentibus iungi potest, attamen nonnihil durius. « *Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum* ». Salomonis aevo 3 Reg. 8,9 illud non iam exstabat.

צנצנת est ἅπαξ λεγόμενον. Certe est *vas* aliquod (*Vulg.*). Rem accuratius definire attentant *LXX* scribentes στάμνον, urceus; *Targ.* צלוחית, patera; *Syr.* קכטא = ξέστης, sextarius, vas continens duodecimam partem Hin (*Levy*). *LXX* scribunt *aureum*, fortasse ante אחת legentes זהב; et cf. Hebr. 9,4. — עדות (*Sam.*) est *lex* seu, ut *Vulg. LXX* constanter vertunt, *testimonium*; sola ea vox nunquam designat *tabernaculum*, sed tantummodo praefixo אהל. Neque לפני significat *in*, sed *ante* : verum *ante* tabernaculum illud manna certe non asservabatur. Aliunde Ex. 25,16. 21 עדות indubie significat id, quod intra arcam asservabatur, tabulas legis. Cum igitur ex 33,7 habeamus, exstitisse apud Hebraeos tabernaculum aliquod praemosaicum, erit h. l. עדות intelligendum de sacro illo, quod intra illud tabernaculum asservabatur. Reposuit Aaron manna intra tabernaculum ante illud sacrum. Adverte duas, quae idem edicunt, expressiones v. 33 לפני יהוה et v. 34 לפני העדת. Sensere quidem post *Aug.* plures v. 32-34 hic scribi per anticipationem, ut omnia, quae manna spectent, in hac una pericope absolvantur; rem vero serius et post exstructum tabernaculum actam esse. Quae opinio defendi potest. Tamen praeplacet cum *Mar.* fateri, « aliqua sacra publica gestasse Iudaeos, et habuisse aliquod tabernaculum ante id, quod Moyses » fecit. De religione quippe Hebraeorum praemosaica perpauca novimus; scimus Abraham ritu Chaldaeorum immolasse, praecepta noachica et circumcisionis viguisse, scyphos adhibitos esse auguriis etc.; vix dubium ritus sacrorum exstitisse accuratos : cur non fuerit arca aliqua, arcarum Aegyptiorum fortasse affinis? De quibus rebus silebat Pentateuchus etiam ideo, ne Iudaei in tentationem inciderent eiusmodi antiquorum, sed inde a Moyse abrogatorum, rituum superstitiose repetendorum. Cf. p. 3 sq.

v. 35 « *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem* »; idemque altera expressione explicatur : « *hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent* » — *Hebr. venirent ad* — « *fines terrae Chanaan* ». Cf. Ios. 5,12. v. 36 « *Gomor autem decima pars est ephi* », quae secus עשרון audit. Fortasse vox עבר mox adhiberi desiit, et recentior aliquis hanc notam adscripsit. — Pulchre de manna agunt Ps. 77 (78), 17 sqq. et Sap. 16,20 sqq. Illud Christus Io. 6,31. 49. 59 Sacramento sui corporis comparat.

G. De deserto Sin in Raphidim Ex. 17 sq.

Nostra narratio, quae non singulas describere stationes, sed solum res scitu dignas narrare intendit, Hebraeos a deserto Sin traducit in

Raphidim. Inter quae loca Num. 33 duas inserit stationes, Daphca et Alus. Quas h. l. discutiemus, quo Hebraeorum ad montem Sinai iter perspiciamus.

Igitur *Daphca* idem videtur esse nomen atque aeg. *mafkat* seu, dempta terminatione feminina, *mafka* et, praefixo articulo feminina, *tmafka* : nomina aegyptia saepe addito articulo in alias linguas transiere, quae item *m* post dentalem eliminant. Pro *mafka* saepissime scribitur *mafek*, ita ut nomen correspondeat hebraeo דפקה, etiamsi ה supponatur esse locale. Porro *mafka* erat nomen gemmae, quae malachites vocatur, et *regio mafka* Aegyptiis erat ea Sinaitidis pars, ubi illas gemmas frequentissimas excavabant. Qui locus hodie audit Wadi Maghara, ubi etiamnum Aegyptiorum inscriptiones et cuniculi in rupes acti conspiciuntur. Primus ibi gemmas conquisivit Snefru, ultimus tertiae dynastiae rex; supremus, cuius repertae sunt inscriptiones, est Ramses II, Hebraeorum in Aegypto oppressor. Erant autem graves rationes, cur eum locum Moyses non praeteriret. Prima, quod pharaones consueverint prope eiusmodi fodinas in desertis sitas aquarum receptacula procurare; dein, quod innumeros illuc servos et captivos ad durissimos labores mitterent, inter quos plures tum fuisse Hebraeos non immerito coniicitur. Cf. *Ios.* c. Apion. I. 26 et *Ebers* p. 135 sqq. 539 sqq. Wadi Maghara a Wadi Taiibeh distat horis non plane quatuordecim.

Ubi *Alus* fuerit, ignoramus. At *Raphidim* plerique concedunt esse Wadi Feiran, oasin omnium maximam et fertilissimam, quam ad Sinai pergentes attingere debuere, pro qua sine dubio Amalecitae dimicavere. Antequam oasin ingrediaris, demonstrant Arabes rupem Hesy el Khattatin, e qua Moyses aquam elicuerit. In oasi, inter Wadi ʿAjeleh et Wadi Alejat, in media valle assurgit ad altitudinem fere 33 m. rupes Meharret, in qua Moyses fertur durante proelio orasse, locus certe aptissimus, hostibus a meridie venientibus inaccessus, unde latus in vallem patet prospectus. Cf. *Ebers* p. 188 sqq.

1. *Aqua e petra elicita* Ex. 17,1-7.

Arg. — Iam Marae Deus aquae penuriae subvenerat, cibum in deserto Sin suppleverat. Nihilominus populus siti laborans in Raphidim conviciis Moysen et Deum impetit. Quos illustriori etiam quam Marae miraculo per virgam, tot portentorum monumentum, patrato reficit Deus, aquis e rupe ad tempus elicitis.

v. 2 censet *Dillm.* non esse nisi v. 3 corruptionem, eadem edici. Non eadem edicuntur. v. 2 populus, uti crediderim, in locum recens advectus aquam postulat importune; quos Moyses monet, querelis non tam se ipsum impeti quam Iahve providentiam. At mox, ubi in eodem loco (*ibi* v. 3) increvit *sitis*, Moysen ac Dei providentiam conviciis petunt, quae v. 7 hac formula resumuntur : » Estne Iahve in medio nostri, annon? » Nunc tandem Moyses clamat ad Iahve.

Cap. XVI v. 1 « *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas* » — « per itinera sua » (*Vat.*), cf. Gen. 13,3 et, si compares Num. 33,12 sq., commode hic indicari fateberis

(*Cai.*) stationes Daphca et Alus — « *iuxta sermonem Domini* », — qui apte h. l. intelligi potest columna nubis, nam « sermo Dei vocatur omne signum, quo Deus voluntatem suam manifestat » (*Sylv.*) — « *castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo* ». v. 2 « *Qui iurgatus contra Moysen ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum?* » Querelae vestrae non tam in me diriguntur, quam in ipsum Deum. « Quare Deum provocatis ad iracundiam, et cur diffisi de divino favore et auxilio, quod toties estis experti, rursum vultis per experientiam cognoscere, an Deus in vobis sit, cum deberetis non murmurando, sed orando et firmiter sperando ad Deum recurrere? » (*Sylv.*). v. 3 « *Sitivit ergo ibi populus prae aquae penuria, et murmuravit contra Moysen dicens : Cur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos et liberos nostros ac iumenta siti?* » v. 4 « *Clamavit autem Moyses ad Dominum dicens : Quid faciam populo huic?* » « Quomodo potero satisfacere petitioni eius? » (*Tost.*). Fortasse melius generatim : Quid faciam respectu populi huius, imprimis ut me ab eius importunitate defendam? « *Adhuc paululum, et lapidabit me* » (cf. 8,26 [22]). « Si modicum temporis transeat et eis non do, quod petunt, lapidabunt me » (*Tost.*). v. 5 « *Et ait Dominus ad Moysen : Antecede populum* », — *Hebr. : transi ante faciem populi*, quod interpretatur *Cai. :* Ne timeas, non te lapidabunt. Sed facilior est sensus, quem exprimunt *Vulg. LXX* : praecede populum, sc. versus rupem illam — « *et sume tecum de senioribus Israel* », maioris auctoritatis testes futuros miraculi (*Tost.*); « *et virgam, qua percussisti fluvium* » Nilum (7,17. 20), « *tolle in manu tua, et vade* ». « Virga, quae tantum flumen in sanguinem transformavit virtute divina, quomodo non poterat elicere aquam ex hac petra? » (*Proc.*). Post transitum Maris Rubri non scribitur adhibuisse eam *virgam* Moyses, nisi h. l. et in narratione huic simillima Num. 20; ubi etiam e v. 9 colligitur, virgam tum non iam in Moysis manibus fuisse, sed asservatam esse coram Iahve, i. e. in sanctuario (cf. Ex. 17,33). Videtur ea solis exodi portentis efficiendis a Deo esse deputata, eratque insignis Dei favor, quique plenam et Moysis et populi mereretur fiduciam, ut hac virga rursum post exodum permitteretur uti Moyses. v. 6 « *En ego stabo ibi coram te supra petram* » *in* « *Horeb* ». Cf. quae dicebamus ad 3,1. « Non solus et destitutus eris : ego adero » (*Proc.*). « *Percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus* ». Pro *ut* reliqui *et*. Sed fortasse feliciter vertit *Vulg.* estque in textu illud, quod suggerit *Tost.*, effluxuram esse aquam tantam, quanta pro populo gregibusque requireretur. Non dicit textus natum esse fontem peren-

nem, neque locus Hesy el Khattatin nunc fontem habet. Potuere Amalecitae impetum differre, quoad Hebraei siti exhausti et pugnae impares ad ipsum fere oasis limen pervenissent : at Deus hostium fefellit astutiam, suosque ibidem miraculoso haustu refecit. « *Fecit Moyses ita coram senioribus Israel* », v. 7 « *et vocavit nomen loci illius Tentatio* » *et Iurgium*, « *propter iurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis, an non?* »

Duplici loci nomini מסה מריבה praeludunt verba v. 2 ויריב et תנסון. Sed cur duplici una occasione nomine unus locus appellatur? Adverte, Num. 20 narrari eventus omnino similes, imponique fonti cuidam nomen item מריבה. Potuit ea similitudo ratio esse, ut h. l. praeter nomen מסה irreperet etiam nomen מריבה, maxime cum verbum ריב tam v. 2 quam v. 7 legatur.

2. *Victoria de Amalecitis reportata* Ex. 17,8-16.

Arg. — Mox Amalecitas adorti Hebraei fundunt, Moyse in vertice collis manus cum virga attollente. Perpetuas Hebraeis in Amalecitas inimicitias Deus indicit, Moyses vero altari erecto certaminis locum consecrat.

v. 8 « *Venit autem Amalec et pugnabat contra Israel in Raphidim* ». De Amalec diximus ad Gen. 14,7; 36,12. Cf. etiam 1 Reg. 27,8; Num. 13,29; 14,43. 45. Accuratius hanc pugnam describit Deut. 25,17 sq. : « Memento, quae fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Aegypto : quomodo occurrerit tibi et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum ». Ergo Amalecitae latronum instar, non iusto proelio aggressi primum fuerant Israelitas; unde perspicitur, quomodo potuerit v. 9 Moyses diem proelii ipse determinare : *cras*. Proelium sc. tum obtinuit, quando Iosue cum viris lectis Amalecitas in locis inaccessis aggressus est. Quod autem habetur Iudith 4,13, Amelecitas etiam fisos esse « curribus suis », verba sunt Eliachim auctoris non inspirati desuntque apud *LXX*. Amalecitas tum usos esse curribus improbabile apparet cum e natura locorum curribus perquam iniqua, tum ex iis omnibus, quae de tribuum deserti moribus ex Aegyptiorum monumentis novimus : curribus eae carebant. v. 9 « *Dixitque Moyses ad Iosue : Elige* » *nobis* « *viros, et egressus pugna contra Amalec : cras* » — sed hanc vocem aptius fortasse *LXX Syr.* ad praecedentia trahunt — « *ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea* ». Differentia vocum גבעה et (v. 6) צור potius suggerit, hunc collem alium esse a petra Horeb; narratio suggerit fuisse collem, unde Moyses et

omnia ipse contueri, et ab omnibus facile conspici posset. v. 10 « *Fecit Iosue, ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec; Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis* ».

Hur satis probabiliter *Ios.* (Antiq. III. 6) eundem esse pronuntiat atque avum Beseleel artificis, filium Caleb, filii Hesron, filii Phares, filii Iuda : Ex. 31,2; 35,30; 38,22; 1 Par. 2,19. 50; 4,1. 4; 2 Par. 1,5. Quo iure eundem maritum fecerit Mariae, sororis Moysis, nescimus : quod si admittas, habebis Moysi adstantes viros duos prae ceteris illi maxime necessarios, fratrem et generum. Alius vir nominis Hur habetur 2 Esdr. 3,9; itemque rex Madianitarum Num. 31,8; Ios. 13,21. — Natales cur reticeantur Iosue et Hur, cf. quae suggerebamus p. 37 sq. « Filius Nun » vocatur Iosue primum 33,11 post interemptos sacerdotes pristini ordinis. Hur 31,2; 38,22 simpliciter dicitur « de tribu Iuda ». Neuter suae tribus princeps erat, sed Iosue scribitur Elisamae nepos, qui ipse princeps erat tribus Ephraim (Num. 1,10) : vir ille senior videtur consiliis tribus praefuisse, dum iunior tribui praeibat ad pugnam (Ex. 17,9 sqq.). Hur originem duxisse scribitur ab Hesron, nepote Iudae; non tamen ab Hesronis filio natu maiore Ram, cuius nepos Nahasson (Num. 1,7) erat princeps tribus Iuda, sed ab Hesronis filio minore Caleb (1 Par. 2,5 sqq.).

v. 11 « *Cumque levaret Moyses manus* », — solus *Hebr. : manum* — « *vincebat Israel; sin autem* [*paululum*] *remisisset, superabat Amalec* ». v. 12 « *Manus autem Moysi erant graves* », factae sunt graves : quis enim integro die manus extentas servet? « *Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit; Aaron autem et Hur sustentabant manus eius ex utraque parte. Et factum est, ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis* ». v. 13 « *Fugavitque Iosue Amalec, et populum eius in ore* », in acie « *gladii* ». v. 14 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monumentum* », « in memoriam » (*Bonfr.*), « *in libro et trade auribus Iosue : delebo* [*enim*] *memoriam Amalec sub coelo* ». Scribendam censet *Cai.* rem gestam, tradendam auribus Iosue divinam de delendis Amalecitis comminationem; rem gestam enim, inquit, Iosue oppido norat neque erat, cur ei narraretur. Melius *Bonfr.* censet, utrumque verbum ad unam referri comminationem. *Liber* articulo caret apud *LXX*, articulum habet apud *Masor.* : secundum hos iam exsistebat liber aliquis, puta Liber Iustorum; secundum illos generale datur scribendi mandatum. Ceterum ex verbis probabili coniectura inferimus, consuevisse iam tum apud Hebraeos aliqua scriptis mandari. Neque id mirum, quod Aegyptii, Babylonii pluresque Asiae anterioris eius aevi populi tam multa nobis scripta reliquerint. v. 15 « *Aedificavitque Moyses altare* », et sine dubio sacrificium in illo obtulit, « *et vocavit nomen eius : Dominus Exaltatio mea, dicens* » : v. 16 « *Quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem* ».

יהוה נסי : נסה significationem habet *attollendi*, a qua legitime derivantur *exal-*

tatio (*Vulg.*; cf. *LXX* καταφυγή), imo *miraculum* (*Chald.*), et *vexillum*, res sc. quae attollitur. Cum vero in toto hoc contextu (cf. 15,25; 16,4; 17,2. 7 et sequentia) נסה usurpetur sensu *attollendo examinare, probare, tentare*, erit is sensus etiam h. l. retinendus : ergo *Dominus Probatio mea*. Potestque *probatio* vel active accipi : Deus, qui me probavit penuria cibi et potus hostiumque incursu, et qui probatum salvavit; vel passive : Deus, qui probavit me, sed probatum non est oblitus, sed tandem hostibus eripuit. — Prior v. 16 pars obscura : כי יד על כס יה; secunda clara est : מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר. Illud יה ignorant *Sam. LXX Syr.* et fortasse *Chald.*; tamen pro כס legit *Sam.* כסא, significatione eadem; et *LXX* ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ potest revocari ad ביד כסיה. Ergo יה ut nomen Dei verius supprimitur, על e contra retinetur, cum soli *LXX* illud ignorent. Sed quid sibi vult *manus super solium?* Explicant *Targ.* de Deo iuramentum praestante admota throno suo manu : inusitatus iurandi ritus et iniqua constructio. Adverte nostram sententiam probabilius aliquam continere nominis יהיה נסי explicationem, et prius membrum fortasse parallele se habere ad secundum : desiderabis igitur in illa aliquod radicis נסה vestigium, quod illico comparebit, si כס corruptum supponas e נס (*Cler.*), literis כ et נ in antiquis characteribus simillimis inter se. Ergo כי יד על נסי, *quia manus super tentantem me*. Tentans hic est Amalec, quo Deus tamquam instrumento utitur ad tentandum Israel; et manus intelligitur manus Dei. Quod illico explicat alterum membrum parallelum : *et pugna Iahve contra Amalec in perpetuum*. Hoc igitur decretum futurae exterminationis altaris nomine includitur, hoc Moyses scriptis consignare iubetur.

3. *Iethronis acta in Raphidim* Ex. 18.

Quae hoc capite narrantur de Iethro, post *Tost.* censebat *Calm.* legi loco non suo, sed proprie inserenda esse Num. 10, inter v. 10 et 11. Quem secuti sunt recentiores plures. Rationem affert primam, acta haec esse 18,5 in castris « iuxta montem Dei », qui alius non sit nisi Sinai : igitur acta esse non in Raphidim, sed in sequente statione. Respondemus, e 3,1 constare Iethro incoluisse non ita longe a « monte Dei Horeb » facileque intelligi, eum tum Moysen adiisse, quando is proxime ad eius sedes accessisset; sed in Raphidim 17,6 erat « petra Horeb », e qua elicuit Moyses aquam. Ergo obvia est conclusio, unum esse locum, qui modo « mons Dei », modo « mons Dei Horeb », modo « petra Horeb » audiat, atque hinc cap. 18 narrata spectare ad stationem Raphidim. — At nonne Deut. 1,9. 10. 15 dicit Moyses, se iam castra moturum e Sinai instituisse principes etc., quod est ipsum consilium, quod Ex. 18 et Iethro dedisse et Moyses exsecutus esse narratur? Respondeo, etsi concedatur de eodem agi facto, at verba Deut. 1,9 « Dixique vobis illo in tempore » ostendere, res ibi non referri ordine stricte chronologico. — Urget Calm., Num. 10,29 sqq. Moysen iamiam a monte Sinai recessurum, habuisse Iobab seu Iethro secum in castris. Respondeo, cum Iethro prope Horeb incoleret, potuit sane plus quam semel generum ibidem degentem invisere. At nonne Ex. 18,16 meminit Moyses « prae-

ceptorum et legum Dei »? Recole, quae dicebamus ad Ex. 15,25. Urget *Dillm.*, iudicum illud institutum non potuisse perfici brevi illo tempore, quo Hebraei in Raphidim substitere. At potuit ibidem inchoari. Cf. quae dicebamus in Introd. p. 13.

a. Iethronis festivus adventus Ex. 18,1-12.

Arg. — Iethro Moysen generum adit, partim ut prope suas sedes cum numeroso exercitu transeuntem salutet atque propitiet (cf. Gen. 14,18), partim ut viro tot divinis favoribus honorato uxorem reconciliet filiosque tradat. Edoctus a Moyse omnia Iahve magnalia, in Iahve laudes prorumpit Iethro Deumque sacrificio gratiarum actionis honorat. Sephora quoque in plenam gratiam recipitur.

Cap. XVIII v. 1 « *Cumque audisset Iethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi* », de quo dicebamus ad 2,16 et 3,1, « *omnia quae fecerat Deus Moysi et Israeli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israel de Aegypto* », v. 2 « *tulit Sephoram, uxorem Moysi* » (cf. 2,21; 4,25 sq.), « *quam remiserat* », v. 3 « *et duos filios eius, quorum unus vocabatur Gersam, dicente patre : Advena fui in terra aliena* », v. 4 « *alter vero Eliezer : Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis* » (cf. 2,22). v. 5 « *Venit ergo Iethro, cognatus Moysi, et filii eius et uxor eius ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus iuxta montem Dei* ». Haec introductio est nonnihil impedita, omnes personae describuntur, dum 17,9 sq. Iosue et Hur absolute scribantur. Illud *quam remiserat*, utique recentiori manu videtur adscriptum, quo tempore obscurior 4,25 sq. textus non iam satis intelligebatur. Supponebatur aliquando post illud factum Sephora a Moyse esse *remissa;* revera illa a Moyse sponte recesserat. Si h. l. textus v. 5 supponatur incorruptus, secundum quae diximus ad 4,20, tenendum erit Sephoram peperisse Eliezer post suum a marito discessum. In explicando v. 4 nomine Eliezer, utique adhibetur vox אלהים, a qua illud nomen derivatur; sed v. 1 adhibetur semel אלהים et semel יהוה.

v. 6 « *Et mandavit Moysi dicens* » : — ita recte *Vulg.* interpretatur *Hebr. dixit;* aut cum *LXX* supple *dixit aliquis,* nuntiatum est — « *Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea* ». Nuntium praemisit, quo, si uxoris adventus Moysi minus esset gratus, pedem ipse tempestive referre posset. Simul filios adducit, quorum intuitu mater etiam in favorem reciperetur. v. 7 « *Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit et osculatus est eum, salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum* », v. 8 « *narravit Moyses cognato suo cuncta, quae fecerat dominus Pharaoni et*

Aegyptiis propter Israel, universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus ». « Per *laborem* intelliguntur penuriae cibi et potus, difficultates et molestiae, quas passi erant Hebraei sive ab Amalecitis sive aliunde » (*Sylv.*). Ceterum Amalecitarum eladem sine dubio oppido compertam habebat Iethro, fueratque ea etiam ratio amicitiae Moysis exquirendae. v. 9 « *Laetatusque est Iethro super omnibus bonis, quae fecerat Dominus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Aegyptiorum* », v. 10 « *et ait : Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Aegyptiorum et de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Aegypti* ». v. 11 « *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos* », — non sequitur (*Tost.*), Iethro ante plures deos coluisse ; sed Iahve agnoscit omnes deos excellere ideoque illum unum esse verum Deum, quem antehac ipse coluisset — « *eo, quod superbe egerint contra illos* ». *Vulg. LXX Syr.* ignorant alterum כי. Verbotenus : *quia in eo, in quo procaces fuere* (Aegyptii) *in eos* (Hebraeos) — sententia est truncata. Satis apte supplent *Targ.* : iudicati sunt. Qui Hebraeos aquis fluminis opprimere voluere, aquis maris ipsi oppressi sunt. v. 12 « *Obtulit ergo Iethro, cognatus Moysi, holocausta et hostias Deo* » : non sacrificat Iahvae non hebraeus ; sacrificat autem ritu praemosaico, quo ante sacrificaverat Moyses 17,15, Melchisedech, quique iam norat holocaustorum et hostiarum discrimen et epula sacra. « *Veneruntque Aaron et omnes seniores Israel* », — *Sam. de senioribus* — « *ut comederent panem* », cibum generatim, imprimis carnes sacrificales (*Sylv.*), « *cum eo coram Deo* », sane coram altari, in quo ipse sacra fecerat. Cf. Gen. 36,46. 54. Haec sane adscribuntur ad ostendendam perfectam harmoniam et etiam sacrorum communionem. Moysen sacrificio interfuisse, per se patet. Sed adsciscuntur Aaron et seniores, quo perspiciatur illo epulo sacro feritum esse foedus inter familiam Iethro et totam Hebraeorum gentem ; plurimum Iethronis intererat, ne suos Hebraei cum Amalecitis confunderent.

b. Iethronis consilium Ex. 18,13-27.

Arg. — Iethro Moysi consilium dat, ne omnia ipse negotia expediat, sed iudices causis minoribus expediendis deputet. Consilium exsequitur Moyses.

v. 13 « *Altera autem die sedit Moyses, ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam* », eos sc. qui causas haberent dicendas, non meros (*Dillm.*) spectatores. v. 14 « *Quod cum vidisset cognatus eius, omnia sc. quae agebat in populo, ait : Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, et omnis populus prae-*

stolatur de mane usque ad vesperam? » v. 15 « *Cui respondit Moyses : Venit ad me populus quaerens* [*sententiam*] *Dei* ». Quaerunt Deum seu Dei sententiam, non quasi in singulis Moyses Deum consuluerit (*Tost.*), sed quia prophetae sententia veluti a Deo procedere et erroris expers esse censebatur. Volebant maxima in omnibus, quae fieri posset, frui certitudine : sed docet Iethro, maius bonum particulare sapienter postponi maiori bono universali. v. 16 « *Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut iudicem inter eos, et ostendam praecepta Dei et leges eius* ». Cf. quae ad 15,25 dicebamus. v. 17 « *At ille : Non bonam, inquit, rem facis* ». v. 18 « *Stulto labore consumeris et tu et populus iste, qui tecum est; ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere* ». v. 19 « *Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum* ». Loquitur Iethro tamquam propheta maior ad minorem. « *Esto tu populo in his, quae ad Deum pertinent* ». Expressio obscurior מול האלהים, *ex opposito Dei*, sequentibus explicatur : « *ut referas, quae dicuntur ad eum* », melius : *ut referas negotia ad Deum*, illa sc. « quae non possunt expediri hominum iudicio et requirunt divinam sententiam » (*Tost.*); v. 20 « *ostendasque populo ceremonias et ritum colendi* », *Hebr. praecepta et leges*, « *viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant* ». Ergo expressionis sensus non est « sis vice Dei » (*Cai.*), cum, qui sit vice Dei, non tam ad hoc deputetur, ut referat negotia ad Deum; sed : esto tu pro populo, mediator populi *in his, quae ad Deum pertinent.* v. 21 « *Provide autem de omni plebe viros potentes* », graves auctoritate, « *et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis* » — reliqui *super eos*, quod pronomen refertur ad *plebem* — « *tribunos* », i. e. duces super mille (*Hebr.*), « *et centuriones et quinquagenarios et decanos* », v. 22 « *qui iudicent populum omni tempore : quidquid autem maius fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo iudicent; leviusque sit tibi* », — *LXX Chald.* pluralem habent : *et alleviabunt de supra te* — « *partito in alios onere* ». *Hebr. : et ipsi tecum portabunt.* v. 23 « *Si hoc feceris, implebis imperium Dei et* [*praecepta eius*] *poteris sustentare* », — melius *Hebr. : et poteris stare*, non opprimeris onere — « *et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace* », non stabunt hic tota die exspectantes iudicium, sed causae citius expedientur.

וצוך אלהים *Chald.* ad prodosin trahit : *Si hoc feceris et Deus hoc tibi praeceperit*, quae est sententia mire languida et timida post v. 17 « non bonam rem facis », et v. 19 « erit Deus tecum ». Reliqui igitur ad apodosin trahunt. *LXX* κατισχύσει σε ὁ θεός, et similiter *Syr. :* sed ea significatio re vera aliena est a verbo צוה, neque ex 1 Par. 22,12 demonstratur. Sensus obvius est : imperabit tibi Deus; divina responsa ut

antea accipies, sed simul non ita viribus exhaurieris. Et ad hunc sensum revocari potest *Vulg.*

v. 24 « *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quae ille suggesserat* » v. 25 « *et, electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos* ». v. 26 « *Qui iudicabant plebem omni tempore; quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes* ». Sapienter coniicit *Sylv.*, casus graviores primum a decano esse relatos ad quinquagenarium, ab hoc, si necesse videretur, ad centurionem, ab hoc ad principem super mille, ab hoc tandem ad ipsum Moysen. v. 27 « *Dimisitque cognatum suum, qui reversus abiit in terram suam* ».

H. De Raphidim in desertum Sinai Ex. 19-23.

Plura, quae huc spectant, fuse discussimus in Introductione. Magna illa theophania, qua decalogus promulgatur, 19,1-15 *praeparatur*, 19, 16-20,21 *describitur*, 20,22-23,33 accuratius declaratis quibusdam decalogi legibus *completur*.

I. THEOPHANIA PRAEPARATUR Ex. 19,1-15.

1. *Deus consilium suum Moysi aperit* Ex. 19,1-9.

Arg. — Demonstrans caritatem, qua populum eduxit et adduxit, declarat Iahve, si pactum servet Israel, principem eum inter gentes locum tamquam populum sanctum esse obtenturum, regiumque ei sacerdotium esse attribuendum. Populus se pactum servaturum esse protestatur.

Dicebamus p. 166 probabilius Sinai Hebraeis nomen fuisse non unius tantum cacuminis, sed totius tractus montani, qui desertum Sin attingebat, cum secus nomine is tractus careat, et הר tam montem quam tractum montanum exprimat; similiter atque Ararat seu Urarda modo omnes Armeniae montes, modo altissimum inter illos cacumen designabat. At e pluribus indiciis perspicitur s. textum plerumque non totum Sinaitidis montanum tractum intelligere, sed unum aliquem montem; v. g. quando 19,23 sq. iubetur Moyses montem a populo erectis terminis separare. Porro ille mons modo *Sinai* audit, modo *Horeb*. Lex in Exodo itemque Ps. 67 (68), 9.18 et 2 Esdr. 9,13 in Sinai narratur esse data, Mal. 4,4 (3,22) in Horeb. Elias Eccli. 48,7 modo in Sinai, modo in Horeb, 3 Reg. 19,8 in Horeb secessisse scribitur. 3 Reg. 8,9 et 2 Par. 5,10 refertur Moyses in Horeb tabulas lapideas in arca reposuisse; Ps. 105 (106), 19 vitulus aureus in Horeb confectus scribitur; quae omnia Exodus monti Sinai attribuit. Ex. 3,12 Deus in monte Horeb apparens iubet Moysen aliquando sacrificare « in monte *hoc* », quo sacrificia in Sinai offerenda designari videntur. Quod ero aliqui suggerunt, Sinai esse nomen unius montis, Horeb totius tractus montani, id nullo argumento firmari potest.

Porro paeninsulae montium prae ceteris duo auctoribus visi sunt cum Sinai biblico comparandi : mons *Serbal*, cui post *Euseb.* et *Hier.* (Onomast.; *M.* 23. 916. 933) et *Cosmam Indicopleusten* (*M.* 88. 217) favent plures, quos videas apud *Ebers* p. 220 sqq., imprimis *R. Lepsius* et ipse *Ebers*. Et *Euseb.* quidem et *Hier.* huic sententiae accensentur, quatenus Raphidim idem esse pronuntiant atque Pharan, i. e. Wadi Feiran : siquidem Horeb fuisse prope vallem Raphidim clare textus habet, et Horeb idem est atque Sinai. Cosmas autem Sinai prope abesse ait ab inscriptionibus illis plurimis nabathaeis, paulo ante vel post Christum natum ortis, quae sunt in valle Mokatteb, quae est veluti initium Wadi Feiran septentrionem versus. — Alii e contra Sinai biblicum eundem esse pronuntiant atque *Dschebel Musa*, sc. monachi et Arabes prope eum montem incolentes, et e recentioribus *Robinson*, *Tischendorf*, *Palmer* aliique. Cf. etiam *M. Iullien* S. I. : Sinaï et Syrie, Lille 1893.

Nota, in hac quaestione veri nominis *traditionem* desiderari. Hebraeorum plerique, qui portenta Sinai conspexerant, in deserto mortui sunt. Eorum posteri locorum revisendorum occasionem haud sunt nacti, ad montem sanctum tot interiectis inimicis tribubus peregrinationes non suscepere. Ait quidem *Ios.* (cf. II. 12), montem Sinai esse totius regionis illius altissimum : utrum illud traditione acceperit Ios., an amplificatione effinxerit, difficile dixeris. Praeterea argumentum hoc, si quod est, potius favet monti Serbal quam Dschebel Musa. Altissimus sc. illorum montium altitudine absoluta neque est Serbal (2052 m.) neque Dschebel Musa (2244 m.), sed Dschebel Katherin (2602 m.). At Ios. sine dubio loquitur de altitudine relativa oculos percellente, qua Serbal 1452 m., Dschebel Musa solummodo 644 m. super planitiem assurgit.

Primis saeculis christianis anachoretae plures et monachi Sinaitiden incoluere, apud quos nata mox est traditio aliqua singulos Exodi locos digito demonstrans, quam postea Arabes etiam suam fecere. Sed haec traditio factitia videtur fuisse, non genuina. Ea legem latam esse affirmat in Dschebel Musa. Neque tamen desunt vestigia (cf. *Ebers* p. 413 sqq.) antiquioris etiam apud monachos traditionis legem latam esse statuentis in monte Serbal. Cum igitur veri nominis traditio non exstet, scriptura non satis accurate montis situm describat, monumenta reperta sint nulla, quaestionem interim dirimi non posse patet.

Affertur inter alias pro monte Serbal ratio una satis speciosa, sed, quod tota sit intrinseca, in disputatione de re historica insufficiens. Mons Serbal prostat solus, a reliquis circum montibus separatus. Inaccessus regis instar super illos attollit caput. Facile finges in eius formae monte Deum inter tonitrua et fulgura se manifestantem. E contra Dschebel Musa non item a reliquis circum montibus secernitur, non super illos eminet.

v. 1 « *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai* ». Num. 33,15. Auctor sacer evidenter, uti 16,1 et Num. 10,10 tempus determinare vult per mensem et diem. Ergo ביום הזה nequit sumi indeterminate « illo tempore » (*Kn.*), ut solus mensis, non dies efferatur; neque « ipso die, quo profecti sunt de Raphidim » (*Vat.*), cum de ea profectione nulla fuerit mentio, et indicandus sit dies mensis absolute, non vero solum relative ad profectionem de Raphidim. Neque בחדש השלישי hic significat « novilunium tertium » (*Drus.*); licet enim חדש etiam novilunium signi-

ficet, at in his formulis chronologicis (cf. 16,1; Num. 10,10 etc.) designat mensem tantummodo. Neque ביום הזה verti potest « die prima » (*Targ.*), neque « die tertia » (*Aug.*), neque « ipsa die, qua completus est mensis tertius » (*Mar.*), sed cum *Dillm.* dicendum numerum diei, qui pridem in textu fuerit, excidisse. v. 2 « *Nam profecti de Raphidim et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt* [*in eodem loco*] *ibique Israel fixit tentoria e regione montis* », ubi Deus e rubo locutus fuerat Moysi (*Cai.*). Ita etiam impleri incipit signum Moysi 3, 12 a Deo datum. v. 3 « *Moyses autem ascendit ad Deum* », *LXX ad montem Dei*, quae lectio, si genuina supponatur, rationem pandit adhibitae vocis אלהים. Porro, apparuisse Deum forma aliqua sensibili et locutum esse voce sensibili (*vocavit;* cf. 3,4), recte infert *Bonfr.* ex aliarum apparitionum analogia. « *Vocavitque eum Dominus de monte, et ait : Haec dices domui Iacob, et annuntiabis filiis Israel* ». Parallelismus gravitatem addit orationi. v. 4 « *Vos* [*ipsi*] *vidistis, quae fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos* » — explicationis gratia *LXX Chald.* inserunt *quasi* — « *super alas aquilarum, et assumpserim mihi* »; verte : *et adduxerim ad me*, sc. ad hunc locum a me selectum. « Prius mala illata Aegyptiis, deinde bona collata Israelitis commemoranda mandat » (*Cai.*); et haec quidem ita, ut primum protectio et portenta in itinere concessa, dein itineris terminus efferatur. « Non tam euntes, quam vecti a Deo iter egerunt » (*Cai.*). Quibus factis illustrabatur Dei omnipotentia et in populum hebraeum pietas; quarum memoria inducendus is erat, ut cui iam aliunde adstrictus erat, foedus religiosius etiam servaret.

Illud de *pinnis aquilarum* (אברה : non pennae, humeri vel similia, sed pinnae i. e. alarum pennae robustiores, quibus potissimum inest ad volandum robur) fusius explicatur Deut. 32,11 : Sicut aquila excitans nidum suum, super pullos suos suspensa extendit alas suas, prehendit eum et attollit eum super pinnas suas. Quibus plures putavere exprimi fabulam de aquila pullos alis vel humeris imponente atque ita per aera deferente. Cf. *Bochart.* Hieroz. P. II Lib. II cap. 3 pag. 176. Cum non sit auctoris inspirati eiusmodi de rebus naturalibus errores corrigere, neque repugnare videtur eum h. l. ad eam fabulam alludere. Tamen *Chald. Syr.* Deut. 32,11 על interpretantur sensu instrumenti : in fortitudine pinnarum suarum; quem sensum aliquando ea praepositio induere videtur; cf. Ps. 14 (15), 3 : « qui non calumniatus est in (על) lingua sua ». Reapse effectus instrumento veluti imponitur, innititur.

v. 5 « *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum* », hoc quippe pactum proclamatura est vox in Sinai, « *eritis mihi in peculium de cunctis populis* ». סגלה est *peculium*, i. e. possessio peculiaris, maxime propria, privata; hinc sane etiam pretiosior (*LXX* περιούσιος, *Symm.* ἐξαίρετον). « *Mea est enim omnis terra* »; et ideo, sug-

gerit *Cai.*, mihi licet, quem libuerit, eligere. Verius Israelis in mediis populis dignitas iis verbis describitur : non solus Israel, cum reliquis gentibus nihil habens commune, ad Deum pertinet; sed populorum frater veluti primogenitus principem inter illos locum obtinet. Ratio redditur, cur in populorum familia et Israeli primatus, et reliquis secundus locus tribuatur. v. 6 « *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta* ». *Hebr. Aq. regnum sacerdotum,* quod bene cum *LXX* vertit *S. Petrus* (1 Petr. 2,9) *regale sacerdotium*, βασίλειον ἱεράτευμα. *Syr. regnum et sacerdotes. Symm. Theod. regnum sacerdotes* (?). Infelicius *Chald. reges et sacerdotes,* quasi singuli futuri sint et reges et sacerdotes. *Regnum* ממלכה edicit *regiam dignitatem;* ergo « la royauté », non vero « le royaume » ; « das Königtum », non vero « das Königreich ». *Regnum sacerdotum* primum edicit adesse verum *regnum,* rem publicam cui unus imperet iure proprio, non delegato, i. e. rex. Secundo edicit, hoc regnum esse *penes sacerdotes,* aut ut rex semper sumatur ex ordine iam exsistente sacerdotum, aut ut eiusmodi ordine, si qui ante exstitisset, sublato iam idem semper et rex sit et pontifex. Hic est expressionis sensus obvius, a quo recedendi nulla nobis est ratio. Memineris ipsum Melchisedech et regem fuisse et sacerdotem.

Ergo si Hebraei pacto fideliter stent, Iahve illis vicissim promittit, et brevi quidem efficiendum promittit, ut *reges habeant qui iidem sint sacerdotes.* Sicut Deus primum decreverat Hebraeos cito in terram promissam traducere, sed ob eorum peccata quadraginta annorum itinere eos per desertum circumduxit : ita volebat illico eorum rem publicam ad perfectionem perducere, concesso rege qui idem esset sacerdos; at ob eorum, et maxime antiqui ordinis sacerdotum peccata concessit primum solum sacerdotium aaronicum, necnisi post aliqua saecula regnum non sacerdotale attribuit. Erat etiam sic Israel *gens sancta,* i. e. a reliquis gentibus segregata. « *Haec sunt verba, quae loqueris ad filios Israel* ». Quibus verbis Israelis inter populos principatus describitur efficaciterque Israel allicitur, ut vocem Dei audiat pactumque custodiat.

v. 7 « *Venit Moyses et, convocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandaverat Dominus* ». Per senes loquitur ad *populum* (v. 8), uti alias etiam : cf. 12,21. 27 (*Cai.*). v. 8 « *Responditque omnis populus simul : Cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus* »; vocem audiemus et foedus custodiemus. « *Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum* », v. 9 « *ait ei Dominus : [Iam nunc] veniam ad te in caligine nubis* », — pro עב *Sam.* עבי, *caliginibus,* qui pluralis densitatem caliginis exprimere videtur; liberius sane *LXX*

στύλῳ. « Idcirco autem per eiusmodi nubem praesentia Dei designatur, ut intelligamus, nullam esse mentis aciem tam acutam et perspicacem, quae possit illum intueri » (*Sylv.*) — « *ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum* ». Suavitatem Domini commendat *Cai.*, novum hoc fidei praestandae argumentum populo concedentis, sapienter utique, cum ageretur de Moysis apud populum auctoritate *permanenter* stabilienda tamquam legislatoris (*Lap.*). « *Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum* ».

Ultima sententia h. l. videtur abundare, cum v. 8 nihil eiusmodi verborum nuntiandum reliquerit. Gratis adstruit *Lap.* Deum interrupisse Moysen, cum v. 8 iamiam esset verba populi relaturus, ideoque Moysen eadem verba post Dei v. 9 effatum tandem nuntiasse. *Tost.* affirmat, idem v. 8 et v. 9 factum bis enuntiari : quod verissimum est. Quomodo vero id acciderit, explicat *Hugo* suggerens sententiam v. 8 mendose repeti v. 9. Probabiliter duae exstabant ultimae v. 8 sententiae lectiones, solis verbis וישב et ויגד inter se distinctae. Altera e margine aliquando in textum irrepsit, et quidem in v. 9.

2. *Deus, ut se praeparent, indicit* Ex. 19,10-15.

Arg. — Indicitur triduum sanctificationis, quo homines matrimonii usu abstineant et abluantur, mons neque hominis neque iumenti pede contingatur.

v. 10 « *Qui dixit ei : Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua* ». Sanctificatio videtur constitisse eo, ut matrimonii usu abstinerent (v. 15) et utique corpora abluerent. Cuiusmodi sanctificationem iam adhibuerat Iacob Gen. 35,2 : « Mundamini et mutate vestimenta vestra » ; eaque suggerebat, multo magis expurgari oportere animas (*Theodoret.*). Loquitur hic Deus ad Moysen de illa sanctificatione externa quasi de re nota, non nunc primum introducenda ; quare suggerebat *Bonfr.*, fuisse eam consuetudinem iam ante Moysen apud Hebraeos receptam. Reapse plura, quae legis mosaicae sunt, iam ante usu vigebant et lege humana. v. 11 « *Et sint parati in diem tertium : in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai* ». v. 12 sq., uti praecedentia, respicit *triduum* ante divinam manifestationem : pendet quippe a verbis v. 10 « et dixit Iahve ad Moysen », quae monita pro illo triduo introducunt. Igitur pro illo triduo accessu totius montis interdicitur populus : sicut sanctificantur v. 10 ipsi, ita sanctificandus est v. 12 sq. etiam mons, in quem descendet Dominus et ascendet populus ad Dominum. Hinc : v. 12 « *Constituesque terminos populo per circuitum* », delimitabis, circumscribes, probabilius erectis perticis quibusdam,

caulis vel similibus. *Sam.* hic similiter atque v. 23 legit : *delimitabis montem in circuitu et ad populum loqueris.* Sive populus delimitetur respectu montis, sive mons respectu populi, vox סבב non est ita premenda, quasi totus mons fuerit caulis cingendus, neque quod Dschebel Musa ita cingi nequeat, sequitur (*Robinson :* Biblia sacra IV. 381 ff., May 1849) eundem non esse Sinai biblicum. Sufficit, ut delimitatio facta sit eatenus, quatenus populus obiectum montem habebat. « *Et dices ad eos : Cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius* ». Radices montis v. 17 תחתית audiunt; aliunde קצה *finis* ad significationem *totus* descendit (cf. Gen. 47,2), quando quippe res ad suos usque fines habetur, habetur tota res. Apte igitur h. l. verti potest : *nec tangatis montem omnino*, LXX τι αὐτοῦ. « *Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur* ». v. 13 « *Manus non tanget eum* » ; non irruetis ultra terminos ad illum apprehendendum, qui tetigerit montem (*Tost.*), « *sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Sive iumentum fuerit sive homo, non vivet. Cum coeperit clangere buccina, tunc ascendant in montem* ». Eadem vox bis in eodem contextu adhibita eundem utrobique sensum habeat oportet : ergo, sicut v. 12 populus prohibebatur ipsum montem *ascendere*, ita v. 13 affirmatur ipsum montem esse aliquando *ascensurus*, non solum « versus » montem (*Sylv.*). Sane, si populo non sola tonitrua audienda erant, sed vox Dei in cacumine montis (v. 20) cum Moyse loquentis (v. 9), non satis erat populum ad radices montis subsistere, sed oportebat eum ascendere.

משך significat *trahere*, etiam *protrahere*, nunquam *cessare*. Ergo falso *LXX : quando voces, tubae et nebula recesserint a monte*, i. e. quando tota divina manifestatio finita erit. Verbum, quando de tuba vel cornu praedicatur, semper sensum induit *clangere :* cf. Ios. 6,4. 8.9. 13.16.20. Habetur Ios. 6,5 expressio משך בקרן היובל, clangere cornu יבל; unde confirmatur, יבל esse nomen animalis, secundum Rabbinos arietis, secundum Corpus Inscr. Semit. (P. I tom. I p. 224 sqq., Paris. 1881) arietis aut hirci. משך היובל non est necessario idem, atque v. 16. 19 קל שפר; quomodovis igitur hanc postea expressionem interpreteris, clangorem cornus v. 13 poteris interpretari de signo Moysis iussu a tibicinibus hebraeis dando, utique quo tempore per tonitrua etc. Deus suam praesentiam esset annuntiaturus; eo tempore, signo cornibus dato, Hebraeis fas erit terminos transgredi Deoque appropinquare. Sed cf. dicenda ad v. 21 sqq.

v. 14 « *Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua* », v. 15 « *ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris* » ; concubitu quippe immunditia contrahebatur (Lev. 15,18). Uti patet, Moyses terminos etiam (v. 12. 23) constituit.

II. THEOPHANIA DESCRIBITUR Ex. 19,16-20,21.

1. *Theophaniae initium* Ex. 19,16-25.

Arg. — Dei praesentia manifestatur tonitru, clangore et fumo. Iubet Deus, ne vulgus in nubem penetret, sacerdotes vero ut, antequam id faciant, specialius sanctificentur. Tamen neque vulgus neque sacerdotes ultra terminos progrediuntur; sed Moyses ad Iahven defert excusationem aliquam, quasi is v. 12 sq. non pro solo triduo praevio, sed pro ipsa item theophania prohibuisset, ne quis terminos transgrederetur. Quam excusationem Iahve nihil contra dicens admittit, tam vulgus quam sacerdotes intra terminos se continere iubet, solos Moysen et Aaron terminos transgredi, solum Moysen (cf. 24,2) nubem intrare.

v. 16 « *Iamque advenerat tertius dies et mane inclaruerat* », Hebraeis somno adhuc oppressis (*Tost.*), « *et* [*ecce coeperunt audiri*] *tonitrua, ac* [*micare*] *fulgura, et nubes densissima* [*operire*] *montem, clangorque buccinae vehementius* [*perstrepebat*] »; « non quod ibi esset aliqua buccina talis, qualem nos habemus, sed sonabat ibi vox talis, qualis in buccinis nostris formatur » (*Tost.*). Qui sonus videtur omnino fuisse portentosus, neque cum *Ebers* p. 431 sqq. ex solo tempestatis rugitu repeti potest. « *Et timuit populus, qui erat in castris* ». v. 17 « *Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis* », intra terminos, quod patet ex v. 23; « steterunt procul » 20,18. 21; 24,11. v. 18 « *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne* » (cf. Deut. 4,11; 33,2), « *et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace; eratque omnis mons terribilis* ». Cum expressio similis sit eius, quae extremo v. 16 habetur, *LXX* etiam hic העם substituunt pro ההר, sed vertendum est : *et contremuit totus mons valde*. v. 19 « *Et sonitus buccinae paulatim crescebat in maius,* [*et prolixius tendebatur*]. *Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei* » — בקול addunt textus reliqui omnes. Quae vox etiam verti potest : in tonitru. Tamen versiones significationem *vocis* praetulere; intelligitque *Ps. Ion.* « vocem iucundam », alii « vocem sensibilem », qua excludi *Cai.* censet phantasmata et visiones, dum *Bonfr., Men., Calm.* vocem interpretantur, quae a populo audiri posset; cf. v. 9. Praeplacet sistere in nuda nominis significatione : *voce* seu, ut contextus docet, *voce humana*. Duo in hac theophania populi movebant admirationem : portenta, quae numinis maiestatem exprimebant, et affabilitas, qua Moysen alloquentem patiebatur Deus eique voce humana respondebat. Quare etiam scribitur non nomen Dei proprium *Iahve,* sed nomen naturae *Deus :* illud profecto erat mirabile,

ut *numen* conversaretur cum *homine,* quo plurimum confirmabatur Moysis apud populum auctoritas.

Post descripta v. 16-19 portenta et antequam 19,21-20,17 Dei Moysisque sermones referantur, v. 20 more Hebraeorum aliqua ad priora spectantia supplentur, locus sc. habiti colloquii demonstratur (*Hugo*). v. 20 « *Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen eius. Quo cum ascendisset* », v. 21 « *dixit ad eum : Descende et contestare populum, ne forte velit transcendere* [*terminos*] *ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo* ». Obscurum reddidit textum *Vulg.* inserens vocem *terminos :* at aliam v. 21 (itemque v. 24, sed alio nexu) habebat vocem יהרסו, loco v. 12. 23 גבל. Illa significat *perrumpere*, non necessario terminos, sed nubem *ad videndum Iahve*. Ergo, si textus inde a v. 12 supponatur omnino genuinus, res concipienda erit ita. Termini v. 12. 23 constituebantur pro triduo ante divinam manifestationem, qua incipiente v. 13 decreverat Deus, ut populus terminos transgressus montem conscenderet. Neque vero indiscriminatim omnes ad secretiorem Dei praesentiam erant admittendi, sed de periculo v. 21 admonentur, si audeant *perrumpere ad Iahve ad videndum eum*, seu nubem ingredi. v. 22 « *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos* ». Intelligi nequeunt per anticipationem (*Aug.; M.* 34. 685) sacerdotes aaronici. Sed cum interpretibus plerisque catholicis agnoscendum est h. l. sacerdotium ad religionem primitivam pertinens. Speciale privilegium post specialem purificationem sacerdotibus conferebatur *accedendi ad Iahve,* propius sane quam vulgus, ergo *intrandae nubis* et videndi Iahve (cf. 24,10).

Iam ad eam narrationis partem pervenimus, de qua dicebamus p. 3 voluisse Moysen facta quaedam innuere, non enarrare. Caute ac veluti tentando procedemus. Promiserat populo Iahve v. 6 insigne beneficium *regnum sacerdotale*, cuius tamen promissionis duplex poterat esse sensus, ut ei quod ante iam exstiterat sacerdotio regia etiam dignitas conferretur, vel ut hoc sacerdotio abrogato novum sacerdotium, quod simul esset regnum, institueretur. Illud antiqui ordinis sacerdotibus perquam honorificum, hoc vix non exitiale. Non fidebant illi Moysi, non fidebant Iahve, ideo a promissis v. 8 resilire cupiebant.

Attende etiam montis fumantis, trementis, tonitrua edentis terrores. Per medios terrores invitabantur illi sacerdotes *nubem intrare*. Manebat eos certa mors, si propius ad Iahven in nube accederent (v. 21 sq.); annon ingressus quilibet periculi plenus erat? Quid, si non ipsis sed Moysi, inviso prophetae, obtingeret regnum illud sacerdotale? Quid, si semel ingressis nullus concederetur egressus, tollendis e medio, con-

sumendis, imo honesta sepultura carituris? Non ita mirandum, eos circumspexisse viam a promissis v. 8 resiliendis. Timebat item populus vel terminos transire : cf. portentorum descriptionem v. 16. 18. 19, interitus comminationem v. 21.

Et nunc excusationem ad Deum defert Moyses v. 23 : « *Dixitque Moyses ad Dominum : Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai, tu enim testificatus es et iussisti dicens : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum* ». Excusationis sensus non est hic, prohibitione divina v. 12 sq. cohiberi populum, quominus elapso triduo montem conscendat. Etenim ea prohibitio ferebatur pro eo triduo tantum, pro tempore vero post elapsum triduum diserte sanxerat Deus : « tunc ascendant ». Sed illa prohibitione manifestabatur montis *sanctitas :* cuius intuitu sanctitatis vulgus nunc per Moysen suam profitetur *indignitatem :* « non potest vulgus ascendere ». Eorum sensus interpretatur, eorum excusationem ad Iahven defert Moyses. Sed, nonne ficta erat excusatio, fucatus indignitatis sensus? Nonne sufficienter digni erant ii, qui ritu v. 10 ab ipso Iahve praescripto se sanctificaverant? Praetextu reverentiae et indignitatis celant timorem, pusillanimitatem, diffidentiam.

Excusationem inanem acceptat Iahve v. 24 : « *Cui ait Dominus : Vade, descende* », ut meum illos placitum edoceas, « *ascendesque tu et Aaron tecum ; sacerdotes autem et populus ne transeant* [*terminos*], *nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos* ». *Hebr. : non perrumpant ad ascendendum ad Iahve*. Est quidem יהרכו eadem vox, quae v. 21 de perrumpenda *nube* adhibebatur; sed hic copulatur voci לעלת, quae in hoc contextu semper ascensum *montis* ultra terminos exprimit. Ergo vere h. l. *Vulg.* vocem *terminos* supplevit. Porro verbis v. 24 primum veteris ordinis *sacerdotibus* antefertur *Aaron*. Cuius adhuc v. 22 ignorabat nomen, solis sacerdotibus specialem praescribens sanctificationem, quippe qui propius ad Iahven essent accessuri. Sed v. 24 solus cum Moyse Aaron iubetur ascendere, sacerdotes illi in laicorum veluti ordinem relegantur. 24,5 sacerdotes iidem a sacrificio excluduntur, solis « iuvenibus » quibusdam Moysen adiuvantibus; 24,9 ad Iahven aliquo modo videndum cum Moyse et Aaron ascendunt Nadab et Abiu et septuaginta seniores, non vero sacerdotes; Deut. 5,23 non hi, sed « principes tribuum et seniores » populum Moysi et Deo reconciliant. Latent his locis sub litera quaedam, quae narrator sacer maluit indicare quam enuntiare, quaeque interpreti sunt indaganda. Nonne, qui cum vulgo confunduntur sacerdotes, a Iahve sine dubio reprobantur? Quid deliquerant isti sacerdotes, quo a Iahve reprobarentur? Inde a cap. 19 e sacra narratione eliminantur ipsi, sacerdotio in alios translato; an

fortasse in eventu cap. 19 narrato aliquod ipsi patravere scelus? Sacerdotes utique decebat plebi in eo eventu exemplo anteire, agmen per media tonitrua in montem deducere : id illi non praestitere, imo fortasse populum ne procederet cohibuere.

Inobedientiae poenam Iahve *tum* non exegit, sed reservavit : non enim publicam inobedientiam et diffidentiam consuevit ipse impunitam dimittere. v. 25 « *Descenditque Moyses ad populum et* [*omnia*] *narravit eis* ». Populus quoque diffidentiae poenam tulit eo, quod *regno* ad longum tempus sit privatus, neque tum nactus sit *regnum sacerdotale*. Iniquiore etiam in foedere mosaico loco semper fuit populus eo, qui sibi 19,6 offerebatur. Non est permissus 24,2. 9 ultra terminos ascendere, neque post magnam illam theophaniam Iahve vocem ipse audire, prohibitus perpetuo ingressu non sancti sanctorum tantum, sed vel ipsius sancti.

2. *Decalogus promulgatur* Ex. 20,1-17.

Mandatorum duo sunt *positiva* et *formae absolutae* (cf. p. 22), illud sc. de sabbati religione et alterum de parentum obsequio. Observationem sabbati nonnisi per Moysen Deus praecepto iniunxit (cf. nostrum Comment. in Gen. p. 79); non traditur h. l. nudum praeceptum, sed praecepti tota fuse ratio adscribitur. Parentum obsequium ipsa utique natura veteres homines edocuerat, sed adiecta h. l. specialis Iahve promissio sine dubio nova est. Reliqua mandata sunt *formae negativae*, et quinque postrema quidem sunt brevissima (v. 13-17; sola partium enumeratione nonnihil producitur v. 17), sunt iuris naturae tota quanta, et fere *debuere* hac simplicissima forma iam ante Moysen circumferri. Brevissimum item est primum v. 3 mandatum Moyseque antiquius (cf. Gen. 35,2.4), sed nunc prima persona a Iahve enuntiatur : « Non habebis deos alienos praeter me ». Restant mandata alia duo negativa v. 4-7, eaque sane nova : mandatum de cultu amorpho, quem lege humana ante Moysen praeceptum fuisse nullo argumento evincitur, et alterum de sanctitate nominis Iahve. Haec duo mandata descripta sunt stilo multo eloquentiore quam v. 3.13-17 : habet sc. v. 7 additam comminationem; prohibitio autem v. 4 sq. tribus membris negativis enuntiatur, et v. 5 sq. adnexam habet poenam neglecturis et praemium observaturis.

Eadem mandata verbotenus fere repetit Moyses Deut. 5,6-21. Fere, inquam, sunt enim pauca aliqua diversa. An vero haec omnia ab ipso Moyse sint profecta, quis definiat? Vide copulas Deut. 5,9. 18. 19. 20. 21, quas non semper « rhetorice inseri » (*Dillm.*) in textum, sed in apographis nasci tiro quisque interpres novit; v. 12 שמור

pro זכור; v. 14 insertum שורך וחמורך וכל (sed cf. *LXX* ad Ex. 20,10), v. 21 שדהו; v. 20 שוא pro שקר; v. 21 concupiscentia uxoris anteposita domus aliorumque concupiscentiae. Eiusmodi in apographa irrepsisse haud raro deprehenduntur. ויטב v. 16 non sapit stilum recentiorem, cum verbum noverit Iob 10,3 et 13,9, nec antiquorum quisquam ignorare potuerit; neque תתאוה v. 21 (*idem* bis verbum scribentibus *Sam. LXX Vulg. Syr.*), cum verbum אוה habeat Num. 11,4 et nomen תאוה Num. 11,4. 34 sq.; Iob 33,20 et imprimis Gen. 3,6 et 49,26. Ceterum an Moyses Deut. 5 loquens tenebatur verbotenus Ex. 20 repetere, aut auctor Deut. 5 copulas et voces Exodo conformare? aliqua certe de consilio Moyses Deut. 5 mutavit, ut cum v. 12. 15. 16 explicite mandata prius edita appellabat, cum v. 14 requiem sabbatinam servis etiam atque ancillis concedendam esse inculcabat, cum v. 15 omissa ad Gen. 2,3 (Ex. 20,11) allusione, mandato Dei alteram adscripsit servandi sabbati rationem, liberationem ex Aegypto. Quodsi addas adiectum v. 16 ולמען ייטב לך, habes omnia, quibus Deut. 5 ab Ex. 20 dissonat. Ceterum, qui diversos adstruunt auctores recentiores, vix non omnes concedunt textum Ex. 20 antiquiorem esse textu Deut. 5.

Mandata *decem* esse numero affirmat Ex. 34,28; Deut. 4,13 (cf. 5,19); 10,4 : at varie a variis computantur. *Ps. Ion.* ita computat : 1) v. 2 « Ego sum Dominus Deus tuus etc. » ; 2) v. 3-6 de uno Deo adorando et sculptilibus repudiandis; 3) v. 7 de nomine Dei honorando: 4) v. 8-11 de sabbato servando; 5) v. 12 de parentibus honorandis; 6) v. 13 de homicidio; 7) v. 14 de adulterio; 8) v. 15 de furto; 9) v. 16 de falso testimonio; 10) v. 17 de iniusta concupiscentia. Sequuntur *Hebraei recentiores*, *Syncellus* (Chronographia I. 246 sq., ed. Dindorf. Bonnae 1829), *Cedrenus* (Hist. Compend. I. 132 sq.; *M.* 121. 164 sq.); eundem computum *Cyrill. Alex.* (c. Iulian. V; *M.* 76. 733) in ore Iuliani ponit; et *Hier.* (in Os. 10,10; 25. 908), rem obiter attingens, v. 2 facit mandatum a v. 3 sqq. diversum. Sed v. 2 non est neque mandatum neque prohibitio, sed exordium legislatoris auctoritatem exprimens.

Aug. (*M.* 34. 621; cf. Epist. 55 cap. 11, *M.* 33. 313), non traditionis sed « congruentiae » cuiusdam argumento nisus, quod *tria* de officiis in Deum mandata viderentur « Trinitatem insinuare diligentius intuentibus » , tria statuit Deum respicere mandata, sc. v. 3-6 de uno Deo repudiatis idolis colendo, v. 7 de nomine Dei honorando, v. 8-11 de sabbato observando. Ut autem septem in proximum officia demonstret et denarium numerum compleat, v. 17 in duo mandata discernit, quorum prius uxorem alienam, alterum domum, servum etc. concupisci vetet. Ubi advertas, Aug. sequi Ex. 20,17 textum *LXX*, qui, uti Deut. 5,21 uxorem praeponit domui. Quae lectio *LXX* critice defendi nequit. Praeterea, quod habetur v. 17 de concupiscentia, videtur respicere rem unam ideoque esse mandatum unum; et facilius concedetur aut Ex. 20,17 aut Deut. 5,21 intra unum mandatum mutari ordinem vocum, quam ipsum mandatorum ordinem inverti, imo mandata confundi. Cum Aug. sentiunt *Ps. Hier.* (Breviar. ad. Ps. 32,2; *M.* 26. 915) et *Latini* Augustino recentiores; item *Lutherani*.

Philo (Quis rer. div. haer. § 35; De decal. § 12) et *Ios.* mandata distinguunt : 1) v. 3 de uno Deo colendo; 2) v. 4-6 de sculptilibus repudiandis; 3) v. 7 de nomine Dei honorando; 4) v. 8-11 de sabbato observando; 5) v. 12 de parentibus honorandis; 6-9) v. 13-16 de caede, adulterio, furto, falso testimonio vitandis; 10) v. 17 de iniusta concupiscentia vitanda. Consentiunt *Greg. Naz.* (Carmina I. 15; *M.* 37. 475 sqq.), *Sulp. Severus* (Hist. S. I. 17; *M.* 20. 105), *Ps. Ambr.* (in Eph. 6,2; *M.* 17. 399), *Athanas.* (Synopsis S. Scr.; *M.* 28. 297), *Cassianus* (Collat. 8. 23; *M.* 49. 764), *Zonaras* (Annal. I. 16; *M.* 134. 93). His annumerandi sunt *Or.* (Hom. 8 in

Ex.; *M.* 12. 350 sqq.), *Hier.* (ad Eph. 6,2; *M.* 26. 537 sq.), *Ps. Chrys.* (Hom. 33 in Matth.; *M.* 56. 877), qui sola priora duo mandata describunt; item *Theophil. Antioch.* (ad Autol. II. 50; *M.* 6. 1108), *Clem. Alex.* (Strom. VI. p. 687), *Tert.* (Adv. Marcion. II. 17; Adv. Iudaeos 2; *M.* 2. 305. 599), unicum de concupiscentia statuentes mandatum. Accedunt *Graeci, Calvinistae, Anglicani.*

Paraschas et accentus textus hebraei vix certi quidquam ad solutionem huius quaestionis conferre, vide apud *Dillm.*

Mandata certo sese *ordine* excipere, evidens est : priora Deum respiciunt seu dilectionem Dei, posteriora homines seu dilectionem proximi. Et *Philo* quidem duas discernit pentadas et, quo mandata Deum spectantia demonstret quinque, in parentibus ait honorari auctoritatem Dei summi parentis. Quod, licet vere et pulchre sit dictum, violentius tamen mandatorum divisioni adhibetur. Illud negari nequit, inter mandata homines spectantia mandatum de parentibus colendis principem veluti locum obtinere. Unde *Proc. :* « Deus, qui omnia producit et creat, post leges, quae ad ipsum pertinent, merito secundas tribuit parentibus, qui post Deum secunda, ut simus, causa sunt. Post Deum et venerandos parentes tertium locum habent reliqui mortales, quibus quoque debetur benevolentia et amor ». Praestat vero cum *Ps. Ambr.* affirmare, quatuor priora mandata respicere Deum, sex posteriora homines. Priora proscribunt polytheismum, superstitionem, irreverentiam, et cultum sabbati commendant. Posteriora, parentum honore inculcato, proximi iniuriam vetant aut actu (caede, adulterio, furto) aut verbis inferendam, aut etiam solo desiderio appetendam.

Disquisitio de mandatorum ordine connectitur cum altera de iisdem inscriptis duabus *tabulis* lapideis. Ubi *Philo* singulis tabulis unam tribuit pentaden, dum *Ps. Ambr.* uni tabulae quatuor, alteri sex mandata assignat. Quaestio facti meris coniecturis definiri nequit. Ne illud quidem in comperto est, fuerintne mandata tabulis insculpta totidem verbis, quot primitus Exodus a Deo pronuntiata referebat. Poterant mandata omnia summario in illas tabulas referri, ad instar v. 13-16 (cf. *Bonfr.* ad 25,16). Tabulae quippe illae, quas unus Moyses de monte detulit, non videntur tantae molis fuisse, neque singulae literae tam minutae, textus vero Ex. 20 est sat prolixus. Etiam haec quaestio prudentius in medio relinquitur.

Cap. XX v. 1 « *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos* » v. 2-17; ergo omnia decem praecepta ab eadem divina auctoritate fluxere (*Cai.*). Non dicitur hac vice Deus locutus esse *ad Moysen*, quia reapse eius haec verba ab universo populo exaudiebantur (cf. v. 19). v. 2 « *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis* ». Cf. 13,3. Haec formula, quandoque in « Ego Iahve » contracta, frequenter in Pentateucho divinis effatis et mandatis praemittitur aut ad calcem appenditur : Lev. 18,2. 4.30; 19,3. 4. 10.25.31. 34.36; 23,22; 25,38; Ex. 29,46; Num. 15,41 etc. (*Dillm.*). Quare non licet vertere « Ego Iahve sum Deus tuus » (*Kn.*), vel « ero Deus tuus » (*Cai.*). Ille est *Deus Israelis*, qui fuit Deus patrum eorum inde a condito mundo : loquitur ergo plena divina auctoritate. At idem nomine *Iahve* se appellans *pacti* Israelitas commonefacit (*Cai.*), quo illi ad obsequendum sibi adiguntur « praeter alios titulos, qui

sunt communes cum omnibus gentibus » (*Sylv.*). Ulterior porro titulus est, quod ipse suas in pacto partes iam actu expleverit *educens* eos de Aegypto.

v. 3 « *Non habebis deos alienos coram me* », vel *deum alium* (*Chald.*), utroque enim modo expressio verti potest, et certe non plures tantum dii adiectitii excluduntur, sed vel unus. על פני non *ante me*, ut ego veluti in secundum locum releger (*Ewald* § 217,1), non enim solum praeferri Domino alius deus prohibetur, sed vel aequiparari; sed *extra me* et hinc *praeter me* (*LXX Chald. Syr.*). Prohibetur igitur hoc mandato polylatria, et exigitur monolatria : sed ex hac facili illatione sequitur monotheismus. Si enim plures essent dii, non posset illos debita agnitione privare Deus infinite iustus. יהיה לך proxime exprimit agnitionem mentis, simul tamen etiam cultum, quem ea agnitio suapte natura exigit. Constructio supponit, Hebraeos agnoscere exsistentiam unius, non necessario unici Dei : sed unus Deus exsistens potest suam affirmare unicitatem et polytheismum proscribere.

v. 4 « *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem* », — פסל est imago sculpta e lapide vel ligno; statuae, quae dicebantur aureae vel argenteae, antiquitus ita confici assueverant, ut sculptile ligneum vel lapideum laminis aureis vel argenteis tegeretur; ergo etiam ipsae voce פסל includuntur. Sed quid *similitudo? Proc.* gratuito fingit, sculptile esse repraesentationem rei in natura exsistentis, v. g. bovis, similitudinem esse repraesentationem symbolicam vel chimaericam, v. g. hippocentauri. *Tost.* censet efferri imagines sculptas et pictas. Nota vocem *omnem;* ergo : non facies tibi similitudinem sculptam, neque alius generis similitudinem. Quo utique imprimis attinguntur similitudines pictae, et certe includuntur imagines symbolicae apud Aegyptios et Assyros tam frequentes — « *quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec* [*eorum*] *quae sunt in aquis sub terra* ». Loci commentarium praebet Deut. 4,15-19, ubi res in coelo desuper constitutae dicuntur sol, luna et omnia astra; res in terra deorsum homo, iumenta, reptilia et aves sub coelo volantes; res sub terra et in aquis sitae pisces.

Sed quid est *facere similitudinem, quae est in coelo etc.?* Sensus nativus vocis תמונה non est *similitudo* (ne textibus quidem Deut. 4,16. 23. 25; 5,8), sed *species* seu *forma*, quae species reperiri potest sive in imaginato sive in imagine. Praeterea *Hebr. Chald.* omittentes Deut. 5,8 copulam ante כל, nos monent etiam retenta copula aliter sententiam construi posse. Primum enuntiatur mandatum brevi formula : *Non facies tibi sculptile.* Dein idipsum explicatur : *Omnem formam, quae est in coelo etc., non adorabis ea neque coles* (*Ewald*). Sensus est per-

quam planus. Illico patet, quorsum Hebraei sculptilia facere prohiberentur, sc. ut ea adorarent et colerent. Et nota, haec verba hebraice non solam latriam, sed omnem cultum sonare. Perspicitur, quomodo potuerit Deus 25,18; 26,31 Cherubim et Num. 21,8 serpentem aeneum effingi iubere; quomodo licuerit Salomoni leones et boves 3 Reg. 7,25. 36 in templo effingere. Neque difficultatem facit, Hebraeos posteriores mandatum strictius esse interpretatos. Mandato autem prohibentur primum imagines deorum aliorum (v. 3), theraphim et similia; at etiam veri Dei imagines. Pro eo quippe nulla statuitur exceptio in lege ceteroqui omnino universali; Deut. 4,15 Moyses eandem legem connectit cum facto, Deum in monte Sinai nulla se specie Hebraeis videndum praebuisse; Deus ipse in sanctuario Cherubim quidem imagines, sed nullam sui imaginem admisit, quo se magis invisibilem et spiritualem ipsis Cherubim esse significaret.

v. 5 « *Non adorabis ea neque coles* » : — *Hebr : neque servies eis* — « *ego sum Dominus Deus tuus, fortis; zelotes* », — verum קַנָּא non est vertendum *fortis*, sed *Deus* (*LXX Syr.*), et *Deum zelotypum* se dicit Dominus (*Proc.*) quod, uti frequenter habent prophetae (cf. Is. 1,21; Ier. 2,2; Ez. 16,8; Os. 2,2 sq. et *Knabenbauer* in eos locos), foedus cum populo in Aegypto et Sinai confirmatum comparetur coniugio, adulterium vero in eo coniugio imprimis sit idololatria et superstitio. Melius vero cum *Cler.* iunges : nam ego Iahve Deus tuus (cf. v. 2) sum Deus zelotypus. Verba autem usque ad v. 7 non ad solum mandatum v. 4 sq. sed item ad illud v. 3 referri, quod mysticum illud connubium etiam magis immediate attingat, omnino demonstrat 34,14 : « Noli adorare deum alienum : Dominus zelotes nomen eius, Deus est aemulator ». Quanta vero sit Dei zelotypia ex inflictis in transgressores poenis colligitur, qui, « ut parentes a peccandi licentia retrahat, liberis ob parentum delicta gravissimas et acerbissimas praedicit impendere poenas » (*Proc.*) : « *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me,* » — Quod adiectum false *Chald.* interpretatur : *quando filii pergunt peccare post patres suos.* Filii ita pergentes peccare plectuntur propter sua propria peccata; in plurimis casibus idololatria impunita abiret. Non agitur in eo adiecto de filiis, sed de patribus, quod comparatus v. 6 manifestat — v. 6 « *et faciens misericordiam in millia* » seu, ut secundum Deut. 7,9 cum *Chald. Syr.* oportet interpretari : *in mille generationes,* « i. e. usque in perpetuum » (*Vat.*), « *his, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea* ». Notat *Cai.*, latius multo extendi divinam benignitatem, quam vindictam. Ceterum h. l. non sufficit cum *Theodoret.* monere, apud Deum acerbiores semper esse comminationes quam

poenas; aut cum *Chrys.* (Hom. 56, al. 55 in Io.; *M.* 59.307) verba ad solam eam generationem coarctare, quae Moyse duce egressa esset de Aegypto; aut cum *Hugone* ad eos solos filios limitare, qui post parentum peccatum nascantur. Sanctio traditur pro V. T. universalis, legi universali affixa, secundum quam alios textus explanare et circumscribere oporteat. Igitur Deut. 24,16 iudices humani prudenter vetantur occidere filios pro patribus, itemque patres pro filiis. Ez. 18,2 et Ier. 31,29 « Deus pollicetur futurum, ut proverbium illud contraria consuetudine abrogetur » (*Calm.*). Sanctio illa non erat dura : agitur enim de poenis naturalibus, v. g. morbis, caecitate etc. (cf. popularem opinionem Io. 9,2), quae mala simpliciter non sunt, sed patientia transformari possunt in summa lucra. Erat sanctio universalis, bene multas admittens exceptiones : neque enim omnes superstitiosorum filii eiusmodi malis affligebantur, neque omnes caeci etc. filii erant superstitiosorum. Crediderim sanctionem pronuntiatam esse in integram nationem, non in individua, ut, quamdiu natio in Dei cultu perseveraret, omnia prospere cederent, ea deficiente bella, lues etc. ingruerent. Quandoque insontes etiam cum sontibus has poenas tulisse, docet Tobiae exemplum. Quanto maioris momenti est cultus Dei pietate parentum, tanto convenientius perspicitur filiis piis v. 12 proponi praemium ipsorum vitam non excedens, religiosis et superstitiosis praemium et poenam futuras etiam generationes affectura.

v. 7 « *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* ». Non voce efferes, proferes : cf. 23,1; Ps. 14 (15), 3; 4 Reg. 9,25. נשׂא includit quidem significationem *falso* (cum v. 16 cf. Deut. 5,20), sed latius patet, significatque *superflue*, *in vanum* (cf. Ier. 2,30; 4,30; 6,29 etc.). Ergo non prohibetur solum falsum iuramentum (*Chald. Syr.*), non solum nomen Dei iocose prolatum (*Theodoret.*), quod crimen grave persaepe non est : sed quaevis mendax, superstitiosa, irreverens non cuiusvis (*Tost.*) divini nominis, sed nominis Iahve appellatio. Uti v. 16 famae proximi, ita v. 7 reverentiae nomini Iahve debitae prospicit. « *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra* ». « Quibus verbis per litoten minus dicitur et plus intelligitur; significatur enim, quod Deus talem reputabit valde sontem ac propterea gravissime puniet » (*Sylv.*), non tamen aeque graviter quam idololatrum et superstitiosum, habetur quippe multo solemnior v. 5 comminatio.

v. 8 « *Memento, ut diem sabbati sanctifices* ». Hoc praeceptum, ait *S. Thom.* $2^a\ 2^{ae}$ q. 122 a. 4 ad 1, « est partim morale, partim autem ceremoniale. Morale quidem est quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis. Inest enim homini

naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno et aliis huiusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub praecepto morali. Sed in quantum in hoc praecepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est praeceptum ceremoniale ». *Hebr. : Memento diei sabbati, ut sanctifices illum.* Deut. 5,12. « Custodi etc. ». Verbum *memento*, uti etiam, quod minime quid nomine sabbati intelligatur describatur, ostendit agi de re non plane ignota : cf. quae diximus ad Gen. 2,3. *Sanctificatur* id, quod ab omni usu profano exemptum soli divino usui et cultui consecratur. Hinc cum *Calm.* sentimus, huius legis summam fuisse in cultu Deo reddendo, unde appendicis instar consequatur requies sabbato servanda. Sed de cultu h. l. nihil habetur enucleatius, quod Deus eius rationem enucleatius proponere tum non habuerit in animo. Sane sapiens nullus sibi mente finxerit, diei sanctitatem solo somno et otio constaturam esse. Sed requies illa iam accuratius describitur. v. 9 : « *Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua* »; v. 10 « *septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas* ». Quam expressionem *Dillm.* pronuntiat esse « plane deuteronomicam »; sed, cum שער 32,26 sq. dicatur etiam de castris, et probabilius dicebatur item de tentoriis, et in Aegypto utique dicebatur de domibus, quas multi sine dubio Israelitae incolebant, reapse ea vox h. l. admirationem non facit. Non est, cur cum *LXX advenam* interpretemur solum *proselytam :* intra fines proprios Hebraei sane procurabant, ut sabbatum ab advenis etiam ethnicis observaretur, « quoniam dedecet publicum festum turpe reddi a peregrinis » (*Cai.*). Sequentia opera in scriptura sabbato explicite prohibentur : arare et segetem colligere (34,21), manna colligere (16,26 sqq.), coquere et pinsere (16,23), ignem accendere (35,3), ligna colligere (Num. 15,32 sqq.), onera portare (Ier. 17,21), calcare torcularia, onera imponere et circumagere (2 Esdr. 13,15), mercaturam agere (Am. 8,5; 2 Esdr. 13,15 sqq.). Plura utique alia erant prohibita; circa Christi tamen tempora Iudaei, atque imprimis Pharisaei, hac in re evaserant nimis severi. v. 11 « *Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo; ideirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum* ». Cf. 16,23; 31,15; 35,2 et Gen. 2,2. Ratio observandi sabbati Deut. 5,15 assignatur requies a Deo populo concessa in exodo

post servitutem aegyptiacam : posterior ratio priorem minime excludit, neque diversum prodit scriptorem. Ex. 23,12 et Deut. 5,14 specialius insistitur requiei post hebdomadae laborem operariis concessae : etiam haec est vera ratio, licet subordinata.

Exponebamus in Comment. in Genesin p. 49 sqq. varia cosmogoniae mosaicae explicandae systemata. Nullam in textu Ex. 20,11 cum suo systemate conciliando difficultatem experiuntur *Diluvianistae* : verum iidem, strata omnia geologica paucis saeculis formata esse defendentes, argumentis geologicis conficiuntur. *Periodistae*, plenam cum geologis concordiam praetendentes, nunquam tamen neque demonstravere neque demonstrare potuere tempus, quo formata sint strata omnia, suapte natura in *sex periodos* distingui diebus hexaemeri correspondentes; sed missis primae, secundae et quartae diei operibus, de solis tertiae, quintae et sextae diei operibus disseruere. Reliquis erat explicandum, quomodo cum suis quique systematibus conciliarent verba : sex diebus creavit Deus coelum et terram, et die septimo requievit : idcirco etc. Igitur secundum *Allegoristas*, quorum antesignanus S. Aug., per *allegoricam* locutionem Deus se exhibuit sex diebus mundum creantem etc., et idcirco etc. Secundum *Idealistas*, volens Deus consecrare sabbatum, sex diebus se operatum esse *affirmavit* etc., et idcirco etc. Secundum *Poetistas*, sacer quidam poeta *finxit* Deum sex diebus laborantem, et idcirco etc. Secundum *Revelationistas*, volens Deus consecrare sabbatum, creationis opus exhibuit *visione* tamquam sex dierum laborem, sex diebus reapse conspectus est laborare, atque deinceps legem tulit, quod ipse sex diebus laborasset et septimo die requievisset, idcirco septimum quemque diem habendum esse sacrum. Ex his perspicitur, Revelationistas ceteris solidius quaestionem dirimere. Etenim, dum reliqui sola allegoria aut affirmatione aut poetica licentia nituntur, Revelationistae verum praesto habent *factum*, opus sc., quod protoparens in visione Deum perficientem conspexit; illud factum cum divina intentione consecrandi sabbati, sufficiens Deo fuit ratio, ut intuitu eius facti sabbati religionem iniungeret, simulque posterioris aevi interpretibus quaestionem dirimendam reservaret, quid cosmogoniae in rerum natura factum, quid tantummodo in visione fieri conspectum sit.

v. 12 « *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* ». Recte *Tost.* : « Ista promissio est specialis ad Iudaeos, quia non potest hoc referri ad alias gentes ». S. Paulus autem Eph. 6,2 vocat hoc « mandatum primum in promissione », i. e. quod adscriptam habeat promissionem directam et explicitam, nam aliquid promissionis iam habet v. 6. LXX h. l. uti Deut. 5,16 addit *et bene sit tibi* : quod additamentum subtilius *Dillm.* repetit ex aevo aliquo posteriore, ubi iam homines experientia didicerint, longam adversis rebus vitam neutiquam esse appetendam; hoc vel Moysis aequales norant. Alterum membrum prius explicat, et saepe in Deut. ambo simul leguntur (cf. 4,40; 5,29. 33; 22,7); unde etiam perspicitur, quam facile alterum membrum irrepere potuerit in textum, qui prius membrum haberet solum. Perperam item *Dillm.* suggerit, textum non solum edicere singulos pios

filios fore longaevos, sed totam gentem, si pietas apud eam floreret, diutissime possessuram esse terram sanctam : hoc utique Deut. 11,9 promittitur pie Deum colentibus, at non h. l. genti amoris filialis studiosae. Pulchra autem longaevitatis promissio : « decet quippe, ut grati benefactoribus fruantur beneficio longo tempore » (*Cai.*); et *Ians.* : « vita est velut feudum a parentibus datum, quod propter infidelitatem revocari solet ». Praeceptum forma promissoria expressum fortasse Moyse erat antiquius; cf. *F. Chabas* in Transactions Soc. Bibl. Archeol. I. 177, afferentem hoc veterum Aegyptiorum ex Papyro Prisse pl. XVI effatum : « filius, qui recipit verbum patris, propter hoc erit longaevus ».

Textus, quibus hoc mandatum repetitur, inculcatur, applicatur, non est huius loci discutere : 21,17; Lev. 19,3; 20,9; Deut. 5,16; 27,16; Eccli. 3; 7,29 sq.; 23,18 sq.; Prov. 1,8 sq.; 6,20; 10,1; 13,1; 15,20; 19,26; 28,24; 30,17; Ez. 22,7; Matth. 15,4 sq.; 19,19; Marc. 10,19; Luc. 18,20; Eph. 6,1-4; Col. 3,20. Nihil de parentum officiis habet textus, neque omnia hominis officia « decem verbis » complecti potuit divinus legislator. Sed filii pii maturescent in pios parentes, utiles cives; et totus ordo socialis ex hac una veluti lege efflorescit.

v. 13 « *Non occides* », subintellige hominem, et quidem iniuste. v. 14 « *Non moechaberis* ». נאף peccatum viri exprimit cum uxore aliena (Lev. 20,10; Prov. 6,32; Ier. 29,23), sed etiam sponsae cum alio viro (Os. 4,13), et imprimis defectionem Israelis a Domino, cui nupta est (Ier. 3,8 sq.; 5,7; 9,1; 23,14; Ez. 23,37). Intelligitur ergo *adulterium* stricte dictum. Vi literae certe non proscribitur bestialitas et mollities (*Tost.*), cum mandata v. 13-17 amorem proximi respiciant : sed peccata luxuriae omnia tandem obsunt coniugii sanctitati, atque ideo legitima conclusione censentur hoc mandato proscribi. v. 15 « *Non furtum facies* ». *LXX*, et aliqui post illos, versus ita transponunt : v. 14. 15. 13. — v. 16 « *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* ». *Hebr.* : *non respondebis in proximum tuum, testis mendacii.* ענה ב significat *testificari*, et quidem Gen. 30,33 *pro* aliquo, sed frequentius (Num. 35,30; Deut. 19,18; 1 Reg. 12,3; 2 Reg., 1,16) *contra* aliquem. Sane gravissimum contra hoc mandatum scelus est falsum testimonium cum iuramento editum coram iudice : at non ad hoc restringi censendum est mandatum (*Calm.*), sed complectitur omnem deceptionem et calumniam (cf. 23,1; Lev. 19,11). Mediate proscribuntur, quaecunque fidem inter homines minuunt, ergo etiam falsum testimonium cum nullius damno in unius favorem editum, detractio etc.

v. 17 « *Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem eius* », — *non agrum* habent *Sam. LXX Symm. Theod.* h. l., et

Deut. 5,21 omnes — « *non servum, non ancillam, non borem, non asinum* », — *neque omne iumentum* addunt *LXX* utroque loco — « *nec omnia, quae illius sunt* ». Deut. 5,21 omnes *uxorem* anteponunt *domui* : hancque lectionem tamquam unice genuinam tuentur ii, qui duo v. 17 tradi mandata defendunt, dum reliqui utramque lectionem tueri possunt. Secundum hos verbum *non concupisces* repetit h. l. auctor, quo varia explicet, quae una voce *domum* modo erat complexus (*Vat.*).

Sam. h. l. inducit Deum iubentem, ut Israelitae terram promissam ingressi prope Garizim duas columnas erigant eisque mandata inscribant, ibidem item altare exstruant : evidens est desiderium sanctitatis montis Garizim ab ipsa legislatione in Sinai facta repetendae. Idem post v. 18 inserit ea, quae Deut. 5,24 sq. habentur, et v. 18 introducit correctionem satis superfluam, ut populus *audierit* voces etc. et *viderit* lampades.

3. *Theophaniae conclusio* Ex. 20,18-21.

Arg. — Populus theophaniae horrore correptus, atque denegatae obedientiae poenam sibi aliquando timens exterminium, rogat ut in posterum Deus non ipsi immediate, sed interposito Moyse loquatur. Responsum v. 20 non ad sacerdotes, sed ad populum dirigitur, non a Iahve, sed a Moyse proficiscitur, licet is utique Iahve mentem loquatur : animos componit, petita concedit. Hinc approbante iam Moyse populus v. 21 intra terminos continetur, solus Moyses ad Iahven accedit.

v. 18 « *Cunctus autem populus videbat voces* », i. e. tonitrua (cf. *Chald.* h. l. et ad 9,29. 33. 34), « *et lampades et sonitum buccinae montemque fumantem* ». Sc., ubi Iahve loqui orsus est v. 2 sqq., conticuere tonitrua et buccinae fragor, quo certius verba intelligerentur; postea iterum exaudiebantur (*Cai.*). An forte singula quoque mandata eiusmodi portentis distinguebantur? Idem factum Deut. 5,22 narratur ita : « Haec verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna, nihil addens amplius... Vos autem, postquam audistis vocem de medio tenebrarum et montem ardere vidistis, accessistis ad me, omnes principes tribuum et maiores natu », — tacentur etiam hic sacerdotes — « atque dixistis » : et sequuntur verba, quae correspondent verbis Ex. 20,19. « *Et perterriti* » — sed reliqui aliter punctantes *et vidit* (populus); *LXX* vocem ignorant — « *ac pavore concussi steterunt procul* », intra terminos. Cf. quae dicebamus ad 19,23. Moyses, dum Iahve decalogum promulgaret, non videtur ad Iahven rediisse, qui nullo iam interprete loquebatur, sed apud populum stetisse, qui illico

eum allocutus est (Deut. 5,23 « accessistis ad me »). v. 19 « *Dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus* » « et faciemus » (Deut. 5,27), tibi loquenti sicut Iahve loquenti obediemus. « *Non loquatur nobis Dominus, ne [forte] moriamur* » igne consumpti (Deut. 5,25). Cur vero sibi timeant exitium, qui modo « hodie » probaverant, « quod loquente Deo cum homine vixerit homo » (ib. v. 24)? Rationem ib. v. 26 assignant : « Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere? » Tantum distat caro ab infinita maiestate, ut eius aspectu et alloquio sit prorsus indigna. Belle id dicitur ; manebat tamen factum, hanc eandem carnem Deum iam semel impune audiisse ; quodsi ea, quae afferebatur, unica erat ratio, debebat potius Moyses illis animos addere, ut propius ad Iahven accederent. At erat altera gravis ratio, quam nolebat scriptis consignare. Caro illa Hebraeorum non solum erat natura infirma, sed grave admiserat diffidentiae peccatum, « stantes procul » quando illos Iahve accedere iusserat. Quod porro Iahve eius peccati poenam eis non inflixisset « hodie », non sequebatur poenam non esse sumpturum postea. Nota igitur, Hebraeos nunc petere fere idem quod antea 19,23, sed e diverso motivo : tum petebant ex diffidentia, nunc ex admissi sceleris conscientia. Quare nunc petita conceduntur, qui simul favor est et poena, Moysesque illos blande alloquitur, imo Deut. 5,23 sq. Iahve Moysis responsum approbat. v. 20 « *Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus* », — « ut experiretur vestrum timorem, reverentiam et obedientiam » (*Men.*) : utique, sed quod « experimentum » ad irritum cecidisset, non erat ea efficax ratio alleviandi timoris. *Aug.* : « ut, quales essetis, probatione innotesceret non Deo, sed ipsis vobis ». Sed ea item tum non erat ratio abdicandi timoris. Supple : *solum* ut probaret vos, non ut occideret (*Tost.*) — « *et ut terror illius esset in vobis* », *Hebr. ante faciem vestram*, coram mente vestra, « *et non peccaretis* » ; clarius *Hebr. ne peccaretis*. Sit is saltem huius theophaniae fructus, ut eius vos memoria in posterum a peccato retrahat. v. 21 « *Stetitque populus de longe* », Moyse et Iahve annuentibus intra terminos se continuit. « *Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus* ». Ascenderitne cum Aarone (*Bonfr.* : cf. 19,24) an sine illo (*Sylv.*), non liquet.

Recitat h. l. *Sam.* textum Deut. 5,28 sq., qui si h. l. sit inserendus certe inserendus erit non post v. 21, sed post v. 20. Dein inserit Sam. fere verbotenus locum Deut. 18,18-22 de « propheta simili Moysi » populo concedendo. Id omnino praeter contextum inserebatur ob similem fortasse rationem atque alterum illud post v. 17 de monte Garizim additamentum. Pergit Sam. : *Vade, dic eis : Revertimini in taberna-*

cula vestra. Tu vero sta hic mecum, et loquar ad te omnia mandata et iustificationes meas et iudicia, quae docebis eos quaeque facient in terra, quam ego dabo eis in possessionem. Verba haec sunt apta, sed non nituntur sufficiente auctoritate critica.

III. THEOPHANIA COMPLETUR Ex. 20,22-23,33.

Sequentibus Iahve aliqua, non omnia decalogi mandata penitius explicat et aliqua officia, quae in illis non satis exprimebantur, inculcat. Generatim longiora mandata in singulis paragraphis prima scribuntur, dum ad calcem adnectitur congeries breviorum mandatorum. Mandata omnia in unicum congeruntur *divinum eloquium* (20,22 « Dixit Dominus ad Moysen »), dum in Lev. eloquia sunt plura et breviora.

Legum distinctionis per varias *inscriptiones*, *formulas* et *clausulas*, quae in Lev. vix non ubique observatur, vestigia solum h. l. discernuntur leviora et, ut ita dicam, cautiora. Nondum ubique Moyses legibus sigilli instar appendit nomen Iahve (« Ego Iahve », cf. 12,12). Tamen Iahve auctoritas appellatur initio *primae legis* 20,22 : « Vos vidistis, quod de coelo locutus sim vobis ». Resonantibus quasi adhuc in Hebraeorum auribus portentosis illis de coelo vocibus, eam legem proloquitur Deus. Et adverte hanc legem 20,22-26, quae tota est de re solos sacerdotes attingente, tamen non dirigi ad veteris ordinis sacerdotes (cf. 21,1 « Loquere ad sacerdotes »), sed ad « filios Israel », ignoratis rursum (cf. 19,24; 24,9) antiqui ordinis sacerdotibus[1]. Tamen haec lex, quod cultum spectet ipsumque altare, et prima scribitur et a sequentibus secernitur inscriptione 21,1 : « Haec sunt iudicia, quae propones eis ».

Quae *inscriptio* est omnium legum cap. 21-23, dum in Lev. frequentiores etiam sunt inscriptiones. Pericope vero cap. 21-23 *duabus formulis* distinguitur ex iis, quae in Lev. sunt frequentiores : 22,31 « Viri sancti eritis mihi » (cf. 19,6 et Lev. 11,44 sq.; 19,2; 20,7. 26; 21,8 etc.), et 23,13 « Omnia, quae dixi vobis, custodite » (cf. Lev. 18,5 26. 30; 19,19. 37; 20,8. 22; 22,9. 31 etc.); dein 23,20-33 in solemnem *epilogum* desinit. Singulae illae formulae adscriptam habent eodem versu, secundum vulgarem versuum distinctionem, brevem aliquam legem, prior legem sanguinis non comedendi, altera legem nominum deorum alienorum non ore solum, sed etiam mente excludendorum. *Post* illas formulas legibus auctas tam Masor. quam Sam. distinguunt textum;

1. Ergo, quod Ex. 20,26 vox « sacerdos » desideretur, non efficit laicis quibusvis fuisse fas in suis, quae tum erigi consueverint, altaribus *privatis* peragendarum *mactationum*, quae licet sacrificia stricte accepta non essent, omnes tamen sacrae habitae sint. Eam altarium privatorum consuetudinem minime demonstravit *Hoonacker* p. 27 sqq.

concipiunt ergo eas formulas ut clausulas praecedentium : cur autem ambae clausulae appendiculo illo instruantur? Nos igitur distinguere textum malumus *ante* illas formulas; aut, si praeplacet, distinguas textum *ante et post* duas illas sententiolas. Quae adscribuntur non tam ut clausulae eorum, quae praecedunt, neque ut anacruses quaedam sequentium, sed tantummodo ut textum in varias sectiones discindant.

Cuius distinctionis rationem eam fuisse suggero, ut in singulis textus sectionibus habeantur leges longiores brevioresve *numero sacro*. Quod ne reputes inanem ludum, sed artem excogitatam iuvandis iis, qui eas leges non e scripto recitarent sed e *memoria* (cf. nostrum Comment. in Gen. p. 14 sqq.). Numerantur quippe ad primam formulam usque *leges novem* ($= 3 \times 3$) : 1) lex de servis 21,2-11; 2) lex de laesionibus corporis 21,12-36; 3) lex de damnificatione 22,1-17; quibus accedunt leges breviores 4) de tribus delictis capitalibus 22,18-20; 5) de advenis 22,21; 6) de viduis et pupullis 22,22-24; 7) de egenis 22,25-27; 8) de magistratibus 22,28; 9) de iis, quae Iahve debentur, mature persolvendis 22,29 sq. Item a prima ad secundam formulam numerantur *leges tres :* 1) de non comedendo sanguine 22,31; 2) de iustitia in iudiciis servanda 23,1-9; 3) de requie sabbatica 23,10-12; quibus si adduntur aliae *leges sex* a secunda formula ad epilogum, habebis rursum *leges novem :* 4) de abhorrendis nominibus deorum 23,13; 5) de tribus festis maioribus 23,14-17; 6) de fermento sacrificiis non adhibendo 23,18[a]; 7) de sacrificiis ipso die consumendis 23,18[b]; 8) de primitiis persolvendis 23,19[a]; 9) de hoedo non coquendo in adipe matris 23,19[b]. Extremis legibus v. 17. 19 adscribitur bis nomen *Iahve* et, si lectionem Sam. v. 19 sequaris, insuper nomen *Deus Iacob* (cf. dicenda ib.). *Epilogus* tandem 23,20-33 non tradit leges, sed angelum promittit, qui Hebraeos dociles perducat in terram promissam, et benedictiones demonstrat, quibus ibidem pro fidei obsequio sint fruituri.

Exsistit parallelismus inter has leges, dum perduraret vetus tabernaculum, traditas et alias in Lev. post novum instructum sanctuarium promulgatas. Epilogo Ex. 23,20-33 respondet Lev. 26 praemia observaturis legem proponens *et poenas neglecturis*. Praecedunt Lev. 23 de quinque festis maioribus, et Lev. 25 de anno sabbatico et de iubilaeo, quae correspondent Ex. 23,10-17. Lev. 1-10. 16 sq. habes leges de sacris (cf. Ex. 20,22-26); Lev. 11-15 et 18-22 leges de munditia et sanctitate (etiam leges poenales Lev. 20). Verum haec sanctitas est imprimis legalis, dum quae in Ex. inculcatur, est potissimum moralis. Quo rursum videtur adumbrari, dispensationem Aaronicam esse dispensatione Melchisedechiana inferiorem.

Pleraque igitur decalogi mandata his legibus attinguntur, aliqua fusius et quodammodo complete, uti illa de percussionibus de damnificatione, de iustitia in iudiciis servanda; alia brevius, imo quam

paucissimis verbis fieri poterat. Regulas sc. vitae singulis datas oportebat esse concinnas, quo firmius memoriae inhaererent; leges, quae imprimis iudicibus vel sacerdotibus administrandae credebantur, prolixiores esse et poterant et quandoque debebant. Peccata carnis (cf. 22,19) omittuntur, licet de illis exstitisse leges quasdam perantiquas et per se patet et ex Lev. 18 et 20 indubie colligitur. Rationem aliquam, cur alia explicentur, alia transmittantur, crediderim fuisse populi tum ad quaedam peccata animum magis pronum. Neque erant hae leges penitus novae, sed antiquitus receptae inculcabantur, complebantur, corrigebantur. Plurimum sunt affines legibus aliorum orientis populorum. Aliquae non potuere in deserto primum condi, sed eo aevo natae erant, quo gens electa urbes habebat (21,13 sq.) et agros colebat (22,5; 23,10 sq. 14 sqq.), ergo fortasse in Chaldaea vel ante diluvium. Annus sabbaticus 21,2; 23,11 tamquam res nota paucis expeditur. Lex 20,22-26 est de altari altaribus aaronicis antiquiore. Lex 21,6 de aure servi perforanda non est sane a Deo primum introducta, sed a maioribus recepta. Probabile est, patriarchas etiam sculptilibus in cultu Dei caruisse, cum horum in Genesi mentio non habeatur. Aliam eamque gravissimam rationem, cur hae praecise leges selectae sint hac occasione publicandae, explicabamus in Introd. p. 11 sqq.

Adiicimus *schema*, quod tamen Seriei primae solummodo leges exhibet, quod Seriei secundae et tertiae leges simpliciores cum sint, schema non videantur requirere. In schemate notamus diversa initia legum earumque articulorum. Quarum aliae absolute incipiunt participio vel nomine (v. g. 21,12. 15 מכה; cf. p. 22), alia incipiunt voce כי, alia voce אם. Novellae de laesionibus corporis schema successiva describit incrementa. Cuius nucleus primum erant leges 21,12-17 de homicidio tribusque aliis delictis capitalibus; adscriptis v. 18-23 additamentis de homicidio habebatur lex de percussione lethali v. 12-23. Huic accrevit v. 24-27 lex de mutilatione, et ita facta est lex de percussione hominis qualibet v. 12-27. Additis v. 28-36 iis, quae animalium laesiones spectabant, constitit tandem lex de laesionibus corporis universius spectatis.

a. Novella de servis Ex. 21, 2-11.

v. 2. כי
v. 3-5 אם *ter* α. de servis viris v. 2-6.
v. 7 כי
v. 8-11 אם *quater* β. de servis feminis v. 7-11.

b. Novella de laesionibus corporis Ex. 21,12-36.

α. de percussione etc. v. 12-27
א de *percussione lethali* v. 12-23
(1) de *homicidio* tribusque delictis capitalibus v. 12-17
v. 12 מכה (a) percussio occisione secuta v. 12-14
v. 13 אשר
v. 14 כי
v. 15 מכה (b) percussio parentis v. 15
v. 16 גנב (c) abductio hominis v. 15
v. 17. אם אשר מקלל (d) maledictio parentum v. 17

(2) legis de *homicidio* additamenta v. 18-23
v. 18 כי (a) de viro percusso in rixa v. 18 sq.
v. 20 כי (b) de servo percusso ab hero v. 20 sq.
v. 22 כי (c) de muliere praegnante percussa v. 22 sq.

ב. de *mutilatione* v. 24-27
v. 24 עין (1) lex talionis v. 24 sq.
v. 26 כי (2) legis talionis additamentum v. 26 sq.
v. 27 אם

v. 28 כי β. ad legem de *percussione lethali* additamenta v. 28-36
v. 29. 30. 32 אם *ter* א. de bove cornupeta v. 28-32
v. 31 או
v. 33 כי ב. de iumento lapso in cisternam v. 33 sq.
v. 35 כי ג. de mutuis iumentorum laesionibus v. 35 sq.

c. Novella de damnificatione Ex. 22,1-17.

v. 1 כי α. reparatio pro furto v. 1-4
v. 5 כי β. reparatio pro corrupta segete v. 5 sq.
v. 6 כי
γ. reparatio pro deposito furto ablato v. 7-13
v. 7 כי א. pro deposito rei animatae v. 7-9
v. 8 אם
v. 10 כי ב. pro deposito rei inanimatae v. 10-13
v. 12 sq. אם *bis*
v. 14 כי δ. reparatio pro commodato v. 14 sq.
v. 15 אם *bis*
v. 16 כא ε. reparatio pro seducta filia virgine v. 16 sq.
v. 17 אם

d. Novella de tribus delictis capitalibus Ex. 22,28-20.

v. 18	מכשפה	α. maleficium v. 18
v. 19	שכב	β. bestialitas v. 19
v. 20	זבח	γ. idololatria v. 20

Novellae breviores.

Initia diversa.

e. Novella de aventis v. 21
f. Novella de viduis et pupillis v. 22-24
g. Novella de egenis v. 25-27
h. Novella de magistratibus v. 28
i. Novella de iis, quae Deo debentur, suis temporibus persolvendis v. 29 sq.

1. *Novella ad secundum mandatum* Ex. 20,22-26.

Arg. — Deus illico, vel ante exstructum tabernaculum mosaicum, eas fert leges, quibus ab eo, quod tum erat, altari sculptilium usus penitus excludatur. Prohibet igitur simulacra, proscribit sectos lapides, quibus facilius sculptura aliqua adhiberetur; praecipit decentiam in accessu ad altare. Licet probabiliter simulacra in stirpe electa iam antea erant lege humana prohibita, et decentia in accessu ad altare praescripta, tamen lex iis verbis, quibus h. l. describitur, nova est : in lege mere humana non poterat Deus pronominibus primae personae loquens introduci.

v. 22 « *Dixit* [*praeterea*] *Dominus ad Moysen : Haec dices filiis Israel : Vos vidistis, quod de coelo locutus sim vobis* »; idcirco etiam pro meis verbis accipietis, quae porro per Moysen loquar ad vos. Et sequitur illico primum Dei alloquium, quod vel ex hoc nexu inferre licet brevi post antecedentia esse pronuntiatum. v. 23 « *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis* ». *Masor. : non facietis mecum* (אתי) *deos argenteos, et deos aureos non facietis vobis. LXX* pro אתי fortasse legebat לכם, itemque *Vulg.*, quae, ubi eadem vox bis in eadem sententia habetur, eam semel facile supprimit. *Syr.* לכם אתי. Nulla ratio est illius אתי confodiendi, facile fluit sententia, dummodo cum *Syr.* iungamus : *Non facietis* (*vobis*) *mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis* mecum. Tota sc. lex v. 23-26 est de cultu veri Dei, est explanatio mandati v. 4, cuius proprius locus est ante sequentium mandatorum explanationes cap. 21-23. Igitur *altari* veri Dei (v. 24) iam non erant adhibendae eiusmodi statuae, sive alios deos sive Deum verum sive angelos repraesentarent. Et adverte cum *Tost.*, posse hebraeum etiam verti *deum argenteum, deum aureum*, ut pro-

hibeatur *veri* Dei imago, qualis videtur fuisse vitulus aureus. Grave porro prohibitioni pondus addit in memoriam revocata v. 22 solemnis ratio, qua *de coelo* loquens Deus eandem v. 4 inculcaverat. Norat quippe Deus, quam pronus esset populus (*Cai.*) in imaginum sculptarum cultum. Igitur locuturus de altari exstruendo, primum inculcat debere illud *simulacro* carere; dein debere illud carere omni *lapicidio*, sive quod ab hoc facilis habeatur transitus ad sculptas imagines, sive quod politis lapidibus facilius inducebantur Hebraei ad pictas aliquas formas superinducendas; tandem Deus prohibet *gradus*, cum ob rationem v. 26 adscriptam, qua reverentia et puritas in cultu invisibilis numinis observanda indicatur, tum fortasse etiam, quod gradibus mox lapides politi adhibiti fuissent. Adverte, quantopere altare, quod hic describitur, differat ab altaribus imprimis Aegyptiorum.

Ceterum, cum hic agatur de altaribus ritu praemosaico exstruendis, non habetur contradictio neque cum altari e lignis setim (Ex. 27 et 38) neque cum altari aeneo (2 Par. 4). Quae hic dicuntur de altaribus e terra lapidibusve exstruendis, quoad sanctuarii altaria posterioribus legibus abrogantur. Et quidem Machabaeorum tempore (1 Mach. 4,47), quando de restituendis sanctuarii altaribus agebatur, adhibuere homines lapides non sectos « secundum legem », ignari iam penitus legem Ex. 20 lege Ex. 27 quoad sanctuarium fuisse abrogatam. Tamen eius, quae Ex. 20,24 sq. describitur, formae altare aedificatum est a Iosue e Moysis mandato in monte Hebal (Deut. 27,4 sqq.; Ios. 8,30 sqq.), ab Elia in Carmelo (3 Reg. 18,31 sqq.). Sc., ubi de altaribus praeter sanctuarium exstruendis ageretur, Moyses aliique ad formam Ex. 20,24 sq. revertebantur, sive quod eam legem quoad sola sanctuarii altaria revocatam censerent, sive potius quod, de quorum altarium forma Iahve nihil sanxisset, ea sibi patriarcharum ritu exstruenda esse existimarent. Cum vero lex Ex. 20,24 sq. certe sit ex parte et probabilius ex integro revocata, falso affirmat *Hoonacker* p. 22, ea lege concessam esse Hebraeis veniam altarium ubicunque libuisset exstruendorum.

v. 24 « *Altare de terra* », qua voce merito ait *Cai.* non excludi lateres, « *facietis mihi et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves* » — *Sam. Ps. Ion. : de ovibus etc.* — « *in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei : veniam ad te et benedicam tibi* ». Sed melius cum *Hebr. Chald. Syr.* iunge ultimum incisum praecedenti : ubicunque in altari rite exstructo cultus Deo reddetur, aderit Deus et benedictionem largietur; ubi vero harum legum aliqua negligatur, deerit divina benedictio, — utique quamdiu ea lex valebit.

Sam. legit אשר אזכרתי את שמי שבוה. Ubi אזכרתי utique mendosum est. Sed

שביה (*Chald. Ps. Ion.*) videtur esse genuinum, et post שבוי facile potuit excidere. Porro אזכיר vel (א)זכרתי significat *memorari fecero* (*LXX*). E contra *Syr. Targ. Hier.* תזכיר, *memorabis*. Cf. *A. Geiger* : Zeitschrift der Deutsch-Morgenl. Ges. XIX. 603. Leipzig 1865. *Vulg.* pro אזכיר את fortasse legebat אזכרת. Ceterum in textu rem tanti momenti attingente posterisque minime perspicuo quaedam etiam pie et consulto esse mutata, quis miretur? Ita *Masor.* ante מקום inseruere articulum : ergo non *in omni loco*, sed *in toto ambitu* sc. sanctuarii. Cf. *A. Merx* : Chrestomathia targumica, Berolini 1888, p. 87. Qua lectione extra sanctuarium altaria erigi prohibebantur : at lectio est arbitraria et, intra sanctuarium altari de terra non fuisse locum, praeter omne dubium certum est. Simili effectu *Sam.* omittit כל; quare potest sequens nomen punctari tamquam habens articulum, restringiturque rursum assertio ad unicum locum. Sed haec spuria.

v. 25 « *Quodsi altare lapideum feceris mihi, non aedificabis illud de sectis lapidibus : si enim levaveris cultrum super eo, polluetur* ». Cf. Deut. 27,5; Ios. 8,31. Extremi asserti ratio non ea est, cultri attactum natura sua polluere lapidem : id enim nullo argumento aut probari aut explicari potest. Sed, quia ob superstitionis timorem secti lapides proscribebantur, et quo certius proscriberentur, ideo antiquitus iam omnis lapis, qui cultri ictum expertus esset, declaratus est impurus ideoque inutilis. v. 26 « *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua* ». 28,42 iubentur gestari feminalia linea ad eundem finem.

2. *Novellae de aliis mandatis* Ex. 21,1-23,19.

Sunt ea imprimis mandata illa, quae *proximum* respiciunt. Novellis communis praefigitur superscriptio *Cap. XXI* v. 1 : « *Haec sunt iudicia* », iudicis supremi de iure civili decreta, « *quae propones eis* ».

Series prima novem legum. Ex. 21,2 22,30.

a. Novella de servis Ex. 21,2-11.

Referri ea potest ad mandatum de non furando, sunt quippe servi genus aliquod possessionis. Non tota de servitute materia discutitur, sed, quod sane erat primarii momenti, eius *durationis limites* describuntur. Varii modi, quibus Hebraeus in Hebraei servitutem devenire potuit, postea diversis locis inseruntur : potuit sc. ob paupertatem Lev. 25,39 in servitutem se divendere; potuit liberos divendere Ex. 21,7; divendebatur fur 22,3 restitutioni faciendae impar, itemque 4 Reg. 4,1 debitor.

Tam *Masor.* quam *Sam.* legem dividunt post v. 6, atque tam v. 2 quam v. 7 textus a voce כי orditur, dum membra subordinata v. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11 voce אם incipiunt. Legis huius initia legis sequentis

v. 12-36 initiis exstitere minus antiqua. Dum enim poenas in homicidas, parentum percussores et conviciatores, raptores hominum, itemque legem talionis (v. 12. 15. 16. 17. 24 sq.) sanciri oportuit in ipsis generis humani primordiis, nostra lex supponit usu omnino receptam servitutem, annum iubilaei et polygamiam. Ritus auris perforandae utique erat Moyse antiquior, cum ab aliis etiam gentibus antiquis sit observatus : Mesopotamiis (Iuven. I. 104), Arabibus (Petron. sat. 102), Lydis (Xenoph. Anab. III. 1,31), Carthaginiensibus (Plaut. Poen. V. 2,21). Etiam v. 7 sqq. fere respondent iis, quae apud alias gentes Semitas observabantur. Ergo tota haec lex videtur esse Moyse antiquior. At fortasse laxius servabatur, etiam a sacerdotibus, qui servos suos tamquam rem sacram ultra annum sabbaticum retinerent etc. Cur haec lex primo loco post legem de sacris 20,21-26 et ante gravissimam de percussionibus legem inseritur? Fortasse, quod multi essent in Moysis agmine servi, sive Hebraei sive ad Hebraeorum sacra recens conversi; quod cum sequentia habeant aliqua (v. 20 sq. 32) servis iniquiora, par esset servos clare edoceri, quibus conditionibus servitute se possent liberare; quod servorum animos prudenter cuperet Deus Moysi devincire.

α. De servis viris Ex. 21,2-6.

Arg. — Anno sabbatico servi dimittuntur liberi cum uxore, quam secum in servitutem adduxerint. Quam vero durante servitio duxerit servus, ea cum liberis penes herum maneto. A qua si servus separari nolit, addicitor hero servus perpetuus, aure perforata.

v. 2 « *Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi* ». Id non valere de servis non hebraeis, disce ex Lev. 25,44 sqq. « *In septimo egredietur liber gratis* ». Qui septimus annus non numeratur a tempore, quo servitudo incepit, sed est annus sabbaticus : cf. 23,11; Deut. 15,1. 12 (*Tost.*). Et rationem Deut. 15,15 dat Deus, quod Israel servierit in Aegypto ac tandem a Deo liberatus fuerit. Nostro textu annus sabbaticus omnino obiter attingitur : sane, sicut sabbatum, apud Hebraeos etiam ante Moysen in usu erat. Sex porro annis serviturus dicitur servus hebraeus, « i. e. usque ad sex annos, et nunquam plus » (*Tost.*), usque ad initium anni sabbatici. v. 3 « *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat* ». גֵּוָה secus habetur solum Prov. 9,3, ubi vertunt « dorsum collium civitatis ». Fortasse *Hier.* cogitabat chald. גֵּוָה, cuius significationem ab ala avis transtulit ad alam vestimenti. Sed sensus unice verus est, quem exprimunt *LXX Targ. Syr.* : *solus;* quod patet ex opposito altero membro : « *si habens uxorem, et uxor egredietur simul* ». An forte in tali oppositione expressio « intrare cum

suo dorso » induebat sensum « intrare solus »? *Sam* בגבין videtur esse mendum. v. 4 « *Sin autem dominus dederit illi uxorem* » non hebraeam (*Ps. Ion.* , nam hebraea initio septimi anni cum ipso exire debuit, « *et pepererit filios et filias, mulier et liberi eius erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo* » — corrige *solus* et, uti videtur, matrimonio solutus (*Cai.*). v. 5 « *Quodsi dixerit servus : Diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber* » : v. 6 « *offeret eum dominus diis* », adducet eum ad *iudices* (*Chald. Syr.*: *LXX* : πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ). אל האלהים non posse verti « ad sanctuarium » (*Dillm.*), ostendit 22,28 (cf. etiam v. 9); potes autem cum *Bonfr.* intelligere « iudices sacros », inter quos sine dubio aliqui aut plures fuere sacerdotes. « *Et applicabitur ad ostium et* » — reliqui *aut* — « *postes* ». Quis *applicabit* (*Hebr.*)? Servi dominus, respondent plures, quibus alii obiiciunt, pro primo et tertio verbo adscribi subiectum אדניו, ergo aliud esse secundi verbi subiectum. Respondent igitur alii, iudex. Reapse, cum *Hebr.* rem in medio relinquat, optime vertit *Vulg.* verbo passivo. An *ostium* et *postes* habebant tentoria Hebraeorum? Nulla est difficultas, si supponatur haec lex, ut aliae plures, esse Moyse antiquior et iam in Aegypto ab Hebraeis esse observata. *Ostium* vero secundum Deut. 15,17 intelligere oportet ostium domus heri, quo ille iudices deduxerit; certe non urbis (!), cuius ostium nunquam דלת, sed semper שער audit (*Bonfr.*). « *Perforabitque aurem eius* » « in ianua domus » Deut. 15,17 « *subula, et erit ei servus in saeculum* », nulla iam anni sabbatici habita ratione.

עבד לעלם sensu obvio significat servum perpetuum, usque ad finem vitae. Et ratio patet : si enim ille vir matrimonium cum non Hebraea praeferret libertati, cum illa et liberi servi essent, quid restabat, nisi ut ipse etiam quoad viveret serviret? Tamen *Ps. Ion.* vertit « usque ad iubilaeum », quod quinquagesimo quoque anno recurrebat. Appellatur Lev. 25,40, sed perperam : est enim plane diversa res. Ibi quippe mitigatio nostrae huius legis proponitur pro eo solo Hebraeo, qui paupertate compulsus in servitutem se divenderit : non habeatur ut servus, sed ut mercenarius, anno iubilaei in integrum restituatur; nihil de eius, quam forte duxerit, uxore affirmatur. Verum h. l. agitur de servis hebraeis quibuslibet, qui uxorem servam non hebraeam duxerint. Appellatur *Ios.* Ant. IV. 8. 28, qui hanc legem mosaicam recitans simpliciter affirmat, talem servum liberatum esse anno iubilaei. Sc. Ios., uti etiam Ps. Ion. etc., recenset *mitiorem* praxin, quae postmodum legitime omnino invecta est : eiusmodi servis anno iubilaei rursum dabatur optio. Idque prudenter fiebat : potuit quippe accidere, ut servus ille filium, qui patri hero successisset, uxorem propriam adultis liberis minus iam diligeret. Eiusmodi vero mitigatio legis neque *Dillm.* ius dat affirmandi, Ex. 21,6 et Lev. 25,40 pugnare inter se, neque nobis לעלם vertendi « usque ad iubilaeum ». An, quia reges aliqui poenam capitis iam semper commutant in carcerem perpetuum, licebit expressionem « poena capitis » vertere expressione « carcer perpetuus »?

Perforatio illa non fiebat ad « ignominiam » (*Theodoret.*), quod servi illi libertatem reliquis omnibus praeferre debuissent; sed « signum illud obedientiam per auditum significat, et quod extra ostium egredi non liceat iniussu domini » (id.). Fiebat coram testibus et signo adhibito externo, « ut amplius semel dictae professionis suae delere vel abscondere non posset monumentum » (*Rup.*) servus ille.

β. De servis feminis Ex. 21,7-11.

Arg. — Serva emptitia et concubina non Hebraeo ne vendatur. Si filio heri sit desponsata, filiarum loco habetor. Si alia introducatur concubina, habeto prior illa cibum, vestitum, torum. Quae si ei denegentur, libertatem recuperato.

Voce כי (uti v. 2. 14. 18. 20. 22. 26) introducitur haec lex. v. 7 « *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillae exire consueverunt* ». Ita etiam *LXX;* sed pro *ancillae* reliqui omnes habent *servi*. Cum v. 2-5 יצא constanter scribatur de egressu e servitute in libertatem, ergo eundem h. l. sensum habet; et cum ibi sermo fuerit de solis servis hebraeis, ergo etiam h. l. servi non sunt intelligendi soli servi non hebraei (*Bonfr.* etc.) aut servi Chananaei (*Ps. Ion.*). Dicuntur igitur illae filiae in servitutem divenditae non egredi servitute, sicut v. 2-6 servi egredi describebantur. Cuius asserti triplex potest esse sensus. Primus, ut illae filiae nullam omnino affirmentur habere egrediendi facultatem; quem sensum falsum esse, ex immediate sequentibus clarescit. Secundus, ut affirmentur habere quidem modum aliquem egrediendi, sed ab eo modo, quo v. 2-6 viri egredi narrabantur, omnibus numeris diversum : cui repugnat Deut. 15,17, ubi, postquam de perforanda viris aure (cf. Ex. 21,6) dictum est, additur : « ancillae quoque similiter facies ». Cf. Ier. 34,9. 10,11. 16, unde patet ancillas quoque hebraeas, aeque atque servos, fuisse libertati restituendas, septimo sc. anno. Tertius sensus, isque omnino planus et obvius, hic est, habuisse illas filias modum aliquem servitute egrediendi, non absolute quidem, sed secundum quid a modo v. 2-6 descripto diversum : tum vere dici poterant illae filiae egredi, non sicut servi egredi consueverant; idque tanto verius, quod plerumque venderentur filiae non mere ut famulae, sed cum aliqua exspectatione, ut sive ab hero sive ab heri filio ducerentur (*Bonfr.*). Iam varii enumerantur casus, in quibus eiusmodi filiae conditio alia erat a conditione servorum.

v. 8 « *Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam* ». Cum *keri, Vulg. LXX Chald.* pro לא legatur לו : *qui eam sibi desponsavit*. Agitur de hypothesi, quando aut filia empta est eo fine, ut hero desponsaretur, aut post emptionem ei est desponsata; et nota

apud Iudaeos unum fuisse desponsationem et matrimonium. Neque haec relativa sententia neque sequens בבגדי בה (*Chald.*) necessario includit puellam fuisse violatam, licet id in plerisque ex his non ita frequentibus casibus sine dubio acciderit : tum sane parcius pro violata quam pro integra redemptionis pretium herus accipiebat (*Dillm.*). *Hebr. : faciat eam redimi*, non a puellae patre, qui vix non semper paupertate compulsus filiam divendiderat; sed ab alio, qui ea vellet concubina uti. Si talis non reperiretur, crediderim dimittendam fuisse liberam gratis (v. 11 , nisi praeferret ipsa in famularum ordine (v. 6) perseverare. « *Populo autem alieno* », i. e. non Israelitis (*Aug.*), « *vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam* », violatam non retinens concubinam, aut exspectatum concubitum omnino denegans. Licebat filiabus hebraeis nubere non Hebraeis, non tamen Chananaeis (Ruth 1,4; 2 Reg. 3,3: 3 Reg. 14,21), quod matrimonii genus sane minus honestum reputabatur, neque ei addicenda erat serva hebraea, quam herus sprevisset. Ex quo intulerim id, de quo nihil reperi in V. T., non fuisse fas hero ancillae hebreae (cf. v. 4) dare maritum servum non hebraeum : ita quippe adigebatur ancilla ad nuptias minus honestas subeundas; et quomodo post sex annos (v. 2) potuit ipsa discedere marito relicto? et cuius futuri essent liberi e tali matrimonio prognati?

Agitur iam casus, quando ancilla non hero, sed heri filio desponsata est seu nupsit. v. 9 « *Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi* ». Subiectum apodoseos est idem, quod in tota hac oratione, sc. herus pater. *Facere iuxta morem filiarum* non est dotem dare (*Vat.*), pecunia quippe patri puellae data dotis loco est; non est facere « sicut fit filiabus aliorum Hebraeorum, quae non sint servae » (*Tost.*), cum gratuito vox *filiarum* ad unam filiarum classin restringatur; sed facere iuxta morem filiarum suarum, filiarum in domo patris degentium. Filii concubina tractanda est a filii patre non ut serva, sed ut filia (*Keil*).

Tandem tractatur casus, quando praeter illam ancillam in concubinam assumptam alia ducitur eaque sane gratior concubina vel uxor. Subiectum, uti v. 8 sq., est pater herus. יו *LXX* referunt ad patrem, *Vulg.* ad filium, re certe utrumque attingit (*Bonfr., Malv.* ; quodsi enim lex proxime respiciat patrem alteram ducentem uxorem, propter omnimodam paritatem applicanda item erit ad filium alteram uxorem ducentem vel a patre sibi provisam accipientem. v. 10 « *Quodsi alteram ei acceperit* », non priore repudiata (*Vulg.* : cf. « nuptias » , sed priori superaddendam (*Ps. Ion.*), « *providebit puellae nuptias et vestimenta, et pretium pudicitiae non negabit* ». שאר est *caro*, recte

Targ. et *Syr.* vertunt *cibus*. Carnem pro cibo, non panem efferri ait *Kn.*, quod agatur de homine divite, qui valeat plures sibi vel filio adsciscere uxores. Porro concubinae illi, quando altera praeter eam ducitur mulier, non solum non est denegandus panis, i. e. cibus ad vitam necessarius, sed vel caro, i. e. lectiores cibi. עִנָּתָהּ est *concubitus* (*LXX Targ. Syr.*). Ergo, etiamsi altera addatur uxor, concubinae iura intacta permaneant, quoad cibum, vestitum, torum. v. 11 « *Si tria ista non fecerit* », si cibum, vestitum, concubitum non praestiterit, « *egredietur gratis absque pecunia* ».

En igitur, quibus filiae intuitu matrimonii divenditae egressus e heri servitio differt ab egressu earum, quae solummodo ancillae sunt : 1) si displiceat hero, ex eius servitio etiam ante expletum sexennium egreditur, divendita alteri hero hebraeo; 2) si filio heri in concubinam destinatur, iam non ancillae, sed filiae loco in domo habetur; 3) altera accedente uxore, sua iura intacta retinet; 4) si haec negligantur, etiam ante expletum sexennium libera discedit. Et nota haec omnia praescribi non tamquam perfectam coniugiorum legem a Deo Hebraeis concessam, sed quo cohiberetur longe effraenatior, quae ante invaluisset, licentia.

b. Novella de laesionibus corporis Ex. 21,12-36.

Legis huius, qua explicatur mandatum de non occidendo, notes *formam*. v. 12. 15. 16. 17 habes quatuor breves leges, poenam capitis statuentes in enormia quaedam scelera, incipiuntque singulae participio : percutiens, furans etc. Quibuscum cf. legem talionis v. 24 sq., quae quidem participio non incipit, sed dictione simplici et concinna illarum legum affinis est. Reliquae omnes ordiuntur voce כִּי (v. 14. 18. 20. 22. 26. 28. 33. 35; v. 13 אֲשֶׁר), membra vero illis subordinata distinguuntur coniunctione אִם (v. 19. 21. 23. 27. 29. 30. 32; v. 31. 36 אוֹ). Quatuor illae leges debuere esse ex numero antiquissimarum, quae in stirpe electa conderentur : sancienda mature fuit poena in homicidas, parentum percussores, raptores hominum, maledictores parentum. Cf. Gen. 9,6. 25. Legem autem talionis antiquissimam esse patet inde, quod apud tot antiquos populos viguerit. Eam fere supponit canticum Lamech Gen. 4,23 sq. Stilus harum legum antiquitatem sapit. Cf. Lev. 20,9-21, qui poenarum infligendarum catalogus item antiquissimus est. Differunt autem illae *quinque leges* a decalogo eo potissimum, quod quorumdam scelerum ibi prohibitorum *poenas* statuant; ad illum se habent uti Lev. 20 ad Lev. 18. Verum decursu temporum paucae illae leges capitales visae sunt non iam sufficere. Plura committebantur, quibus illae leges viderentur specialius esse adaptandae. Has quaestiones discussit casuistica, suasque *conclusiones* legibus antiquis appendit voce כִּי earumque *membra* distinxit voce אִם.

Ad particularia descendamus. Vel antiquissimis temporibus oportuit distinctionem adhibere legi de homicidio, definito discrimine inter homicidium voluntarium et involuntarium : unde mature versui 12 accrevere conclusiones duae v. 13 sq. (אשר, כי). Lex ita aucta cum tribus legibus v. 15-17 in unum coaluit de poenis capitalibus instrumentum. In his lex de homicidio mox visa est esse complenda quibusdam de *percussione natura sua lethali* statutis. Haec autem non fuere immediate post v. 14 inserta, neque ausi sunt antiqui illi homines legem v. 12-17 discindere, sed ei ad calcem adscripsere, sive simul sive successive, conclusiones tres v. 18. 20. 22 (כי). Interim lex talionis remanserat a lege v. 12 sqq. separata, quod haec esset de poena capitali, illa non. Accreverat item legi talionis conclusio una v. 21 sq. (כי) de *laesione servi*. Additis porro conclusionibus v. 18-23 non iam erat lex v. 12 sqq. de solis delictis capitalibus; non erat ratio, cur non lex talionis cum illa coalesceret : ergo in unam legem v. 12-27 coaluere. Verum mox etiam huic legi visum est aliquid decsse : quid enim si *pecus hominem* aut *pecus pecudem* occideret? quid si hominis incuria *pecus alienum* interiret? Hinc natae conclusiones tres v. 28. 33. 35 (כי) cum suis membris. Quae non ante v. 24 legi sunt insertae, sed lege qualis tum erat servata intacta, adscriptae sunt ad calcem legis talionis v. 24-27, licet non tam ad hanc, quam ad praecedentem de percussione tractatum spectarent.

α. De percussione etc. Ex. 21,12-27.

א. *Lex de percussione lethali Ex.* 21,12-23.

(1) *Lex de homicidio tribusque aliis delictis capitalibus Ex.* 21,12-17.

v. 12 « *Qui percusserit hominem* [*volens*] *occidere* », — *Hebr. et mortuus est,* agitur de percussione lethali, effectu secuto — « *morte moriatur* ». Non fit distinctio inter Hebraeum et non Hebraeum, non adscribitur uti v. 14 vox רעהו. Orta fortasse est haec lex, antequam gentes ex uno natae separarentur. Neque pro liberis, uti postea v. 21 pro servis, adscribitur restrictio : « si uno vel duobus diebus supervixerit ». Mox tamen adiicienda fuit « limitatio » (*Cai.*) pro casu necis non plane praemeditatae. Hinc v. 13 : « *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius* », — « Intelligitur tantummodo Deus fecisse, cum quis occiditur a nolente. Cum vero volens occidit, et ipse occidit et Deus tradidit in manus eius » (*Aug.*) — « *constituam tibi locum, in quem fugere debeat* ». Id Deut. 19,2; Num. 35,6. 11 sqq.; Ios. 20 accuratius definitur, assignatis civitatibus refugii; primitus non videntur fuisse civitates, sed altaria v. 14; quod comprobant aliorum

antiquorum populorum mores. v. 14 « *Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias* », — *Hebr. : si quis praevaricatus est in proximum suum, ut eum interficiat dolo* — « *ab altari meo evelles eum, ut moriatur* ». « Nullum pro eiusmodi homine erit asylum » (*Bonfr.*). Verba utique edicunt, et altare esse aptum qui pro refugio designetur locum et, si alia praeter altare loca designentur, altare semper illis esse futurum refugium sanctius. Quare non ad civitatem refugii, sed ad altare confugit Ioab 3 Reg. 2,28 sqq.

v. 13 sq. legis generalis v. 12 duos extremos casus discutiunt : unus, quo legis effectus suspendatur, quoad occisoris innocentia probetur isque liber discedat; alter, quo legis effectus nunquam suspenditur, qui est dolosa occisio *proximi*, i. e. Hebraei. Verum inter hos duos casus interiacent alii, qui quidem generali legi v. 12 subsunt, sed in quibus aliquid videtur permitti prudentiae et clementiae iudicis, neque semper ab altari erat avellendus reus : occisio Hebraei deliberata, sed non per insidias; occisio non Hebraei sive per insidias sive sine illis facta. Ceterum adscripta vox *proximum* suggerit conclusionem v. 14 esse lege v. 12 recentiorem. — Ad v. 13 notetur lectio *Syr. constitues* pro *constituam*. Facillime profecto potuit vocibus ושמת et מזבח accrescere postmodum litera י, quo mandatum v. 13^{b} vertebatur in vaticinium. Neque est, cur illud *locum* de solis civitatibus refugii interpreteris : accipe de quovis loco, qui communi aliquando consilio pro asylo sit habendus.

Sequuntur alia tria delicta capitalia. v. 15 « *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur* », etiamsi parentis mors non sequatur. « Sermo est de percussione, quae non excusatur propter imperfectionem actus » (*Cai.*). v. 16 « *Qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum, convictus noxae, morte moriatur* ». Pro *convictus noxae* habet *Hebr.* ונמצא בידו, quod nequit verti *et fuerit inventus* (ille homo) *in manu eius :* quomodo enim in potestate venditoris inveniatur, qui iam venditus est? Ergo cum *Cai.* verte : *Qui furatus fuerit hominem, sive eum vendiderit, sive inveniatur in manu eius, morte moriatur*. Deut. 24,7 haec lex explicite est de solis hominibus hebraeis furto abigendis. Tuetur hominum libertatem, quae vix minoris aestimanda est vita ipsa. « Palaestina, primaria illis temporibus mercaturae sedes, magis plagio favebat, quam ulla alia terra, et nemo tutus fuisset, nisi Moyses tam grave supplicium in illud constituisset » (*Ros.*). v. 17 « *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur* ». Lev. 20,9. Hunc versum *LXX*, fortasse correctius, scribunt immediate post v. 15, qui etiam est de parentibus. Notat *Cai.* parentum exsecrationem, similiter atque in Deum blasphemiam (Lev. 24,16) morte puniri; et *Tost.*, Deut. 21,21 filii quoque in parentes contumaciam morte mulctari.

(2) *Ad legem de homicidio additamenta tria Ex.* 21,18-23.

Arg. — Si homo liber percussus reconvalescat, restituat percussor lucrum cessans et damnum emergens. Si dominus servum suum percusserit ita, ut is post aliquos dies moriatur, satis censetur punitus amisso suo servo. Qui percusserit mulierem praegnantem, si solus abortus sequatur, pecunia mulctabitur, si ipsa praeterea mulier moriatur, interimatur.

(*a*) De viro percusso in rixa Ex. 21,18 sq.

v. 18 « *Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno* », — utramque vocem ignorat *Sam.*, dum *Syr.* loco pugni habet *baculum* — « *et ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo* », v. 19 « *si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit, ita tamen, ut operas eius et impensas in medicos restituat* ». *Hebr. : solum quietem eius pendat et mederi faciat,* restituat « lucrum cessans et damnum emergens » (*Cai.*). Agitur de percussione « non gladio, non ex intentione, sed ex repentina rixa » (*Cai.*) facta. *Lapis* et *pugnus* utique ad eminus et cominus, armis quibusdam aut nullis armis pugnantes referuntur : tamen illis vocibus includi etiam gladios, sagittas etc. (*Tost.*), vix concesserim. Agitur de rixis subito subortis, non e condicto. Quodsi in eiusmodi rixis quandoque etiam gladii stringebantur, utique per epikeiam haec lex poterat invocari. Si moriebatur vulneratus, antequam foris ambulare super baculum valuisset, mortis percussor reus censebatur, poteratque privilegio v. 13 concesso uti. Si primum egrediebatur vulneratus ambulans super baculum, et post hoc moriebatur, « censebatur mors ex negligentia curationis vel alia causa contigisse » (*Ians.*). Lex fertur de solis Hebraeis (*proximum*) : crediderim longe severius animadversum iri in non Hebraeum, qui intra terrae sanctae fines Hebraeum vulnerasset. Non omnes casus hae leges attingunt : non attingitur casus eo aevo sane inauditus mulieris graviter vulnerantis virum, neque casus servi vulnerantis herum. Mulierum rixae censebantur habere plus clamoris quam cruoris.

(*b*) De servo percusso ab hero Ex. 21,20 sq.

v. 20 « *Qui percusserit servum suum vel ancillam virga* », — vocem ignorat *Sam.* — « *et mortui fuerint in manibus eius* », — *Hebr. sub manu eius* — « *criminis reus erit* ». Servi postmodum plerique Lev.

25,44 sq. videntur fuisse non hebraei : tamen hebraei ab hac lege haud videntur fuisse exempti. Dicitur *servum suum :* qui servum alienum occidisset, videtur fuisse tractandus secundum v. 13 sq. (*Sylv.*). « Additur *virga*, quoniam castigatio per virgam seu bacillum non est de se mortifera et, si aliquando contingebat, quod ita castigati post aliquot dies morerentur, praesumi poterat, quod dominus eos non castigaverat animo occidendi, vel etiam quod non essent mortui ex illa castigatione » (*Sylv.*). Unde *Bonfr.* sentit, qui herus gladio interemisset servum, eum communi lege fuisse iudicandum. נקם ינקם, *ultionem praestabit*, non esse idem atque *morte morietur* (*Sam.*), vel ipsa expressionum diversitate manifestatur. Servorum mala generatim minoris aestimabantur, atque liberorum mala : cf. v. 21 cum 19 sq., v. 26 sq. cum 23 sqq., v. 32 cum 29 sqq. *Chald. Syr. LXX : iudicio iudicabitur,* i. e. causa iudicibus submittatur, qui omnibus perpensis aut poenam capitis aut leviorem poenam decernant. v. 21 « *Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subiacebit poenae, quia pecunia illius est* », et herus pecuniae iactura satis punitur.

(*c*) De muliere praegnante percussa Ex. 21,22 sq.

v. 22 « *Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem* », volentem forte eruere virum de manu fortioris (Deut. 25,11), « *et abortivum quidem fecerit, sed* [*ipsa*] *vixerit, subiacebit damno* », *Hebr. mulcta mulctabitur*, « *quantum maritus mulieris expetierit et arbitri iudicaverint* ». *Hebr. : et exierint infantes* (*LXX Sam. : infans*) *et non fuerit infortunium*, quam significationem generalem utique habet אסון Gen. 42,4. 38; 44,29. *LXX :* καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, quae explicat *Philo* (De special. legibus) de abortu nondum in plenam hominis formam redacto. Quomodo haec translatio e textu fluxerit, haud dispicitur. *Bonfr.* suggerit, LXX pro אסון legisse אישון. Ut אסון cum *Vulg.*, *Ios.* (IV. 8. 33) et *Ps. Ion.* ad solam restringatur matrem, ratio non est; bene vero cum iisdem et *Chald.* vox ad mortem refertur, etenim toto hoc capite, ubi agitur de percussione proximi (solis v. 15 exceptis parentibus), sola mors morte punitur (v. 23). Neque expressio ויצאו ילדים (cf. Gen. 25,25) abortum sapit, sed h. l. mere tempus significat : si egrediuntur infantes et nullum est infortunium, i. e. nulla mors neque prolis neque matris (*Cai.*), tum pro *percussione* matris infligitur mulcta. Si e contra aut foetus prodierit mortuus, aut vix natus moriatur, aut mater in partu exanimetur, homicidii ille vir reus habebitur. Si aut foetus aut mater aut ambo morerentur aliquanto post partum, fortasse epikeiae locus

erat, qualis v. 21 habetur. Si percussio locum habuerat non de industria, patebant loca refugii. Ergo non erat iniusta aut durior lex. v. 23 « *Sin autem mors [eius fuerit subsecuta* », *Hebr. si acciderit infortunium*, « *reddet animam pro anima* », vitam pro vita.

ב. *Lex de mutilatione Ex.* 21,24-27.

Arg. — Legi de percussione lethali v. 12-23 accrevit lex talionis v. 24 sq. cum suo additamento v. 26 sq. Cf. Lev. 24,20; Deut, 19,21. Pro hominibus sc. liberis lex talionis valet absolute; servorum aliquae mutilationes libertate servi compensantur.

(1) *Lex talionis Ex.* 21,24-27.

v. 24 « *Oculum pro oculo* », — supple : dabis. Falso quippe accusativos *Dillm.* ita accipit, quasi *Vulg. LXX* v. 24 sq. construant dependenter a « reddet » v. 23, et *Ku.* dicta applicat solis rixantibus (v. 22), cum aeque applicanda sint insidiantibus (v. 13), et fortasse quadamtenus inadvertenter proximum vulnerantibus (cf. ib.) — « *dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede* », v. 25 « *adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore* ». Ultima duo tamquam maius et minus sibi opponuntur etiam Gen. 4,23. Iam *Ps. Ion.* cuique nomini praefigit vocem « pretium » ; et *Ios.* (IV. 8. 35) ita describit mitiorem, quae eius aevo servabatur, praxin : « Qui alium mutilaverit, similia patiatur, privatus quo privavit alium, nisi mutilatus pecuniam malit accipere ». Nullumque est dubium, mitiorem hanc praxin legitime et probabilius ab ipso Moysis aevo esse invectam. Et occisor quidem non poterat se a supplicio redimere, quia occiso pecunia nullo usui esse poterat : at mutilato plerumque mutilatoris mutilatio exiguum afferebat commodum, pecunia utilis erat. Neque obest, quod Deut. 19,18 sqq. a falso in iudicio teste redemptio accipi prohibeatur : est enim hic specialis casus, talique falso testimonio iniuria afficiebatur non solum, qui accusabatur, sed ipsius tribunalis auctoritas. Admissa porro in lege talionis redemptione patet, gratuito asserere *Sylv.*, eam legem viguisse « inter privatos solum eiusdem sortis et conditionis », neque regem oculo mulctandum fuisse, qui subditi oculum excussisset : rex facilius ceteris subditis se pecunia redimere poterat. Praeterea, cum lex talionis non privata sed iudicum auctoritate esset applicanda, patet eam minime fuisse iniustam neque vindictae cupiditatem in immensum veluti auxisse : « non fomes, sed limes furoris est » (*Aug.* c. Faust. XIX. 25; *M.* 8. 364; cf. c. Adimant. 8; *M.* 8.

139). De lege talionis cum lege evangelica Matth. 5,38 sqq. comparata, cf. *Knabenbauer* in eum locum.

(2) *Ad legem talionis additamentum quoad servos Ex.* 21,26 sq.

Servis mutilatis loco pecuniae conceditur libertas. v. 26 « *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillae, et luscos eos fecerit* », — *Hebr. : et corruperit eum* — « *dimittet eos liberos pro oculo* [*quem eruit*] ». v. 27 « *Dentem quoque si excusserit servo vel ancillae suae*, [*similiter*] *dimittet eos liberos* » *pro dente*. « Quod hic de oculo et dente, extendunt Rabbini ad cetera omnia membra, quae semel amissa nunquam reparantur. Quatuor et viginti enumerant etc. » (*Calm.*). Sine dubio lex humana et usus plura supplevere in tam concinna lege divina. *Ps. Ion.* dicta restringit ad servos Chananaeos, *Sylv.* ad non Hebraeos : in textu nihil est, quod ei restrictioni faveat. Potuit servo Hebraeo praeter libertatem concedi pecunia pro rata temporis, quod superesset usque ad septimum annum (v. 2). Ceterum haec lex efficaciter praepediebat graviorem servorum percussionem (cf. v. 20 sq.).

β. Additamenta tria ad legem de percussione Ex. 21,28-36.

ℵ. *De bove cornupeta Ex.* 21,28-32.

v. 28 « *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur* », « in detestationem et horrorem facti » (*Cai.*), et secundum illud Num. 35,33 : « nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit ». Haec lex affinitatem habet plurimam cum illo Gen. 9,5 : « Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum ». « Quo Deus homines magis averteret a crudelitate et homicidio..., sollicite praescribit mortis poenam in bruta, quae hominem peremerint. Sunt enim bruta servitiis hominum facta; quare, cum pro servitio damnum inferant et incommodum, merito destruenda sunt » (*Calm.*). « *Et non comedentur carnes eius* », quia immundae habentur (*Keil*) et sanguis a carne non est separatus. « *Dominus quoque bovis innocens erit* », neque quidquam solvet, quod is, qui damnum tulit, mortuus nihil accipere queat. Haec lex universim ponitur, pluraque sequentibus legibus et usui definienda relinquuntur. Nihil omnino dicit de casu, quo bos hominem non occidit, sed graviter vulneravit. Loquitur textus de solo *bove*, ubi iam *Sam.* supplet *et omne pecus*. Cornu utique, id enim habet נגח, solus bos hominem adultum perimere potuit, vix aries. Sed quid de ungulis? Ubi monet *Tost.*, ungulis perimi nonnisi imprudentes.

Haud dubium, quando ungulis aut morsu alicuius animalis domestici homo interiisset, iudices sententiam tulisse ex analogia legis h. l. descriptae. v. 29 « *Quodsi bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius* »; i. e. « a multo tempore », vel certe « antea » (*Vat.*), « *et contestati sunt dominum eius* », — coram testibus monuerunt, quo res iudicio probari posset; et *Ps. Ion.* prodit exactam postmodum esse trinam monitionem — « *nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem : et bos lapidibus obruetur, et dominum eius occidet* ». Si quis ad bovem reclusum ingressus interficiebatur, dominus innocens erat (*Sylv.*). v. 30 « *Quodsi pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua, quidquid fuerit postulatus* », « secundum discretionem iudicis » (*Sylv.*). Cum vix non semper dominus peccaverit non ex malitia, sed e negligentia, poena capitis in desuetudinem abiit, et *Ps. Ion.* solum loquitur de morte, « quae immittatur ei de coelis ». Aliis verbis, ni Deus evidenti miraculo hominis malitiam patefaceret, maluere haeredes mulctam accipere, quam hominem occidere. v. 31 « *Filium quoque et filiam* » nondum adultos « *si cornu percusserit, simili sententiae subiacebit.* » v. 32 « *Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur* ». Domino solvitur pretium servi : unde iam patet, non locum esse hic ei, quam *Sylv.* volebat, distinctioni inter servum non hebraeum et servum hebraeum. Quam minime confirmat *Dillm.* asserens, ex Lev. 27,3 servi hebraei pretium fuisse non triginta, sed quinquaginta siclorum : inspice locum et videbis, nequaquam ibi agi de servis, aliud pro viris et aliud pro feminis scribi pretium, rem tractari toto coelo diversam.

ב. *De iumento lapso in cisternam. Ex.* 21,33 sq.

Agmen claudunt caedes in animalia patratae. v. 33 « *Si quis aperuerit cisternam* » iam ante effossam, « *et* » — seu verius *aut* (*Hebr.*) — de novo « *foderit, et non operuerit eam, ecciderintque bos aut asinus in eam* », v. 34 « *reddet dominus cisternae pretium* [*iumentorum*]; *quod autem mortuum est, ipsius est* ». Plena fit restitutio. Impeditior sententia apud *Hebr. Sam. LXX Chald. : restituet pecuniam, reddet domino eius.* Poterat ישיב לבעליו esse explanatio praecedentis membri, a margine in textum invecta. *Sam.* rursum addit *et omne pecus; Ps. Ion.* rem limitat ad cisternas « in platea » : lex a Moyse lata decursu temporum magis est explicata et limitata.

ג. *De mutuis iumentorum laesionibus Ex.* 21,35 sq.

v. 35 « *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus*

fuerit, vendent bovem vivum et dividunt pretium, cadaver autem mortui inter se dispertient ». Damnum aequaliter dividunt. v. 36 « *Sin autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove, et cadaver* [*integrum*] *accipiet* ». Totum damnum ipse feret.

c. Novella de damnificatione Ex. 22,1-17.

Refertur ea ad mandatum de non furando. Materiam non exhaurit, sed ea attingit, quae facilius in simplice gente obtinerent. Hinc neque uti praecedens lex a perantiquis quibusdam (21,12. 15. 16. 17. 24 sq.) axiomatis proficiscitur hisque suas conclusiones subnectit, sed tota constat *conclusionibus septem* a voce כי incipientibus (v. 1. 5. 6. 7. 10. 14. 16), quarum *membra* voce אם adnectuntur (v. 2. 3. 4. 7^{b}. 8. 12. 13. 15. 17). Lex ad illa beata tempora nos revocat, Moyse utique antiquiora (cf. Lev. 25), ubi hominum divitiae solis pecudibus et segetibus constabant, non ob aliam quam pecudum abigendarum causam fur domum effringeret; tamen servitus iam exsistebat.

α. Conclusio de reparatione pro furto iumenti facienda Ex. 22,1-4.

Arg. — Conclusio quinque membris constat non ordine logico enumeratis, sed prout aut forte colligebantur aut nascebantur. Fures non consueverunt animalia abacta apud se retinere, quibus facilius proderentur, sed ea aut mactant aut vendunt : his v. 1 pro bove reddendum praescribitur quintuplum, pro ove quadruplum. At quandoque fur in ipsa effractione occidebatur, quare adscriptae conclusiones v. 2. 3^{a} : occisor effractoris nocturni innocens habetur, diurni mulctatur. Ne porro furandi licentiam sibi arrogarent pauperes, additur conclusio v. 3^{b} : pro mulcta procuranda vendantur. Manet tandem casus eius, penes quem animal abactum vivum deprehendatur : sciat is, praeter restitutionem sibi mulctam fore imponendam v. 4.

Caput XXII v. 1 « *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove* » (cf. 2 Reg. 12,6). Cur *quinque* et *quatuor?* « Praeter legislatoris voluntatem difficile est huius rationem assignare » (*Bonfr.*). Volebat sane legislator efficacius a furto bovis, quam a furto ovis deterrere : quare graviorem indixit mulctam. v. 2 « *Si effringens fur* [*domum sive suffodiens*] *fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit,* [*percussor*] *non erit reus sanguinis* ». Cum במחתרת indubie opponatur sequenti זרחה השמש, videtur illud *in effractione* ad significationem deflexisse temporalem, quod sc. domorum effrac-

tiones non nisi *noctu* effici consueverint. v. 3 « *Quodsi orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit et ipse morietur* ». Subiectum est percussor. Nefas esse affirmatur furem interdiu occidere, quod interdiu fur facilius a sicario dignoscatur (*Aug.*), facilius agnoscatur et deprehendatur (*Men.*), facilius etiam salva vita repellatur (*Bonfr.*). Furis autem diurnus occisor plectitur secundum legem 21,12; si lectionem sequaris *LXX Vulg.*, qui מות ימות legunt loco שלם ישלם. Sed haec altera lectio et critice et intrinsece est probabilior : *muletabitur*, iudicio sane iudicum. Propter solum deficiens moderamen inculpatae tutelae non erat morti dandus possessor, qui sua a fure defendisset. « *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venumdabitur* ». *Hebr. : certissime reddet; si non habet, vendatur propter furtum suum*, serviturus usque ad septimum annum (*Ps. Ion.*). Monentur fures, illam v. 1 quinque boum pro uno etc. restitutionem tam serio urgeri, ut si eam fur praestare nequeat, obligetur ad se ipsum divendendum, et pretium possessori rei ablatae persolvendum. En tibi duplicem servitutis originem : unam captivorum bello abductorum, alteram furum vel etiam debitorum divenditorum. v. 4 transit ad casum, quo res furto sublata nondum sit divendita aut consumpta (v. 1), sed integra penes furem deprehendatur : tum duplum eius, quod ablatum fuerat (cf. v. 7. 9), restituendum est. v. 4 « *Si inventum fuerit apud eum, quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet* ». Ex adiecto *asino* infert *Cai.*, etiam v. 1 bovem et ovem tantum exempli ergo efferri, et reliqua animalia domestica includi, ita ut pro maioribus ib. quintuplum, pro minoribus quadruplum restituere oportuerit.

β. Conclusiones duae de reparatione pro corrupta segete facienda Ex. 22,5 sq.

Arg. — Cuius iumentum depastum est alterius viri segetem, is tantum restituat, quantum absumptum est; et absumpta supponantur fuisse eius agri optima. Cuius incuria ignis vicini segetem invasit, is damnum resarciat.

Agitur de damno inflicto « sive per industriam sive per negligentiam » (*Bonfr.*). v. 5 « *Si laeserit* » — verius *depastus fuerit*, nam eadem vox bis in eodem versu accepta bis eodem, nisi evidens obstet ratio, accipienda est sensu — « *quispiam agrum vel vineam, et dimiserit iumentum suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro* [*suo*] *vel in vinea,* [*pro damni aestimatione*] *restituet* ». Vocem *suo* supplevit *Vulg.* : quaeri potest, agaturne de laesoris an de laesi agro. *Hebr. : optima agri et optima vineae restituet*. Longiorem *Sam. LXX* habent textum, post אחר inserentes שלם ישלם משדהו כתבואתה

יאם כל שדה יבעת; *certissime de suo agro restituet secundum proventum eius; si autem totum agrum depastus fuerit, optima agri et optima vineae restituet.* Longior hic textus videtur e breviore fluxisse, quem Hebr. habet. Agrum interpretabantur *suum*, i. e. laesoris. Num igitur pro laesione fortasse e mera negligentia profecta neque ita magna tenebatur laesor optima quaeque sua rependere? Durum id erat nimis. Explicabant ergo restitutionem fieri oportere damno proportionatam; quodsi vero per supremam negligentiam totum agrum depastus esset laesor, ut, quales agri fructus fuissent, non facile posset discerni, tum debere laesorem optima quaeque sui agri pro restitutione pendere. Haec explicatio aliqua arbitrarie in textum ingerit, neque omnem removet dubitationem. Quid enim, si optima illa, quotquot fuissent, non sufficiebant ad damnum resarciendum? Supponamus iam cum *Cai.* agi de optimis agri non laesoris, sed laesi. Mandatum ad brevissimam formam redactum erit hoc : Si depastus quis fuerit agrum vel vineam alienam, optima eius agri et optima eius vineae restituet. Pronum quippe erat, ut hac in re laesor se excusaret, nonnisi viliores fructus fuisse eos, quos iumenta depasta essent; decebat vero, ut ea in re praesumptio laeso faveret, non laesori : praesumebantur igitur, legem ferente Deo, quae absumpta fuerant, semper fuisse in suo genere optima. Restitutionem praeterea factam esse pro rata damni, per se patet. Haec lex plana est, iusta ac minime ambigua. Adiecta autem est, uti crediderim, ab aliquo Moyse recentiore penitior sed satis superflua criminis descriptio, ut depasci agrum alienum idem esset, atque immittere iumenta e negligentia in agrum alienum, eaque ab eo depascendo non prohibere. v. 6 « *Si egressus ignis invenerit spinas* », « sepem spinarum, qua sepiuntur segetes » (*Ians.*), — verba produnt agi imprimis de incendio involuntario — « *et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris* », — sed pro *in agris* habent reliqui *sive agrum*, totum sc. agrum cum segete, arboribus etc. — « *reddet damnum, qui ignem succenderit* », non vero duplum, quia fortuito ignis supponitur esse exortus (*Dillm.*). Censetque *Sylv.*, similem sententiam ferri consuevisse, quando alia praeter agros fortuito incendio absumerentur.

Habetur sane v. 5 sq. lusus inter duas significationes unius verbi בער, *depasci* et *incendere* : v. 5 יבער (*Sam.* יבעיר), בער, בעירה; v. 6 המבער את הבערה.

γ. Conclusiones duae de reparatione pro deposito furto ablato facienda Ex. 22,7-13.

« Duae sequentes leges sunt de deposito, prior de deposito rei inanimatae, altera v. 10 de deposito rei animatae » (*Bonfr.*).

א. *De deposito rei inanimatae Ex.* 22,7-9.

Arg. — Si deprehendatur is, qui depositum furatus est, duplum reddat possessori; si non deprehendatur, iuramento coram iudice se purget depositarius.

v. 7 « *Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, et ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet* » ei, qui deposuerat; non depositario (*Sylv.*). Duplum (v. 4) erat mulcta ablatae rei, excepto casu v. 1. v. 8 « *Si latet fur, dominus domus applicabitur* », accedet « *ad deos* », — *LXX ad Deum;* sed recte *Chald. Syr. ad iudices* (cfr. 21,6); et nota, v. 9 *Sam.* pro hoc אלהים, quod iudices significat, substituisse יהוה, quo doceris, quam arbitrario quandoque divina nomina fuerint mutata — « *et iurabit, quod non extenderit manum suam in rem proximi sui* ». Iuramentum *Vulg. LXX* e v. 9 supplevere. *Hebr. : si non extenderit etc. :* haec est quaestio a iudicibus definienda. Perperam *Cai.*, cui favet interpunctio et fere etiam constructio nostrae *Vulg.*, priorem v. 9 partem iungit versui 8 : iurandum fuisse depositario, se nunquam in tota vita sua perpetrasse fraudem etc. contra proximum; ni iuraret, praesumptionem futuram contra ipsum. Iuramentum fuisset exorbitans, et condemnatio iniusta. Iurandum erat depositario de una illa re, quae furto fuerat ablata : eo « iuramento purgabat se » (*Men.*). Porro hac prima occasione elucidandae fraudis adiicitur generalis *regula pro fraudibus elucidandis* v. 9 : « *Ad perpetrandam fraudem, tam in bove quam in asino et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest : ad deos utriusque causa perveniet et, si illi iudicaverint, duplum restituet proximo suo* ». *Hebr. : Super omni accusatione fraudis*, ad quamcunque rem illa referatur, v. g. *super bove, super asino, super ove, super vestimento, super omni re amissa, de quibus dicitur, quod hoc* — supple : est; quae asseruntur esse דבר פשע — : *ad iudices deferatur causa amborum. Quem iudices condemnabunt, is restituet duplum proximo suo.* Si depositarius aliusve, qui in suspicionem venit, criminis convincitur, duplum restituit depositori; at non depositor, si depositarius innocens demonstratur, duplum ipse solvit (*Cai.*). Nihil enim debet depositario. Quodsi depositor demonstretur studiose suspicionem in depositarium direxisse, utique subiicietur poenae Deut. 19,19 in falsos accusatores statutae (*Sylv.*).

ב. *De deposito rei animatae Ex.* 22,10-13.

Arg. — Quando iumentum alterius viri curae commissum detri-

mentum sit passum, nullusque adfuerit facti testis, poterit se depositarius iuramento purgare; si vero ipse iumentum furatus sit, furtumque sponte fateatur, restituat. Quando iumentum fuerit discerptum, loco iuramenti et ad probandum factum proferat id, quod reliquum repererit.

v. 10 « *Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem et omne iumentum ad custodiam, et mortuum fuerit aut debilitatum* » — *Hebr. fractum* — « *vel captum* [*ab hostibus*], *nullusque hoc viderit* », — « si enim essent testes, ipsorum testimonio stari oporteret, non esset recurrendum ad iuramentum » (*Sylv.*) — v. 11 « *iusiurandum* » *Iahve* (*Hebr. Sam. Chald. Syr.;* e contra *LXX* θεοῦ), cum invocatione ss. nominis pronuntiatum (cf. 2 Reg. 21,7 ; 3 Reg. 2,43), « *erit in medio* », *Hebr. inter illos duos*, « *quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus iuramentum, et ille reddere non cogetur* ». Depositor iuramentum illud debebit pro rato habere. depositarius liber censebitur restitutionis obligatione. — Facit autem difficultatem v. 12 iubens simplicem pro furto restitutionem, cum videatur contradicere versui 7 duplicem statuenti. Quare *Ps. Ion.* censet, v. 7 agi de deposito custodiendo gratuito, v. 12 de deposito custodiendo pro mercede. Suppositio est arbitraria, difficultatem non solvit sed auget : nonne is severius puniendus erat, qui ea, pro quibus custodiendis mercedem accipiebat, furatus erat, eo qui gratuito custodienda susceperat? Alii sistunt in voce גנבו. Cuius eum esse sensum affirmat *Men.*, rem ablatam esse depositario « vidente aut sciente aut alioqui culpae aliquo modo participe »; dum *Bonfr.* ex eadem voce infert, rem ablatam esse ab ipso, cui fuerat commissa, depositario. Certe neutrum sensum habet ea vox, neque unquam עם induit sensum passivum, correspondentem latino *ab*, graeco ὑπό. Neque *Bonfr.* rationem demonstrat, cur a duplo restituendo eximatur nefarius ille depositarius. Constructio sequentes admittit interpretationes. Prima, ut *furto ablatum* opponatur participiis v. 10 *mortuum, fractum, abductum*. Si *abductum* fuerit iumentum, iuramento se purget depositarius, nihil restituat; si vero *furto abductum*, restituat, ad iuramentum non admittatur. At quaenam practice habetur differentia inter *abduci* et *furto auferri?* et quo argumento ea differentia demonstrari poterat, ubi *nemo vidisset?* Ac tandem lex hoc sensu intellecta esset iniqua. Secundo, possunt intimius v. 11 et 12 hoc modo iungi : si depositarius se iuramento purgaverit, nihil restituet; excepto casu, quo reapse iumentum ipse furatus sit *ab ipso*, sc. a domino v. 11 seu depositore, quo igitur peieraverit : in hoc casu restituet, sed non duplum. Si textus ita accipiatur, privilegium veluti confertur periuro, cuius

melior erit conditio conditione furis, qui non peieravit. Manet tandem tertia explanatio ceteris praeferenda. Haec etiam intime iungit v. 11 et 12. Quando depositum interierat aut deterius evaserat, « iusiurandum Iahve erat in medio ». Si depositarius iuramento suam profitebatur innocentiam, hoc iuramentum pro rato erat habendum. Sane quandoque homines peierabant : tum falsum iuramentum pro vero habebatur, donec periurium detegeretur; eo detecto depositarius periurus et ad duplam restitutionem et ad subeundas poenas periuris propositas adigebatur. At, quo aevo homines summa iuramenti reverentia tenerentur, eveniebat sane, ut nequam ille depositarius a iuramento resiliret atque ita furtum confiteretur; quia vero tum non testibus aut argumentis aliunde petitis, sed spontanea confessione convincebatur, aliqua ei non immerito indulgentia concedebatur, rem ablatam, non duplum restituebat. Quae lex sapientissima reos etiam movebat, ut potius faterentur furtum, quam peierarent : furtum fassi nihil amittebant, quod suum esset, ad solam restitutionem rei non suae adigebantur. v. 12 « *Quodsi furto ablatum fuerit, restituet damnum domino* ». Tandem v. 13 casum discutit, qui ad v. 10 enumeratos pertinebat, sed alia ratione erat expediendus, quando sc. fera aliquod de gregibus animal discerpserat, et ossa aut alia animalis discerpti pars reperta erat : tum iuramento non erat locus, sed ea pars tamquam facti et innocentiae depositarii argumentum afferebatur, depositarius liber abibat. v. 13 « *Si comestum a bestia* », — *Hebr. si discerptum fuerat* — « *deferat ad eum* », sc. ad dominum, « *quod occisum est* », — טרפה, proprie *dilaniationem*, cf. Gen. 31,39 — « *et non restituet* ».

Suffixum in יבאהו ad partem animalis mutilam refertur, non ad dominum : illa erat afferenda ad dominum non dominus in eum fortasse remotiorem locum abducendus. עד *LXX* vertere *ad; Targ. Syr. Masor.* planius vertere *testis : deferat illud tamquam testem* suae innocentiae; *quod dilaniatum fuerit, non restituet.*

δ. Conclusio de reparatione pro commodo facienda Ex. 22,14 sq.

Arg. — Commodatarius restitutionem faciat pro iumentorum detrimento, quod passa sunt commodatore non praesente; in mercede tamen, si mercenarius sit, commodatarius ne mulctetur.

v. 14 « *Qui a proximo suo* [*quidquam horum*] *mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non praesente, reddere compelletur* ». Agitur iam de *commodato* seu *mutuo*. Porro, dum depositario offertur res propter bonum depositoris, commodatarius exposcit rem propter suum ipsius bonum. Cf. *Cai.* Recte quoad sensum

addidit *Vulg. quidquam horum :* nam agi uti antea de animalibus domesticis, contextus docet. Sed minus feliciter *LXX* v. 10 imitati adiecerunt *aut captum fuerit :* cum enim animal captum auferatur sive ab hoste sive a fera, parum refert, praesensne adfuerit dominus, necne. v. 15 « *Quodsi impraesentiarum dominus fuerit, non restituet* », — « dominus commodans fuit in culpa, videns coram se rem suam male tractari, et non prohibens » (*Tost.*) — « [*maxime*] *si conductum venerat pro mercede* [*operis*] *sui* ».

אם שכיר הוא בא בשכרו, ubi *Sam.* legit ובא, eandemque lectionem videtur secuta esse *Vulg.*, duo verba *conductum* et *venerat* construens dependenter a *si*. Tamen haec sententia conditionalis construenda est ut tot aliae in hoc contextu, ut prior eius pars exprimat conditionem, altera conditionatum. *LXX :* ἐὰν δὲ μισθωτὸς ᾖ, ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ. *Syr. : mulctabitur in mercede sua. Ps. Ion.* : « venit *damnum* eius cum mercede eius ». Consentiunt hi fere in eo, subiectum verbi בא esse animal mortuum aut vulneratum, aut rem, damnum, poenam; et בא ב edicere, illam rem seu mulctam intrare in mercedem, computari in illa, subtrahi ab illa. Quae e literis rabbinicis affert *A. Geiger* (Urschrift u. Uebersetzungen der Bibel, Breslau 1857, p. 191 sq.) ad hunc sensum stabiliendum, parum sunt efficacia. E V. T. pro בא ב sola demonstratur significatio *ingredi ad* (Ios. 23,7. 12), *admitti ad* vel *inter* (Deut. 23,1 sqq.; Ps. 68 [69], 28). שכיר Lev. 19,13 et Is. 16, 14 significat *mercenarium*, i. e. hominem pro mercede laborantem. Quae significatio est retinenda cum *Syr. Targ.* (אגורא) et, uti videtur, etiam cum *LXX* ; alterius, cui *Vulg.* favet (*animal*) *conductum* adstruendae sufficiens non cernitur ratio. Potest igitur sententia tota sic commode verti : *si mercenarius est ipse, admittatur ad mercedem suam*, retineat illam, non mulctetur in mercede sua. Scriptura in re, ubi commodatarius aut nullius aut exiguae tantummodo negligentiae coarguitur, exceptionem statuit in favorem *pauperum* mercenariorum, qui secus ab heris facile opprimerentur, ut Iacob opprimebatur a Laban. Cui versioni favet *Ios.* (IV. 8. 38), qui de hoc mandato libere disserens sic ait : « Si quis mercedem eorum retinuerit, qui corporibus suis operantur, meminerit hominis pauperis mercedem non esse retinendam, cogitetque eam illi praebuisse Deum pro terris atque aliis possessionibus ». Ad hanc versionem ceteris propius accedit *Vulg.*, imprimis inserta voce *maxime*, quae privilegium indicat mercenariis concessum. Hanc versionem commendant ingeniosae quidem, at simul violentae, quae ab aliis interpretibus traduntur, nostri textus expositiones.

ε. Conclusio de reparatione praestanda pro seducta filia virgine Ex. 22,16 sq.

Arg. — Seductor seductam ducat. Si pater eam illi permittere recuset, patri dotem solvet seductor.

Seductio virginis non desponsatae « tamquam *furtum* est virginitatis » (*Cai.*), vel potius tamquam furtum rei ad patrem pertinentis : cf. 21,7 (*Keil*). E contra seductio sponsae habebatur pro adulterio. Deut. 22,23 sqq. agitur de violenta virginis oppressione et de peccato cum desponsata. v. 16 « *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam* [*et habebit eam*] *uxorem* ». פתה, *persuaderi* excludit violentam oppressionem, excludit item ca-

sum mulieris se ipsam offerentis (*Tost.*). Dos erat pretium, quod patri pendebatur pro filia ducenda. v. 17 « *Si pater virginis dare noluerit, reddet* » seductor « *pecuniam iuxta modum dotis, [quam] virgines accipere consueverunt* ». Iam altera tempore *Ps. Ion.* accreverat conditio : « si non est digna ipso, aut pater etc. ».

d. De tribus delictis capitalibus Ex. 22,18-20.

Arg. — Maleficae interimendae, uti etiam qui cum iumentis coeunt, et qui diis immolant. Cum delictis capitalibus 21,12. 15. 16. 17 hae leges id habent commune, quod a participiis ordiantur. Sunt leges perantiquae, licet illis quatuor fortasse minus antiquae : prius quippe in re publica oportuit condi leges contra homicidas et parentum contemptores, quam contra maleficas et bestiarum concubitores. Lex v. 20 nata est circa idololatriae initia, quando incipiebant homines honorare spiritus creatos sacrificiis, quae soli creatori sunt reservanda. Item, ubi plene evoluta est idololatria, non solent maleficiis v. 18 solae mulieres indulgere, sed item viri.

v. 18 « *Maleficos non patieris vivere* ». Reliqui praeter LXX *Maleficas*, sc. « textus id expressit, quod communius accidit » (*Sylv.*); mulieres ad eas artes proniores sunt. Vocem מכשף habes 7,11. v. 19 « *Qui coierit cum iumento, morte moriatur* ». v. 20 « *Qui immolat diis, occidetur* » : *Sam.* אחרים יחרם : prior vox facillime excidebat ob similitudinem sequentis vocis, panditque rationem aliquam, cur pro consueto בית יזבח h. l. scribatur יחרם, *devorabitur, exterminabitur*. *Sam.* item ignorat sequens incisum : « *praeterquam Domino soli* », quod facile potuit pie addi ab aliquo recentiore. Non assuevit Moyses (cf. 15,11) Iahven eodem veluti in gradu cum reliquis diis collocare.

e. Novella de advenis Ex. 22,21.

Arg. — Aequitas in eos commendatur, adscripta ratione quae legem hac forma non esse Moyse antiquiorem demonstrat.

v. 21 « *Advenam* », alienigenam vel ad tempus vel permanenter inter Hebraeos commorantem (*Calm.*), « *non contristabis* », i. e. non opprimes, « *neque affliges eum : advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti* ». Reliquas gentes, imprimis postmodum, despiciebant Hebraei, et facilius opprimuntur advenae (*Cai.*). In advenam pietas frequenter inculcatur (12,49; 23,9; Lev. 3,9; 25,14); imo ille ut indigena tractari iubetur (Lev. 19,33 sq.; Deut. 10,19). Cf. Ex. 23,12; Lev. 19, 10; 23,22; 25,6; Deut. 14,29; 16,11. 14; 24,14 sqq.; 26,11 sq.; 27, 19. Soli Chananaei severe excluduntur.

f. Novella de viduis et pupillis Ex. 22,22-24.

Arg. — Commendatur pietas in illos, addita comminatione eos, qui illos contristaverint, a Deo punitum iri in suis uxoribus et liberis.

Stilus non est idem atque cap. 21 sq.; אם v. 23 non inchoat novum membrum, sed meram sententiam conditionalem. Stilus est affinis aliarum pericoparum, quas Moysi tribuendas censemus, v. g. Lev. 25 sq. Habetur potius pia adhortatio quam lex; non indicitur poena civilis neglecturis, sed poena sola ordinaria Dei providentia infligenda.

v. 22 « *Viduae et pupillo non nocebitis* » (Zach. 7.10). Reliqui praefigunt *omni*. v. 23 « *Si laeseritis eos* », — *Hebr. Sam. Chald. eum*, quemlibet eorum — « *rociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum* », « ad quem velut unicum suum adiutorium habent refugium » (*Sylv.*); v. 24 « *et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae et filii vestri pupilli* ».

g. Novella de egenis Ex. 22,25-27.

Arg. — Pauperes non premendi in debitis et usuris exsolvendis; unicum pallium, si in pignus receptum fuerit, ante noctem reddatur.

Haec affinia sunt exhortationum v. 21-24. Non statuitur poena civilis, sed Dei providentia ultrix v. 27 demonstratur. Habetur אם initio v. 25 sq., quasi subnectatur v. 25-27 extensio quaedam legis misericordiae antea traditae. Haud mirum, Moysen, qui tot leges antiquas collegerit, quandoque etiam earum stilum imitari. v. 25 « *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, [qui habitat] tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes* ». *Hebr. : non eris ei quasi creditor, non imponetis ei usuram.* Duo prohibentur : ne « importune et severe urgeant mutui redditionem » (*Bonfr.*), et ne usuram exigant. Etenim Lev. 25,35 sqq. interdicitur usura a paupere Hebraeo, et Deut. 23,19 sq. (20 sq.) a quovis Hebraeo accipienda, permittitur autem ab alienis petenda : sed nota usurae nomine etiam venire foenus, quod omnino est iustum.

v. 26 « *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum* » superius et exterius, quod inter laborem deponebatur, sed quo noctu dormientes obvolvebantur, « *ante solis occasum reddes ei* » (Deut. 24,13). Agitur de paupere unicum habente pallium (*Tost.*). v. 27 « *Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat* ». *Hebr. : quia ipsum est operimentum eius, ipsa sola vestis pelli eius : in quonam dormiet?* ἱμάτιον αἰσχημοσύνης, quo indi-

get non ob pudicitiam, habet enim vestem interiorem, sed propter decentiam. « *Si clamaverit ad me* » pallio privatus, « *exaudiam eum, quia misericors sum* ». Clamat hic, uti alii v. 23 vociferabantur, conquerentes de duritie pigneratoris.

Admirationem v. 25 facit את עבי, cum neque populus pauper futurus esse supponatur, neque quadret sequens עבך : quomodo enim mutuum dans se discernat a reliquo populo? *Chald. Syr.* explicant : *in populo meo, pauperi.* Fortasse genuina est lectio *LXX* את אחך. — Item habet admirationem pluralis תשימון post singularem תהיה, unde quidam coniiciunt, ultimum incisum esse interpretamentum praecedentis.

h. Novella de magistratibus Ex. 22,23.

Arg. — Magistratibus haud impune obedientia negatur, at satis impune convicia in illos congeruntur. Quae hac lege prohibentur.

v. 28 « *Diis non detrahes et* » — prioris membri subiicitur explicatio (*Bonfr.*) — « *principi populi tui non maledices* ». *LXX* θεούς. Absurde vero *Ios.* (Ant. IV. 8. 10; c. Apion. III. 33) et *Philo* (De Monarch. I. 7, p. 219; De vita Moysis III. 26, p. 166) id referunt ad falsos gentium deos; unice vere *Targ. Syr.* ad *iudices* (cf. 21,6; 22,8 sq.). Cum v. 21-27 Moysi tribuamus auctori, itemque v. 29 sq., quaerat quis an eidem concedendus sit v. 28. Procul dubio exsistebat antiquitus in stirpe electa axioma aliquod de reverentia magistratibus propriis debita, licet in Aegypto, Pharaonis exactoribus omnem sibi arrogantibus auctoritatem, exigua fuerit illorum magistratuum auctoritas et fortasse item reverentia. Erat autem Moysi gravis ratio eius auctoritatis commendandae contra sacerdotum insolentiam. Ergo aut antiquum h. l. axioma inseruit, aut suis verbis eius mentem expressit.

i. Novella de iis, quae Deo debentur, suis temporibus persolvendis Ex. 22,59 sq.

Arg. — Quae Iahve debentur, statutis temporibus, sine moris ei pendantur. Sunt ea primitiae, primogenita, et ea, quae alio ei titulo debentur, v. g. voti.

Duplex *mihi* Moysis calamum prodit nomine Iahve loquentis. Primitiarum et primogenitorum sanctitatem exstitisse Moyse longe antiquiorem, dicebamus ad 13,2. v. 29 « *Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere* ». Sc. *abundantiam* (*Hebr.*) rerum aridarum, ut frugum et fructuum, et *liquida,* ut vinum, oleum, mel (*Sylv.*), statim persolves, dum in animalibus (v. 30) septem saltem dies exspectabis. Duae autem illae expressiones non necessario solas primitias respiciunt, licet illas certe includant. Quas diserte efferunt *Vulg. LXX Syr. Ps. Ion.* « *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi* ».

Confirmatur generali omnino modo lex 13,2. 12 statuta, quae in recensendis iis, quae Deo consecranda sunt, apte in memoriam revocatur. v. 30 pro *similiter* verte *sic*, nequaquam enim suggeritur, primogenitum etiam filium octavo die debere offerri. v. 30 « *De bobus [quoque] et ovibus similiter facies : septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi* ». Sicut v. 29^{a} non agebatur de solis primitiis, ita neque v. 30 de solis primogenitis : ante diem octavam nullum animal Deo « detur », i. e. « consecretur » (Deut. 15,19) et hinc ab aliis, etiam a matre separetur; die vero octava separetur; eadem die vel « deinceps », uti sapienter explicat Lev. 22,27, Deo tradatur. Eiusmodi animalia Deut. 15,19 etiam tum quandoque penes herum reperiri supponit, quando iam arando sint paria. Cf. *Hoonacker* p. 8 sqq.

Series altera trium legum Ex. 22,31-23,12.

a. Novella de sanguine non comedendo Ex. 22,31.

Arg. — Post formulam hanc seriem a praecedente distinguentem, sequitur lex noachica de sanguine non comedendo, ea forma quae in deserto esset magis opportuna. Non erat ibi periculum, ut in castris et sub ipsius Moysis oculis non rite mactarent, erat autem ut carnibus in agro repertis animalium a feris discerptorum pro cibo uterentur.

v. 31 « *Viri sancti eritis mihi* ». Consuetae formulae verba conformantur divinae 19,6 promissioni : « eritis mihi gens sancta », eamque in memoriam revocant. Quae porro ab Hebraeis exigitur h. l. sanctitas, constat observatione praecedentium et sequentium mandatorum moralium, imprimis exteriore. » *Carnem, quae a bestiis fuerit praegustata, non comedetis, sed proiicietis canibus* » (Lev. 22,8).

b. Novella de iustitia in iudiciis servanda Ex. 23,1-9.

v. 1-9 nova est series mandatorum (*Tost.*), quae respiciunt mandatum de non ferendo falso testimonio. Bene *Masor. Sam.* textum distinguunt post v. 3.9, bene item *Masor.* post v. 5, minus bene iidem post v. 4, cum v. 4 sq. separandi non sint. Dum v. 1-3 et 6-8 constant concinnis sententiis negativis, v. 4 sq. sunt sententiae positivae conditionatae : כי quippe v. 4 sq. nequaquam novam e praecedentibus conclusionem orditur. v. 1-8 non sunt leges ad instar legum 21,1-22,17, sed sunt veluti proverbia quaedam a priscis sapientibus in re non ferendi falsi testimonii edita. Quandoque poesin sapiunt et parallelismo indulgent : v. 2.4 sq. 8. Cum v. 1-3 aliqua habeantur quae solos tes-

tes, nihil vero quod non etiam testes respiciat; cum v. 4 sq. censeamus imprimis intelligendum esse de litigantibus; cum v. 6-8 aliqua habeantur quae solos iudices, nihil vero quod non etiam iudices spectet : arbitramur v. 1-3 tradi regulas pro testibus, v. 4 sq. pro litigantibus, v. 6-8 pro iudicibus, v. 9 advenas a vexationibus iudicialibus defendi. Dum v. 1-8 omnino videantur esse Moyse antiquiora, v. 9 verbotenus fere consonans cum 22,21, a Moyse crediderim esse adscriptum.

α. Monita pro testibus Ex. 23,1-3.

Arg. — Falsos rumores pro veris non proferant. Non dent falsum testimonium in favorem impii, qui dives est et potens. Non accedant sententiae plurium, cuius non perspectam habeant veritatem. Non dent falsum testimonium in favorem pauperis. Aliis verbis : non studeant divitibus neque pauperibus neque « maioritati », sed uni studeant iustitiae.

Cap. XXIII v. 1 « *Non suscipies vocem mendacii* ». שׁמע exponatur uti 20,7, ergo : Non proferas (ore) rumorem falsum, sive quem primus excogitaveris (*Vat.*), sive quem post alios repetas (*Ps. Ion.*). « *Nec iunges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium* ». *Hebr. : Ne ponas manum tuam cum impio*, ne ei te iungas (*Sylv.*), ei confoedereris (*Men.*), *ad esse falsum testem*, quod exponi potest *ut sis* vel *ut sitis*, minus commode *ut sit :* nam verba ipsum eum, quem alloquuntur, a falso testimonio retrahere student, et quidem praestando *pro* impio et in eius favorem, vel consentiente impio *contra* alium aliquem (*Mar.*). v. 2 « *Non sequeris turbam ad faciendum malum* ». *Hebr. : Non eris post multos etc.* Sententia vi verborum universalis, ob contextum cum v. 1 ad testes restringatur oportet. *Malum* intelligitur falsum testimonium, sive pro aliquo sive contra ipsum edatur. In ferendo testimonio non est pendenda aliorum testium auctoritas aut favor, sed sola rei veritas. Eundem sensum exprimit altera versus pars : « *Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies* ». *Hebr. : neque respondebis in lite, ut deflectas post multos*, eorumque accedas testimonio, *ad flectendum ius* (cf. v. 6; Deut. 27,19; Thren. 3,35). Vox *respondere* etiam habetur 20,16, ubi certe non restringitur ad iudices; licet vox quandoque sensu latiore sumatur, tamen nativo sensu potius testibus aut partibus convenit quam iudici, cuius officium est non respondere sed interrogare. v. 3 « *Pauperis quoque non misereberis in iudicio* », *Hebr. in lite eius. Ps. Ion. :* « pauperis, qui reus est in iudicio suo, non accipies personam, ut miserearis eius ». « In iudicio habeatur ratio iustitiae dum-

taxat : et propterea prohibet blandis sermonibus ornari causam pauperis, et multo magis aliorum » (*Cai.*). הדר quippe significat *adornare*. Tanto opportunior erat haec lex, quod alias Deus misericordiam in pauperes tantopere inculcet (*Tost.*). Non repugnat huic legi Eccli. 4, 10 : « in iudicio esto pupillis misericors ut pater ». Qui locus praecipit « primo, ut iudex admittat pauperum causas non minus atque divitum; secundo, ne patiatur pauperes a divitibus et potentioribus in iudicio opprimi; tertio, ut, si ius sit ex parte pauperis, nulla re, nec favore divitis nec eius offensione moveatur, quominus iustam sententiam ferat; denique, ut pauperi et pupillo in omnibus subveniat, salva causae iustitia » (*Bonfr.*).

β. Monita pro litigantibus Ex. 23,4 sq.

Arg. — Qui coram iudice contendunt vel contenderunt, ordinaria caritatis officia invicem non denegent.

Inimicus et *osor* tenore vocis utique omnis generis inimicos designat, imo secunda vox v. 22 de ipsis hostibus extraneis scribitur, qui v. 4 sq. certissime excluduntur. Ergo vocis ambitus h. l. e contextu est definiendus. Cum igitur v. 1-3 agatur de testibus in iudicio et v. 6-8 de iudice, non alios v. 4 sq. inimicos intelligemus nisi partes in iudicio litigantes. Interpretes ii, qui eum contextum ignorant, coguntur admittere v. 4 sq. a reliquo v. 1-8 contextu misere dissonare, in eum locum delapsa esse vel auctoris socordia vel scribae incuria. Verum auctorem nostrum reperimus in legibus colligendis fuisse perquam sollertem, scribae autem error non est facilius adstruendus. v. 4 « *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum* ». Deut. 22,1 idem officium reddendum praescribitur *fratri* cuilibet, sc. Hebraeo. v. 5 « *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo* ». « Quibus docet, eundem esse V. atque N. T. legislatorem eumque, qui hanc legem condiderit, etiam evangelicam donasse » (*Theodoret.*).

וחדלת מועזב לו עזב תעזב עמו. Ultima pars difficultatem non habet ; *certissime liberabis* animal *cum eo*, sc. inimico. Sed prior pars obscurior. *Masor.* scribentes athnach subter לו, priorem partem trahunt ad praecedentem prodosin. Consentit *Chald.* : *Si videris... et refraenaveris, quominus ignoscas ei* ; ad eam vero vocis chald. מנע significationem cf. Gen. 1,13. Consentit *Ps. Ion.* : « Si videris... et refraenaveris quoad animam tuam, quominus appropinques ei ». Consentit *Syr.* liberius vertens : *Si videris... et quaeris non sublevare cum eo* ». Fulcitur haec explanatio textu Deut. 22,4, eandem legem paulo aliis verbis repetente : « Non videbis asinum fratris tui vel bovem eius delapsos secus viam, et subtrahes te ab eis : certissime eriges cum ipso ». Verbum עזב ter in eadem sententia scriptum eodem, si fieri potest, sensu accipiendum est. Ergo : *Si videris... et omiseris liberare* animal *ei*, ad eius commodum, *cer-*

tissime liberabis cum eo, ei in erigendo animali adiutor eris. Si quid in hac versione durum est, est illud, scribi *omiseris*, cum tamen sensus sit *volueris omittere*. — *LXX* vertit uti Vulg.; consentit *Ios.* Quorum, si eundem atque Hebr. textum legebant, versio utique erat liberior. Trahunt vero totum, quem supra describebamus, textum ad apodosin. Vertit *Vat.* : « tunc desines deserere eum : dimittendo dimittas cum illo ». Sed עזב non significat *deserere*. Multo melius *Bonfr., Calm.* : Abstinebisne a liberando illi? Omnino liberabis cum eo.

γ. Monita pro iudice Ex. 23,6-8.

Arg. — Iudex pauperi etiam iustam sententiam dicat. Veritati adhaereat. Innocentem non plectat.

v. 6 « *Non declinabis in iudicium pauperis* ». *Hebr.* : *non deflectes iudicium pauperis in lite sua*. Non est recedendum a nativa vocis משפט significatione, qua actum iudicandi, sententiam iudicis exprimit : ergo agitur de iudice. Deflectitur vero iudicium pauperis non solum, quando iniusta sententia pronuntiatur, sed etiam quando falsa testimonia admittuntur etc. Qui concedunt v. 4 sq. a contextu discordare, supponunt v. 6 primitus individue cohaesisse versui 3 : non dabis falsum testimonium neque pro paupere neque contra illum. At, num falsum *contra* pauperem testimonium non iam prohibebatur v. 1? nonne pii pauperis adversarius semper erit *impius* ille, quocum iungi manus vetantur? Praeterea perperam v. 6 de sola actione *contra* pauperem directa exponitur : deflectitur pauperis iudicium, sive illi iusta denegentur, sive iniqua concedantur. Utroque h. l. iudex interdicitur. v. 7 « *Mendacium fugies* ». *Hebr.* : *a verbo mendacii procul abesto*, sive scienter admittendo falsa testimonia aut causam obscurando, sive falsam pronuntiando sententiam. « *Insontem et iustum non occides* » « iudicialiter » (*Cai.*), « *quia aversor impium* ». *Hebr.* : *quia non iustificabo scelestum*, non absolvam (*Vat.*) : pulchre iudicium iudicio opponitur, idque confirmat agi de iudice. *LXX* ultimum incisum leviter deformatum et prima sequentis versus voce auctum sic legebant : ולא תצדיק הרשע בשחר. v. 8 « *Nec accipies munera* », « quae dantur gratuito ad placandum iudicem vel captandum eius favorem » (*Tost.*), « *quae* [*etiam*] *excaecant prudentes* » — *Sam. LXX Syr.*, uti Deut. 16,19 *oculos* prudentum — « *et subvertunt verba iustorum* ». Excaecant mentem iudicis ceteroqui prudentis et pervertunt sententiam iudicis ceteroqui iusti.

δ. Monitum pro omnibus quoad advenas Ex. 23,9.

Arg. — Monitum dirigit Moyses ad omnes : testes, iudices, Hebraeos universim, ut non sint proni ad implicandos advenas in actiones atque ea ratione exspoliandos.

v. 9 « *Peregrino molestus non eris : scitis enim advenarum animas* », « i. e. affectus, quam leviter contristentur » (*Hugo*); scitis, « quid sit advena » (*Sa*), « *quia et ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti* ». Rursum v. 11 commendantur pauperes, et v. 12 advenae.

c. Novella de requie sabbatica Ex. 23-10,12.

Arg. — Anno septimo conceditur requies terrae, fructibus eius pauperibus et bestiis permissis; die septimo conceditur requies civibus, iumentis, servis, advenis.

Ad annum sabbaticum alludebatur 21,2 : ergo ante Moysen is fuerat institutus, erat tamen recentior ipso sabbato. Cur sabbato h. l. anteponatur, non liquet. Cum annus sabbaticus nusquam affirmetur in memoriam exodi aegyptiacae esse servandus, exodus illa h. l. neque affertur ut ratio observandi sabbati : id non probat hanc legem ab alio esse conscriptam, atque v. g. auctore Deut. 5,15, sed diversum demonstrat contextum. An legem iis verbis, quae v. 10-12 leguntur, Moyses primus conscripserit, aut alius ante ipsum, nescimus. Quodsi Moyses eam tradit verbis a maioribus acceptis, haud mirum est eum loqui de *agris*, licet agros Israelitae montem Sinai circumsedentes vix habuerint. v. 10 « *Sex annis seminabis terram tuam* », i. e. agrum (*Tost.*), « *et congregabis fruges eius* »; v. 11 « *anno autem septimo dimittes eam et requiescere facies, ut* » — *Hebr. et* — « *comedant pauperes populi tui; et quidquid reliquum fuerit, edant bestiae agri. Ita facies in vinea et in oliveto tuo* ». Cf. Lev. 25,3 sqq., ubi etiam dicitur, quod pauperibus et bestiis concedantur ea, quae sponte nascantur. v. 12 « *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, et refrigeretur filius ancillae tuae et advena* ».

Series tertia sex legum Ex. 23,13-19.

a. Novella de abhorrendis deorum nominibus Ex. 23,13.

Arg. — Novella partem negativam addit mandato 20,7; potuit ea iam vigere, antequam Deus sibi nomen Iahve proprium assumeret.

v. 13 « *Omnia, quae dixi vobis, custodite* ». Pro ובכל *Sam. LXX Vulg. Syr.* habent וכל. « *Et per nomen externorum deorum* », seu *externi dei* (20,3), « *non iurabitis* », — sed *Hebr. : non revocabitis in memoriam,* quo longe plura prohibentur quam solum iuramentum — « *neque audietur ex ore vestro* ». Verus Deus sit unicus in mente, unicus in ore.

b. Novella de tribus festis maiorius Ex. 23,14-17.

Arg. — Inculcantur festa Paschae, Pentecostes, Tabernaculorum, quibus masculi omnes coram Deo se sistere obligantur. Legem hac forma non esse Moyse antiquiorem prodit v. 15 Aegypti mentio et v. 17 nomen Iahve.

v. 14 « *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis* ». v. 15 « *Solemnitatem azymorum custodies : septem diebus comedes azyma, sicut praecepi tibi* » (Ex. 12), « *tempore mensis novorum* », seu potius mensis Abib, « *quando* » — seu verius *quia eo mense* — « *egressus es de Aegypto* ». Sola azyma recensentur, non agnus paschalis, quia non ritus describitur, sed tempora definiuntur : ad tempus autem definiendum sufficit appellare azyma. Ob eandem rationem non scribitur dies mensis. « *Non apparebis in conspectu meo vacuus* ». Quo Dei suprema auctoritas indicatur, nam reges sine muneribus non adibantur. v. 16 « *Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quaecumque seminaveris in agro* ». Hoc est festum Pentecostes, quinquagesimo post Pascha die : cf. Lev. 23 et Deut. 16. « *Solemnitatem quoque* » messis fructuum seu extremae messis, « *in exitu anni* » civilis (*Calm.*), die decima quinta mensis septimi, a Septembri ad Octobrem, « *quando congregaveris omnes fruges tuas de agro* ». Est hoc festum Tabernaculorum seu Scenopegiae. v. 17 « *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo* ». *Hebr. Sam. Targ.* האדן יהוה, contra *LXX Vulg. Syr.* Idem est « apparere in conspectu Iahve » (cf. 34,23 sq.) atque « venire in domum Iahve » 23,19 et 34,26. Unicam autem apud Hebraeos Iahve habet domum, quae est sacrum eius tabernaculum (*Hoonacker* p. 7). Ergo etiam tres illae solemnitates ab universo populo circa tabernaculum adunato celebrabantur.

Dum plura habebantur מועדים seu *festa*, tria tantummodo erant חגים seu *solemnitates* (a חגג saltare, quod choreis celebrarentur) : cf. 34,18. 22; Deut. 16,16; 2 Par. 8,13. חג הקציר, *solemnitas messis* seu *scindendi*, alias vocatur יום הבכורים, dies primitiarum (Num. 28,26) seu, nomine petito a septem hebdomadis (cf. Pentecoste), quae inter hoc festum et Phase intercedebant, חג שבעת, solemnitas hebdomadarum (34,22; Deut. 16,10. 16). הקציר h. l. appositione declaratur : *primitiarum operis tui, ea quae seminasti in agro*, quibus מעשיך (*Syr. frumentum tuum*) limitatur ad cerealia, exclusis arborum fructibus. Agitur de principio messis, de primis qui metantur agris. חג האסיף (cf. 34,22, etiam audit חג הסכות, solemnitas tabernaculorum : Lev. 23,34 sqq.; Deut. 16,13. 16, quibus locis ipsa etiam vox אסף usurpatur. Ea solemnitas celebrabatur die decima mensis septimi (Ethanim, postea Tisri), qui mensis primus anni civilis habebatur, dum Abib seu Nisan 12,? primus anni sacri mensis a Deo renuntiabatur. Celebrabatur exeunte fere Septembri eo tempore, quo unus annus civilis modo inceperat, alius defecerat, ergo vere בצאת השנה, *cum con-*

gregaveris opus tuum de agro, non cerealia solum, quae fuerant sata, sed etiam arborum fructus.

Tria haec festa maxima breviter h. l. et tamquam res nota recensentur. Solemnitas azymorum cap. 12 pluribus reapse explicabatur. Aliae duae solemnitates appellantur h. l. non iis, quibus secus designantur, nominibus sacris (חג שבעות, חג הסכות), sed nominibus, uti videtur, antiquioribus (חג הקציר, חג האסיף). Cum tot aliae gentes antiquitus occasione messis festa peragerent et sacris ritibus fungerentur, veri simillimum est Hebraeos quoque ante Moysen eiusmodi festa observasse; quorum vestigia habes Gen. 30,14, et etiam 38,12 sqq. Licebit ergo adstruere, ideo h. l. illa duo festa obiter tantum, temporibus ritibusque suppressis attingi, quia iam apud Hebraeos observabantur, suosque habebant ritus et tempora.

c. Novella de fermento sacrificiis non adhibendo Ex. 23,18ª.

Arg. — Haec et sequens lex duos in sacrificiis offerendis defectus proscribunt, quibus victimae reddebantur immundae Deoque indignae. Suffixa produnt hos versus non esse exodo antiquiores.

v. 18 « *Non immolabis super fermento sanguinem victimae meae* ». *LXX* initio versus aliqua supplent e 23,24. עַל idem quandoque sonare atque *cum*, disce e 12,8 sq., etc. Porro illud *cum fermento* explicat *Ps. Ion.* : « dum superest fermentum in domo » (cf. 13,7), et exponit de immolando agno paschali. Gratuita restrictio, cum Lev. 2,11; 7,12 sq. doceamur, panem fermentatum, licet hostias pacificas comitaretur, in nullo sacrificio cum victima esse combustum.

d. Novella de sacrificiis ipso die consumendis Ex. 23,18ᵇ.

« *Nec remanebit adeps solemnitatis meae usque mane* ». Adscripsere *Targ.* voces *extra altare*, sane quod recordarentur, nullam agni paschalis partem altari fuisse imponendam, et tamen legem hanc de agno paschali latam esse putarent. Evidens est, חֵלֶב h. l. eandem rem significare atque זֶבַח 34,25; imo potuit ex hac voce corruptione oriri, cum duae voces unica differant litera. Ergo *adeps solemnitatis* idem est atque *victima solemnitatis*; eratque expressio apta, sive de victima holocausti ageretur, cuius pars nobilissima reputabatur adeps, sive de victima cuius partes tantummodo pinguiores altari imponebantur. Iubetur autem victima consumi ipso sacrificii die : erat quippe periculum, ne secus corrumperetur et fieret immunda.

Eadem verbotenus, quae v. 18 sq., praecepta habentur 34,25 sq., nisi quod pro חֵלֶב חגי legatur זֶבַח חג הפסח, quo prohibitiones 23,18 ad solum *pascha* referuntur. Hinc censuere aliqui, etiam 23,18, imo 23,19 ad solum pascha referri. *Targ.* pro *victimae meae* etiam v. 18 scribunt *paschatis mei*, et *Calm. primitias* v. 19 intelligit eas, quae die paschatis offerendae erant, et *hoedum* ipsum agnum seu hoedum pas-

chalem. Appellat ipse contextum cum v. 15 : festo paschatis comedes azyma et, quoad fermentatum quid fuerit in domo, agnum paschalem non immolabis. Hic contextus non est in s. literis, sed studiose in illas importatur. Verius igitur affirmat *Proc.*, v. 18 sq. agere de sacrificiis universim. Neque obest verba vix non eadem 34,25 sq. ad solum pascha referri : etenim, si vera sint de omnibus sacrificiis trium solemnitatum, quid obstat, quominus 34,25 sq. eadem de solis paschatis sacrificiis praedicentur ?

e. Novella de primitiis persolvendis Ex. 23,19ª.

Arg. — E nomine *Iahve* patet, legem hac forma non esse Moyse antiquiorem. Tamen ipsa primitiarum lex erat perantiqua (cf. ad 13,2), ideoque loquitur de illa Moyses expressionibus antiquitus receptis, loquitur de *frugibus terrae*, licet fruges tum in Sinaitide Hebraei non haberent. At, nonne brevissimo temporis intervallo, ni Deum offendissent, in terram promissam erant introducendi!

v. 19 « *Primitias frugum terrae tuae deferes in domum Domini Dei tui* », i. e. in locum, ubi tum iam erat altare, et postmodum in locum tabernaculi foederis : locus quippe, in quo Deus suam manifestat praesentiam, iure vocatur domus Dei (Gen. 28,17). Inculcatur rursum lex 22,29 promulgata; distinctius effertur non sola animalium primogenita, sed primitias etiam fructuum terrae esse offerenda; simul locus, quo essent producenda, demonstratur (*Cai.*). *Hebr.* verti potest vel *initium primitiarum terrae* (*LXX*), vel *initium, primitias terrae* (*Masor.*). Altera constructio commodior (cf. Ez. 44,30), cum reapse non pars primitiarum, sed omnes primitiae Dei fuerint.

f. Novella de hoedo non coquendo in adipe matris Ex. 23,19ᵇ.

Arg. — Coquere hoedum non in *lacte*, sed in *adipe* matris fuisse « ritum idololatrarum » (*Cai.*), difficile admiserim, cum quia *coquendi* verbum non sacrificia respicit sed epula, tum quia nullum eiusmodi ritus vestigium apud diversas gentes ethnicas comperimus. Sed illa coquendi ratio h. l. cum aliis (v. 18), quae immunditiam habent, proscribitur, quo certius illa abstineant Hebraei. Quam explicationem confirmat Deut. 14,21, ubi illa de non coquendo in matris lacte hoedo prohibitio reperitur adscripta ad calcem elenchi, qui immunda ciborum genera recenset.

« *Non coques hoedum in lacte matris suae* ». Cf. 34,26; Deut. 14,21. Vetiti rationem assignabat *Theodoret.*, quod ea ratione videatur mater coqui cum prole. « Spectat vero haec lex ad omnem crudelitatem, et quidquid speciem habet crudelitatis, avertendam; siquidem quamdam

crudelitatis speciem habet, in condimentum occisi vertere, quod in eius nutrimentum a natura datum erat » (*Bonfr.*).

Textus de se omnino planus inde ab *Aug.* mire torsit interpretes. Varias interpretationes collegit et discussit *Bochart* Hieroz. II, 52. Ex interpretibus antiquioribus, *Symm.* vertit : *non praeparabis hoedum per lac matris eius; Chald. : non comedetis carnem cum lacte* (!). בשל certe est *coquere*, et ad epula refertur, non ad sacrificia. Dicendum ergo erit, invaluisse tum apud Hebraeos morem coquendorum in lacte matrum hoedulorum. Eius ceterum rei in toto V. T. nullum deprehenditur exemplum, neque apud Hebraeos neque apud finitimas gentes; nullum nos antiquitates docuere aegyptiae, babyloniae, assyrae, phoenices, chananaeae; unum, quod Aben Ezra (ap. Bochart) profert, Arabum exemplum et unicum est et, quia unicum et a doctore iudaeo prolatum, suspectum etiam est. Textus, si ad hoedum in lacte matris coquendum referatur, supponit factum et morem, quorum ceteroquin nullum omnino comparet vestigium. Sed adverte, punctatione diversa, חלב et *lac* significare et *adipem;* et adipem quidem praecedenti versu eadem vox significabat. Porro iuniorum animalium teneriores carnes, veterum generosior adeps : electitius cibus habetur etiamnum, si iunioris animalis carnes in adipe adulti animalis coquuntur. Effertur in textu prae ceteris animalibus domesticis *hoedus*, quia profecto hoedulos Hebraei, imprimis adventantibus hospitibus, coquere consueverant : Gen. 27,9; Iud. 6,19; 13,15; 1 Reg. 16,20. Ergo verte : *Ne coquas hoedum in adipe matris suae.*

Superest pependenda lectio *Sam.* haec addentis verba : כי עשה זאת כזבה שכח ועברה היא לאלהי יעקב. Quod additamentum merito tamquam spurium reiiceremus, nisi idem haberent codices aliqui LXX ad Deut. 14,21, ubi item prohibetur hoedus coqui in adipe matris : ὃς γὰρ ποιεῖ τοῦτο, ὡσεὶ ἀσπάλακα θύσει, ὅτι μίασμά (non μήνιμά) ἐστι τῷ θεῷ Ἰακώβ. Difficultatem facit vox inusitata שכח *error*, et quomodo *LXX* eam interpretatus sit *talpam*. Fortasse pro שכח legendum שקץ *abominatio*, quae vox Lev. 11,10 sqq. designat animalia quaedam natura immunda et ad sacrificia inepta, potuitque LXX pro expressione hac generali scribere unam speciem *talpam*. Quodsi igitur lectio illa Sam. supponatur esse h. l. genuina, habebit rationem clausulae non solius legis de hoedo non coquendo in adipe matris, quae tanti tandem momenti non erat, sed omnium inde ab Ex. 20,22 legum, imprimis negativarum : eiusmodi quid facere affirmatur nunquam esse licitum, sed esse veluti offerre Deo pro sacrificio animal natura immundum. Cur vero in ea clausula appellatur Deus « Deus Iacob », qui secus in Ex. « Deus Israel », vel etiam « Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob », nunquam vero simpliciter « Deus Iacob » appelletur? Recole, quod dicebamus in Comment. in Gen. p. 515 : « Iacob filiis Liae et concubinarum est duntaxat Iacob, filiis Rachel et imprimis Iosepho est Israel ». Iosepho et filiis principibus, excreverat Iacobi in Aegypto posteritas in populum « filiorum Israel ». Et nunc istud quaero ex te, fuerintne illi antiqui ordinis sacerdotes ex una aliqua tribu, et ex quanam tribu. Quantum novimus, in antiquo illo ordine, *principum* erat *sacrificare*. Sacrificabant patriarchae, qui essent capita tribus neque ullum super se principem agnoscebant; sacrificabat Melchisedech rex. Defuncto Iacob Ioseph utique, fratrum *princeps* nulloque fratrum repugnante, suarum partium esse duxit Deo patrum suorum sacrificia offerre. Idem privilegium crediderim filios Ioseph sibi retinuisse. An igitur antiqui ordinis sacerdotes illi omnes erant e tribu Ioseph, Deumque imprimis venerabantur ut *Deum Israel?* Non sine emphasi tum Iahve, quo tempore iamiam erat illos sacerdotes exterminaturus, in solemni legum clausula se ipsum

appellavit *Deum Iacob*. Quae tamen omnia nos pro coniectura suggerimus, cum additamentum Sam. sit dubium.

3. *Epilogus novellarum* Ex. 23,20-33.

Arg. — Non traduntur iam novae leges, sed observationis legum tam datarum quam dandarum praemium ostenditur. Angelus sc. Domini introducet Hebraeos in terram promissam, ubi quaenam circa eos futura sit Dei providentia describitur. Si unum Deum coluerint, praemium accipient abundantiam frugum, immunitatem a morbis contagiosis, numerosam prolem, terrorem in hostes immissum. Qui tamen gradatim solummodo exterminabuntur, Hebraei interim omnem cum illis commixtionem perhorrescant. Et adverte, has promissiones factas esse, quo tempore nondum Hebraeis Deus multorum annorum in deserto commorationem indixisset in poenam exiguae fidei.

Angelum *Moysen* reputabat *Cai.*; alii, quod Moyses non *introduxerit* populum in Chanaanitiden, *Iosue* : *Aug.*, *Proc.*, *Tost.* aliique. Quia vero ab introducendo populo postmodum Moyses cohibitus est ob exiguam fidem, poterit haec explicatio eo emendari, ut dicatur angelus esse *Moyses et Iosue*. Quod pro Iosue afferunt *Aug.* aliique, in eo verificari illud v. 21 « et est nomen meum in illo », quod idem sit nomen Iosue atque Iesus. infirmum est. Potest vero pro Moyse et Iosue afferri illud, Mal. 3,1 nostrum textum transferri ad S. Ioannem Baptistam : si ergo in antitypo *angelus* ille intelligi queat homo, cur non item in typo ? Tamen sententia, *angelum* declarans esse non hominem, sed verum angelum (*Philo* : De agric. §,13, p. 308; *Bonfr.*, *Sa*, *Sylv.* etc.), omnino est praeferenda; quem *Men.* esse declarat S. Mic haelem, popul electi specialem custodem designatum. Cf. *Ps. Ion.* ad 24,1. Est idem angelus, qui custodiebat patriarchas (Gen. 31,11; 48,16) et Israelem custodit (Ex. 14,19; 32,34; 33,2. 12). Residebat is imprimis in columna nubis (13,21 sq.; 14,19; 33,9) atque inde Moysen edocebat.

v. 20 « *Ecce ego mittam angelum meum* », — pronomen ignorant *Hebr. Chald. Syr.* — « *Qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi* », terram Chanaan toties promissam. v. 21 « *Observa eum* », — *Hebr.* : *cave tibi a facie eius* — « *et audi vocem eius, nec contemnendum* [*putes*] », — *Hebr.* : *neque repugnes ei* — « *quia non dimittet, cum peccaveris* », — *Cai.* : « in hebraeo habetur gravissimum genus peccandi : *quia non dimittet apostasiam vestram* » — « *et est nomen meum in illo* ». « Sustinet personam meam » (*Sa*). « Quae dicit, nomine meo dicit » (*Vat.*). Ceterum *non dimittet* non tam refertur ad peccatum, quam ad poenam, « sinendo impunem esse, nam et hoc peccantibus magnum est beneficium » (*Ians.*). Recensitis inobedientiae poenis, obedientiae praemia recensentur (*Cai.*) v. 22 : « *Quodsi audieris vocem eius* », — erronee *meam* (*LXX*) — « *et feceris omnia, quae loquor* », Deus quippe per angelum loquitur :

« *inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te* », — illud affectum potius, hoc effectum exprimit (*Cai.*). *LXX* vero plura inserit e loco simili 19,5 sq. — v. 23 « *praecedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhaeum, et Hethaeum, et Pherezaeum, Chananaeumque et Hevaeum, et Iebusaeum, quos ego conteram* ». In gentium nominibus aliqua habetur diversitas apud *Sam. LXX*. v. 24 « *Non adorabis deos eorum, nec coles eos; non facies opera eorum* », — non necessario intelliguntur sola opera superstitiosa (*Bonfr.*), sed opera luxuriae et alia — « *sed destrues eos, et confringes statuas eorum* ». Perpende emphasin, quam habent verba iungentia infinitivum absolutum formae finitae.

v. 25 « *Servietisque Domino Deo vestro* » « soli » (*Sylv.*), « *ut benedicam panibus tuis et aquis* », omnis generis cibo et potui (*Bonfr.*), quare perperam *LXX* adscribunt *vinum;* « *et auferam infirmitatem* », i. e. morbum, « *de medio tui* ». « Pollicetur alimenta et sanitatem » (*Proc.*). Et *Tost.* advertit, agi de infirmitatibus universalibus, qualis est pestis. At parum delectant opes, imo sanitas, deficiente prole; parum ipsa proles, ubi brevis vita aut brevior vita prolis. Hinc v. 26 : « *Non erit infoecunda* » — *Hebr. : orbata*, « mater filiis superstes suis » (*Calm.*) — « *nec sterilis in terra tua; numerum dierum tuorum implebo* », « ad longam senectutem pervenies » (*Theodoret.*), dum Ps. 54,24 ait : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos ». Cf. 20,12; Gen. 25,8; 35,29. Adiiciuntur promissiones de terra promissa subigenda, quae erat difficilis accessu et incolis bellicosis referta. v. 27 « *Terrorem meum mittam in praecursum tuum* », qui « novit potentius profligare hostes, quam immensae copiae militares » (*Proc.*); « *et occidam* », seu verius *perturbabo*, « *omnem populum, ad quem ingredieris; cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam* ». Sine gladio vinces : ego pro te portentis dimicabo. v. 28 « *Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevaeum et Chananaeum et Hethaeum, antequam introeas* ». *Hebr. : Et emittam crabrones ante faciem tuam, et fugabunt Hevaeum etc. de ante faciem tuam.* « Dicitur igitur hic Deus praemissurus examina muscarum aculeatarum, quae graviter illos affligant, et vel loco cedere faciant vel etiam occidant » (*Bonfr.*). « In quo declaratur immensa potentia Dei, qui minutorum animalculorum ministerio et succurrit suis, et eorum adversarios perdit » (*Theodoret.*).

צרעה a צרע *prosternere*, solum h. l. et Deut. 7,20; Ios. 24,12 occurrit. *Chald.* צרעיתא et *Ps. Ion.* אורעיתא secus *erentum* exprimit. *Syr.* דבוריתא *apes*. *LXX* σφηκίας (Sap. 12,8 σφῆκας). Ex sola etymologia significatio *crabrones* non eruitur : eam tamen commendant versiones, et imprimis Sap. 12,8. Neque officit, quod ea crabronum

plaga Ios. 11 (cf. 24,12) non explicite narretur, cum locis laudatis indubie exprimatur. Narrat *Aelian.* (Hist. anim. II. 28) Phaselitas, qui prope Solymaeos in Chanaanitide incolebant, a vespis sedibus pulsos esse. Similia facta vide apud *Bochart* Hieroz. III. 409. Ergo etiam illud crabronum factum non est incredibile. Putat quidem *Aug.*, per crabrones « fortasse aculeos timoris » exprimi, et *Ros.* « varii generis mala ». Verum praestat sensui obvio adhaerere.

v. 29 « *Non eiiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiae* ». v. 30 « *Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis et possideas terram* ». Extensio finium concedendorum describitur (cf. Gen. 15,18). v. 31 « *Ponam autem terminos tuos a Mari Rubro* », a Mari Suph (cf. quae diximus p. 140 sq. , « *usque ad Mare Palaestinorum* », i. e. Mediterraneum, « *et a deserto usque ad fluvium* » *Euphraten* (*LXX*) : « *Tradam in manibus vestris habitatores terrae, et eiiciam eos de conspectu vestro* ». *Hebr. : et eiicies eos de conspectu tuo.* Non contradicit hoc (*Wellh.*) iis, quae v. 29 sq. dicebantur de lenta futura eiectione. v. 32 « *Non inibis cum eis foedus, nec cum diis eorum* ». Non patieris illos tecum terram promissam incolere, neque cultum eorum numinum tolerabis (*Sylv.*). v. 33 « *Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum; quod tibi* [*certe*] *erit in scandalum* ». Potest etiam cum *LXX* iungi : *Quodsi enim servieris diis eorum, isti erunt* (*Sam. Chald. Syr.*) *tibi scandalum.* « De tempore intermedio est sermo : videlicet, ne tempore medio inter possessam partem terrae contentae intra terminos dictos, et possessionem reliquae partis paulatim possidendae, permittant illos idololatras habitare in terris possessis ab Israelitis » (*Cai.*). Hinc etiam solas gentes Palaestinae sibi putavere Israelitae eiiciendas, non omnes, quae usque ad flumen habitabant.

Frequentes abhinc sunt divinae in Chananaeos minae. Iubentur Hebraei illos eiicere (שלח, Lev. 18,24; 20,23), expellere (גרש, Ex. 23,29 sq.; 33,2; 34,11 — נשל, Deut. 7,22), possessione deturbare (ירש, Ex. 34,24; Num. 33,52; Deut. 4,38; 9,5; 11,23), deturbare (הדף, Deut. 6,19 ; 9,4), evomere (קוא, Lev. 18,25. 28; 20,22), delere (אבד, Num. 33,52; Deut. 8,20 — שמד, Deut. 7,23; 9,3; 31,3 sq.), exstirpare (כרת, Deut. 12,29), devorare (אכל, Deut. 7,16), devovere (חרם, Deut. 7,2; 20,17). Iubentur omne vivens interimere (Deut. 20,16), illis facere, sicut fecerant Sehon et Og (Deut. 3,21; 31,4). Rationes assignantur Chananaeorum iniquitates (Gen. 15,16; Lev. 18,24 sqq.; 20,23; Deut. 9,4; Sap. 12,3 sqq.), idololatria vitanda (Ex. 23,33; Deut. 7,4. 16; 20,18), seductio praecludenda (Num. 33,55; 34,15).

NOVORUM SACRORUM INSTITUTIO

Ex. 24-Lev. 10

A. Mandatum novorum sacrorum procurandorum Ex. 24-31.

Arcte haec cum praecedentibus cohaerent. Iubetur sc. Moyses 24, 12; 34,1 tabulas a Iahve accipere decalogum inscriptum habentes theophania promulgatum. Sed cum hoc secundario fine alius omnino primarius connectitur. Hebraeorum in Aegypto oppressorum Deus defensionem suscepturus novum nomen Iahve sibi assumpserat. Cui hoc nomine invocando debebatur sacrificium 3,18. Annon aequum erat, ut hoc sacrificium Deo novo nomine appellando offerendum offerretur etiam in novo sanctuario per novi ordinis sacerdotes? Accedebant veteris ordinis sacerdotum animi Moysi constanter infensi. Qui etiam in solemni cap. 19 theophania populum ab intrandis vocante Iahve terminis cohibuisse videntur. Decreverat ergo Iahve occasione rebellionis, quam proxime futuram praevidebat (cap. 32), eos e medio tollere eorumque sacerdotium repudiare; iam nunc autem Moysi mandatum tradit novi sanctuarii et sacerdotii procurandi.

Ex. 24 est divinae orationis praefatio. Iubetur v. 1 Moyses cum Aarone et filiis ac senioribus, v. 2 rursum solus ad Deum ascendere. Illud exsecutioni mandatur 24,1-11, hoc 24,12-18. Sequuntur cap. 25-31 divina de sanctuario et sacerdotio mandata.

I. DIVINI ALLOQUII PRAEAMBULUM Ex. 24.

1. *Seniores cum Moyse ascendunt* Ex. 24,1-11.

Arg. — Auditis Dei mandatis populus animum ad obediendum paratum profitetur, Moyses mandata in volumen foederis conscribit. Sequente mane iuvenes, quorum id erat officium, victimas immolant; Moyses vero sacerdotio ipse fungens sanguinis partem reservat, reliquum altari affundit. Lecto volumine populus obedientiae professionem iterat, Moyses volumen et populum in signum sanciti foederis sanguine aspergit. Aaron, filii et seniores tamquam Deo foederati cum Moyse ascendunt et ad divinum conspectum admittuntur. E monte reduces sacrificium inchoatum sacro epulo concludunt.

Meminit *Tost.* quorumdam putantium, horum proprium locum fuisse extremo cap. 19, ubi Moyses ad radices montis constitutus etiam iubebatur *ascendere*; quae

vero cap. 20-23 traduntur, revelata esse postquam Moyses, divino 24,1 mandato obsequens, ascendisset. At non est sufficiens ratio talis inversionis adstruendae. Post edita mandata cap. 20-23 Deus, Moysen secum habens in monte, iubet Moysen *redire* ad se cum pluribus aliis; Moysen id praestare non potuisse, nisi prius *descenderet*, per se patet ideoque non exprimitur. At, obiicit *Dillm.*, constructio ואל משה אמר, loco constructionis planioris ויאמר אל משה, ostendit sermonem 23,33 non individue produci 24,1, sed adesse inversionem. Prius concedimus, posterius negamus. Mandatis et promissionibus 23,33 absolutis, Deus monitum addit respiciens Moysis ascensum proxime sequentem : ea sufficiens est ratio illius constructionis explicandae. Ergo ipsa constructione initium novae maioris pericopae indicatur.

Cap. XXIV v. 1 « *Moysi quoque dixit : Ascende ad Dominum, tu et Aaron, Nadab et Abiu* », quibus uti 28,1 *Sam.* adiungit *Eleazar et Ithamar,* omnes sc. filios Aaron (6,23), « *et septuaginta senes ex Israel, et adorabitis procul* ». Affirmat *Ps. Ion.* hoc effatum factum esse « die septimo mensis » tertii, cuius diem primum legebat ipse 19,1 : hinc triduum 19,11 ducit ad diem quartum, et alterum triduum ad diem septimum. Assumuntur *seniores* non omnes, sed numero sacro universitatem designante *septuaginta de senibus,* nomine totius populi post feritum foedus ascensuri ad Dominum et in eius praesentiam admittendi. Si memineris, quae ad Gen. 46,8 sqq. dicebamus, recenseri ib. nomina non tam eorum, qui actu cum Iacob Aegyptum ingressi sint, sed capita familiarum, quae ex eius lumbis prodierint, si advertas, insisti ib. v. 27 numero *septuaginta* illorum virorum : probabile iudicabis septuaginta h. l. seniores sumptos esse singulos e singulis familiis Gen. 46 recensitis. Cf. 18,21 et etiam Num. 11,16. 25. Assumuntur *Aaron et filii*, sacerdotes consecrandi ideoque magis Deo familiares ipsis senibus futuri. v. 2 « *Solusque Moyses ascendet ad Dominum* », — sed reliqui textus *appropinquabit,* quo verbo tollitur apparens inter v. 1 et 2 contradictio, quasi seniores ascendere simul et non ascendere iubeantur — « *et illi non appropinquabunt; nec populus ascendet cum eo* » seu, quod in idem recidit, *cum eis* (*LXX*). « Vide disparitatem : populus nec appropinquat nec ascendit; Aaron et septuaginta senes ascendunt quidem, sed non appropinquant; Moyses autem et ascendit et appropinquat » (*Cai.*). Unum, quod hic traditur mandatum, successive postea exsecutioni mandatur ita, ut primum v. 3-11 Moyses cum senioribus ascendat, sed non appropinquet, postea solus rursum et ascendat et appropinquet. v. 3 « *Venit ergo Moyses et narravit plebi omnia verba Domini atque iudicia* », cap. 20-23; « *responditque omnis populus una voce : omnia verba Domini, quae locutus est, faciemus* ». *LXX et audiemus* i. e. *erimus obedientes*, uti v. 7; similiter *Syr.;* ubi cf. *Aug.*

« Postquam populus se accipere legem Dei professus est, in tabulas

id redigendum fuit, ut maneret rei gestae memoria; confirmandum etiam foedus illud solemnibus et authenticis ceremoniis » (*Calm.*). v. 4 « *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini* ». Cum *Tost.* communiter censent interpretes, Moysen non totam ab initio Genesis sacram narrationem tum scripsisse, quod sine miraculo tam brevi tempore haud potuit fieri; sed, qui est obvius nostri textus sensus, sermones Dei cap. 20-23. Quod dein v. 7 scriptum vocatur « volumen foederis ». Ab eo scripto eximunt aliqui decalogum, quod cum populus auribus audierit promulgatum, isque mox a Deo tabulis lapideis fuerit inscribendus. Sed merito reponit *Cai.*, et Moysen tum ignorasse Deum scripturum decalogum in tabulis, eumque « volumini foederis » fuisse inscribendum, quod esset pars foederis omnino praecipua. Porro, cum hoc volumen pars sit Pentateuchi, intelliges Pentateuchum non individue esse scriptum, sed aliis alias partes temporibus. « *Et mane consurgens* » — quod mane *Cai.* censet non necessario idem esse, atque « prostridie mane »; at is hic certe est sensus obvius — « *aedificavit altare* » secundum normam 20,24 a Deo traditam (*Calm.*) « *ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel* ». E patriarcharum actis novimus, insigniora Dei beneficia erecto altari vel titulo vel utroque celebrari consuevisse. Titulus autem « dicitur lapis insignis, elevatus ad manifestandum aliquid de loco » (*Tost.*). v. 5 « *Misitque iuvenes* » — particula את prodit, illos iuvenes ad id muneris adhiberi consuevisse (*Dillm.*) — « [*de*] *filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos* ». Illud *filiis Israel* innuit, non ex una solum tribu illos iuvenes esse lectos. נער non necessario iuvenem aetate significat. Quos *Chald.* scribit *primogenitos* (?) explicatque *Ps. Ion.* fuisse ipsos sacerdotes antiqui ordinis. Verum id falso asseri, patet cum inde quod *iuvenes* vocentur oppositione quadam ad *sacerdotes* 19,22. 24, tum quod h. l. sacrificium solummodo praeparent victimas immolantes, dum Moyses sanguinem aspergens sacerdotis partes agat. v. 6 « *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras* » (cf. Cant. 7,3; Is. 22,24) « *partem autem residuam fudit super altare* », « quod Dei vices referebat » (*Bonfr.*). v. 7 « *Assumensque volumen foederis, legit audiente populo, qui dixerunt : Omnia, quae locutus est Dominus, faciemus et erimus obedientes* ». v. 8 « *Ille vero sumptum* » e crateribus (*Cai.*) « *sanguinem respersit in populum et ait : Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his* ». Idem factum his refertur Hebr. 9,19 sq. : « Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit dicens :

Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus ». Aspergillum fecit de hyssopo et lana coccinea (*Sylv.*; cf. 12,22; Lev. 14); sanguini aquam admiscuit, ne concresceret (*Sylv.*); « liber sicut et altare repraesentabat Deum » (*Ians.*). « Foedera variis ritibus confirmabantur : donum dabatur et accipiebatur (Gen. 21,27 sqq.); manducabant paciscentes simul (Gen. 26,30; 2 Reg. 3,20), quandoque solum sal et panem (Lev. 2,13; Num. 18,19; 2 Par. 13,5); inter dissectorum animalium partes transibant paciscentes (Gen. 15,9 sqq.); imprimis sacrificabant una et epulo sacrificali communicabant (Gen. 31,54; 1 Reg. 11,15), et ambo sanguine victimae attingebantur » (*Kn.*). Aspersione in populum facta sanguis victimae applicatur populo, sicut aspersione altaris idem applicatur Deo. Aspersione igitur Deus et populus fiunt unum, foedus absolvitur, populus foederis obligationes subit, iura acquirit. Dicitur *sanguis foederis*, quo sc. foedus dedicabatur et confirmabatur (*Sylv.*); eratque typus sanguinis Christi (*Bonfr.*). « Ad haec Moysis, veteris legis latoris, verba allusit Christus novae legis lator, quando in calicis consecratione dixit : Hic est sanguis meus novi testamenti etc. Nota igitur, quod, sicut proprio sermone, et non per tropum dictum est a Moyse : Hic est sanguis foederis; ita et a Christo proprio sermone, et neutiquam figurato, dictum est : Hic est sanguis meus novi testamenti etc. » (*Est.*).

v. 9 « *Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel* », obsecuti divino v. 1 mandato (*Cai.*). Intendebat autem Deus, post legem cap. 20-23 datam, acceptatam, instrumento consignatam et sanguinis aspersione confirmatam, Moysi tradere tabulas, quae manerent in testimonium a parte Dei foederis in perpetuum confirmati. Tabulae vero decem praeceptorum efficax futurae erant documentum, Moysen reliqua etiam mandata a Deo accepisse (*Tost.*). v. 10 « *Et viderunt Deum Israel* ». Verba sunt omnino perspicua : quid prodest cum *Chald.* scribere *gloriam Dei*, aut cum *LXX*, *vidisse locum, ubi constiterat Deus?* Viderunt autem procul, non appropinquantes (v. 2). « *Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, et quasi coelum, cum serenum est* ». לבנת non est idem atque אבן (*Vulg. Chald.*), quae vox voci כסיר praefigitur Ez. 1,26 et 10,1 (cf. *Knabenbauer* ib.). Verte : *quasi opus lateritium ex sapphiro*. Apparebat ergo pavimentum solidum eius formae, acsi e lateribus esset compactum, eius speciei, quasi sapphirus esset et *quasi ipsum coelum claritate*. Descriptio prodit, visum esse Deum forma humana (*Lyr.*), cuius certe pedes conspiciebantur, sedentem in throno. Utrum vero truncus et thronus prae fulgore aut nube videri non potuerint, an testes ob reverentiam ab illis describendis temperaverint, non liquet. v. 11

« *Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam* » Deus, illos non percussit, punivit pro inobedientia cap. 19; « *viderunt que Deum* » (*LXX* : ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ θεοῦ !), « *et comederunt ac biberunt* ».

Nomen אציל legitur seeus solum Is. 41,9, ubi de *extremis* seu *remotissimis* partibus terrae scribitur (ab אצל *in latere collocare, seponere*). *Vulg.* versionem unico, qui comparari potest, textui utique conformavit; item contextui cum cap. 19 sq., qui fere postulat aliquid h. l. dici de iis, qui ib. Deo inobedientes fuisse narrabantur. Omnino autem repudianda est conjectura *Verc.* corrigentis « qui proceres erant » pro « qui procul recesserant », cuius correctionis ipse fatetur nullos reperiri latinos testes. Aliae versiones item coniecturas protulere : *LXX* ἐπιλέκτων, *Chald. principes.* Item *Syr. senes* : pro senibus usus sane esset scriptor eadem voce atque v. 1. 9, non alia eaque perquam obscura. Neque intelligi possent omnes, qui ibi praesentes aderant, i. e. senes cum Moyse etc. : primum quia id scriptor unico suffixo clarissime expressurus erat, dein quia lectorum nullus exspectare poterat Deum in Moysen extenturum esse manum, qui continuo nubem intrabat. Ergo expressio primarie designat homines aliquos praeter illos v. 1 enumeratos; quo ad versionem Vulg. revocamur eos omnes exprimentis, qui 20,18 « steterant procul ». Verborum *comederunt et biberunt* non is est sensus (*Vat.*) : viso Deo non tamen sunt exanimati, cuius rei indubium argumentum est, eos postea cibo et potu more solito esse refectos; sed agitur de *epulo sacro*, quod victimas pacificas v. 5 consequebatur : a visione Dei reduces, eodem die 23,18 sacrificium incoeptum complevere perfuncti epulo sacro.

2. *Moyses solus ad Deum accedit* Ex. 24,12-18.

Arg. — Moyses rursus ascendit cum Iosue. Septimo die solus Moyses ad appropinquandum Deo invitatur, et cum Deo quadraginta diebus perseverat.

v. 12 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, et esto ibi* ». Ultima verba produnt diutius Moysen ibi esse mansurum, quem reapse nonnisi septima die v. 16 Deus vocavit de nube ad gloriae suae aspectum (*Malv.*). Quare Moyses v. 14 definit, quomodo causae graviores se absente sint expediendae (*Cai.*). Quaerit autem *Tost.*, quando hoc ascendendi mandatum datum sit Moysi, et merito censet idem esse cum illo v. 2; quodsi enim diversum esse supponatur, non perspicitur, inquit, quid Moyses, uti v. 2 iussus fuerat, ascendens omnino egerit. Igitur post epulum v. 11, quod mandatum v. 1 sq. nondum totum explesset, rursus Moysen, ut ascendat, invitatur; seniores hac vice non accersentur. « *Daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata, quae scripsi, ut doceas eos* ». *Hebr.* : *ad docendum eos* : non solus Moyses docebit, sed singuli docebunt suos filios et nepotes (Deut. 4,9 et passim).

In tabulis erant sola « decem verba » (Deut. 4,13; 10,4), i. e. decalogus. Et patet;

nam tabulae a Moyse manibus deferebantur (Ex. 32,15; Deut. 10,3) et, licet essent « scriptae ex utraque parte » (Ex. 32,15), non poterant omnia, quae cap. 20-23 leguntur, inscripta habere. Ridicule *Ps. Ion.* illis tabulis inscripta fuisse affirmat » reliqua verba legis et sexcenta tredecim praecepta ». Apte *Tost. legem ac mandata* pronuntiat esse ἓν διὰ δυοῖν. Haec expressio copula iungitur voci praecedenti, neque alius esse potest sensus, quam *legem ac mandata* inscripta esse tabulis. Ceterum copulam ignorant *Sam. LXX*, secundum quos expressio illa erit accipienda tamquam epexegesis aliqua, explicans tabulas. Urget *Dillm.*, decalogum non posse adstrui esse illam legem et mandata, quae Israelitae essent *docendi*, cum ea ipsi brevi ante e Dei ore audivissent. At repetenda erat ea doctrina et ad posteros transmittenda, ad quem finem utilissimus sane futurus erat textus authenticus Dei manu exaratus. Praeterea omnia fere, quae cap. 20-25 habentur, unius alteriusve mandati e decem sunt penitior declaratio et applicatio, ut tabulae ad haec quoque inculcanda usui futurae essent.

v. 13 « *Surrexerunt Moyses et Iosue minister eius* ». *LXX* ὁ παρεστηκὼς αὐτῷ. *Aq. Symm. Theod.* ὁ λειτουργὸς αὐτοῦ. Vox certe *servum* dicit, quandoque in sacris faciendis. Sed Num. 11,28 dicitur Iosue משרת מושה, מבחרו, ut igitur Iosue fuerit e numero בחורים Moysis. Quae vox *electos*, *iuvenes* sonat, imo *bellatores* (Is. 9,16; 31,8; Ier. 18,21). Adverte etiam 17,9 Iosue prodire ad proelium tamquam exercitus ducem. Nullius ante Deut. 31 revelationis socius assumitur Iosue, et gratuito cum *Tost.* plures inferunt, semper cum Moyse ascendisse Iosue, licet id h. l. tantummodo exprimatur. Rationem, cur hac una vice cum Moyse ascendisse scribatur, vix assignare poterit, qui non perspexerit, quae de antiqui ordinis sacerdotum in Moysen invidiis dicebamus. Decreverat igitur Deus superstitionem vituli aurei permittere, quo illi sacerdotes pro meritis perimerentur. At, si fidus magister exercitus in castris permanebat, nunquam caput erectura erat seditio. Eo absente carebant duce *bellatores*, imprimis Ephraimitae et, quid agerent nescii, nihil omnino erant acturi. Id ut fieret abductus est in montem Iosue. « *Ascendensque Moyses in montem Dei* », v. 14 « *senioribus ait : Exspectate hic, donec revertamur ad vos* ». Qui v. 12 de eodem atque v. 9 agi ascensu autumant, difficultatem habent in voce *hic*. Ubi *Calm.* putat, manu demonstrantem subiecta castra dixisse *hic* (!); aut reapse ea vocula eundem significasse locum, quo ipse v. 9 cum senioribus ascendisset, quod se non ita diu in vertice montis commoraturum putaverit; sed eo longas moras trahente, seniores in castra descendisse. Nos voce *hic* intelligimus ipsa castra, in quae Moyses v. 11 ad epulum sacrum descenderat, et unde v. 12 a Deo arcessitur. « *Habetis Aaron et Hur* » (17,10) « *vobiscum : si quid natum fuerit quaestionis, referetis ad eos* ». Feliciter *Vulg.* sensum reddit *Hebr. : quicumque dominus verborum, appropinquet ad eos*. Porro *verba* etiam significant causas, rixas : cf. 18,16-19. 26; 22,8. Causae minores, uti antea, ad seniores 18,24 insti-

tutos deferebantur; at causae maiores, quae 18,22 Moysi reservabantur, eo absente Aaroni et Hur definiendae conceduntur.

v. 15 « *Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem* », v. 16 « *et habitavit gloria Domini super Sinai* », « maiestas eius visibiliter se manifestavit » (*Ians.*), « *tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis* ». « Cur non primo die ipsum vocaverit, ratio est, ut ad colloquium Dei familiare ac diuturnum sex diebus se disponeret per orationem et contemplationem » (*Sylv.*). Merito *Malv.* Deum vocasse Moysen *solum* infert ex eo, quod 32,17 Iosue deprehendatur fuisse ignarus eorum, quae Deus Moysi dixerat. *Gloriam* Domini *Bonfr.* interpretatur solum ignem v. 17; melius *Men.* caliginem et ignem, cum v. 16 gloria Domini dicatur texisse montem nube. v. 17 « *Erat autem species gloriae Domini quasi ignis ardens* » — *Hebr. devorans* — « *super verticem montis in conspectu filiorum Israel* ». *Ps Ion.* : « Et videbant et admirabantur filii Israel » de castris portentum conspicientes. v. 18 « *Ingressusque Moyses medium nebulae, ascendit in montem* » altius, « *et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus* », omnino ieiunus Deut. 9,9. An sex illi dies intra quadraginta connumerentur, otiosa quaestio est. Fortasse quadraginta est numerus rotundus.

II. DIVINA DE NOVIS SACRIS PROCURANDIS ALLOQUIA Ex. 25-31.

Ordo sequentium universim hic est. 25,1-7 dona a populo conferri iubentur. Dein 25,8-40 describuntur *res sacrae* : arca, mensa panum propositionis, candelabrum; 26,1-30 *sanctuarium*, in quo res illae sacrae sint recondendae; 26,31-27,8 *sanctuarii ornatus*, sc. vela et holocaustorum altare; 27,9-19 id, quod sanctuarium separat a locis non sacris, i. e. *atrium*. Interiecto 27,20 sq. mandato de lucernae oleo, cap. 28 describit *sacerdotum vestes*, cap. 29 eorum *consecrationis ritum*. Agit porro 30,1-10 de altari thymiamatis, v. 17-21 de labro aeneo. Inter quae v. 11-16 inseritur monitum, unde pecunia pro sanctuario necessaria comparanda sit. v. 22-33 traditur modus conficiendi et adhibendi olei unctionis, v. 34-38 thymiamatis. 31,1-11 designantur faciendorum artifices Beseleel aliique. v. 12-18 inculcatur sabbatum. Verum haec omnia diversis continentur *divinis alloquiis* : 25,1-30,10 unum est continuum divinum alloquium, cui adnectuntur alloquia minora 30,11-16. 17-21. 22-33. 34-38; 31,1-11. 12-17.

Ordo vero, quo haec effectui mandata sunt, LXX in aliquibus dissentientibus, hic est. 35,1-3 inculcatur sabbatum, v. 4-29 rogantur dona a populo, 35,30-36,7 accersentur Beseleel aliique. Dein 36,8 sqq. paratur tabernaculum; cap. 37 arca, mensa

panum propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, quae omnia sunt aurea vel deaurata; 38,1-20 altare holocaustorum et labrum, quae ambo sunt aenea, et tabernaculi atrium. Sequitur v. 21-31 generalis conspectus. Item post confectas 39,1-30 sacras vestes, habetur v. 31-43 generalis conspectus. Cap. 40 tabernaculum erigitur et, post traditas Lev. 1-7 variorum sacrificiorum leges, Lev. 8 sq. Aaron et filii sacerdotes consecrantur.

Porro prioris ordinis 25,1-30,10 ratio satis perspicua est. Post descriptam arcam, mensam, candelabrum describitur, quo illa continentur, tabernaculum; post altare holocausti atrium illud concludens. Sanctuario his constituto providetur de sacerdotibus, ubi ante consecrationis ritum describi oportebat consecrandorum vestes. At minus planus est cap. 30 ordo. Putaverit quis, de altari thymiamatis et labro aeneo agendum fuisse statim post altare holocaustorum : includuntur quippe haec omnia atrio. Dein inter altare thymiamatis et labrum aeneum minus commode insertum cernitur monitum illud de pecunia comparanda. Quod monitum utique affine est iis, quae mox de oleo unctionis et thymiamate conficiendis subiiciuntur. Fueritne ordo rerum cap. 30 primitus idem, atque nunc est, necne, non satis liquet.

1. *Alloquium maius : de tabernaculo eiusque cultu* Ex. 25,1-30,10.

Insignis est huius pericopae unitas. Post indicta populo v. 1-7 dona, v. 8 duplicem cui illa impendantur enuntiat finem : « facientque mihi sanctuarium — et habitabo in medio eorum ». Illico *sanctuarii construendi* canonem tradit v. 9 : « iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum eius, sic facietis ». Isque canon, quoties ab uno articulo ad alterum transit oratio, in memoriam revocatur hac fere formula : « fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte » (25,40; 26,30; 27,8). Articulus igitur primus 25,10-40 describit *res sacras* tres, quarum recondendarum ergo totum sanctuarium exstruitur; secundus 26,1-30 describit *sanctuarium;* tertius 26,31-27,8 *sanctuarii ornatum*, vela et holocaustorum altare; quartus 27,9-19 *sanctuarii extrema,* atrium.

Altera pars illud 25,8 « *habitabo* in medio eorum » evolvit. Verbis 27,20 « Praecipe filiis Israel » resumitur quasi alloquium 25,2 « Loquere filiis Israel ». At non vacuam domum habitat Deus. Quare 27,20 sq. *praesentis numinis symbolum* instituit lumen; cap. 28 *ministrorum vestes* describit; clauditurque uterque articulus formula « Lex perpetua etc. ». Cap. 29 descripta *ministrorum consecratione* procedit ad describendum eorum *perpetuum officium* v. 38 sqq., quod est *sacrificium quotidianum*. Quibus observatis habebitur optatus effectus v. 45 : « Et *habitabo* in medio filiorum Israel eroque eis Deus ». Concluditque v. 46 solemni formula : « Ego Iahve Deus eorum ». Pro coronide tandem redit oratio ad lucernas, a quibus ea 27,20 sq. proficiscebatur, commemoratque alterum *perpetuum sacerdotum officium*

30,1-10 thymiamatis, quoties lucernae parentur, in *altari thymiamatis* incendendi. Ubi item v. 10 commemoratur sanguis eidem altari semel quotannis a pontifice aspergendus.

a. Dona pretiosa congerenda Ex. 25,1-7.

Arg. — Conferri iubentur dona pretiosa, e quibus secundum exemplar Moysis oculis iamiam obiiciendum conficiatur tabernaculum cum vasis suis, permanens Dei sedes futura, in qua habitet in medio populi sui.

Cap. XXV v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias* » ; — omnes concedunt minus apte sic a *LXX Vulg.* verti תרומה, quod *donum* sonat, *Chald. Syr. separatio*, id quod pro aliquo seponitur — « *ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas* ». Cf. 35,5 sqq. Agitur de donis spontaneis cogendis ad exstruendum sanctuarium. v. 3 « *Haec sunt autem, quae accipere debetis : Aurum et argentum et aes* ». — Aeris cudendi peritissimi erant Aegyptii. Ferri habebatur mentio Gen. 4,22 ; non habetur h. l., uti neque stanni et plumbi (*Sylv.*) ; Aegyptii antiquitus ferrum utique norant, sed longe communius utebantur aere (*Erman* p. 611) — v. 4 « *hyacinthum et purpuram* ». — Haec duo in textu etiam assyriaco (*Schrader*), qui elenchum tradit rerum coloratarum, reperiuntur : *takiltu* — *argamannu*. תכלת, ὑάκινθος, nomen graecum petitum non a flore sed a gemma coloris caerulei seu violacei, est succus profectus ex helice ianthina (Linn.), genus purpurae, quod Ez. 27,7 dicitur provenire « de insulis Elisa », i. e. de Graecia, non tamen de illis insulis solis. ארגמן, quod 2 Par. 2,7 (6) legitur forma aramaica ארגון (cf. *Chald. Syr.*), est purpura obscurior, etiam vergens ad nigredinem, quare Cant. 7,5 (6) sponsae coma ei purpurae comparatur ; *LXX* πορφύρα — « *coccumque bis tinctum* » — תולעת שני i. e. vermis (Deut. 28,39) cocci, sc. cocci ilicis (Linn. ; *gall.* cochenille) ; Lev. 14,4 שני תולעת sed plerumque simpliciter שני (Gen. 38,27. 30) ; 2 Par. 2,7 (6) et 3,14 vocatur כרמיל, unde *germ.* Kermes, *gall.* cramoisi. *Targ.* utramque vocem una reddunt voce צבע *color,* ob coloris fulgorem *Aq.* σκώληκος διάφορον. Falsam illam secundae vocis versionem *bis tinctum* etiam aliqui codices graeci habent : διπλᾶ — « *et byssum* », — βύσσον κεκλωσμένον i. e. byssum textile. שש repetunt a voce *aeg. schenti* vel *schens*, quae excellentissimam illam telam exprimit, quam Aegyptii e lino bombyce conficiebant. Ez. 27,7. 16 byssus aegyptiaca vocatur שש, syriaca בוץ (*Kn.*), quam vocem h. l. habent *Targ. Syr.* — « *pilos caprarum* » : ita etiam *LXX Syr.* vertunt עזים ; *Targ.* בעזי, i. e. res a capris

proveniens. Cf. 1 Reg. 19,13. Etiam pili caprarum texebantur. Ergo uti v. 3 metalla, ita v. 4 textilia recenset; sequuntur v. 5 pelles : « *et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas* ».

Si solum spectes cum priore expressione parallelismum, תחשים poterit exprimere vel animal (אילם) vel colorem (מאדמים). Hoc alterum expressere *LXX* ὑακίνθινα, *Aq. Symm.* ἰάνθινα, ergo violaceus; dum *Targ. Syr.* adstruunt animal ככגונא. E cuius pelle tentoria et calcei conficiebantur (cf. Ez. 16,10). At quodnam animal est Sasguna? Varii varias in medium proferunt coniecturas, quas vide apud Dillm. Appellat *Del.* (Prolegomena eines neuen hebr.-aram. Woerterbuches, p. 77 sq.) vocem assyram *tachschu*, quam censet exprimere vervecem : hoc esset satis affine iis, quae ante recensentur, *pellibus arietum*. Alii ex lingua arab. petunt significationem delphini seu alicuius animalis delphini affinis, suggeruntque trichechum manatum (Duiong, Halicore), qui in Mari Rubro abundat, et e cuius pelle calcei et scuta conficiuntur. Intelligitur sane genus corii, quod etiam Aegyptii norunt, quos in eo praeparando fuisse peritissimos disce ex *Erman* p. 598.

Post metalla, textilia et pelles sequitur lignum : « *et ligna setim* ». שטה, *aeg. schonti, schonte* est mimosa nilotica (Linn.), arbor procera, ramosa, in Aegypto et Arabia frequens. Est unica Sinaitidis arbor, quae constructionibus est apta. Lignum est durissimum, levissimum, fere incorruptibile (*LXX* ξύλα ἀσηπτα) : erat igitur aptissimum conficiendis iis, quae ad arcam spectabant, quae et longo tempore erant duratura et continuo circumferenda. Hoc lignum tandem nigrescit ad instar ebeni (*Syr.* אשכרעא). Ex eo fluit gummi arabicum. v. 6 « *Oleum ad luminaria* [*concinnanda*], *aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris* ». *Hebr. : aromata ad oleum unctionis et ad suffimentum odoramentorum*. Versum omittunt *LXX*, quos etiam conferas ad 35,8. 14. 19. 28. Sequuntur tandem gemmae, quas secundum 35,27 principes daturi erant : v. 7 « *lapides onychinos, et gemmas ad ornandum ephod ac rationale* ». אפד (cf. quae diximus ad 1 Reg. 2, 19) et חשן hic obiter nominantur tamquam res nota. Sc. eiusmodi vestes sacras viderant Hebraei apud Aegyptios, sacerdotes Hebraei fortasse iam ante Moysen gesserant. חשן depictum vide apud *W. Smith* I. 300, vestem inferiorem מעיל ib. p. 294 ; neque dubium Aegyptios etiam usos esse veste inferiore ad instar אפד.

De שהם diximus ad Gen. 2,12 : quae ea gemma fuerit, nondum certo constat. אבני מלואים, *lapides repletionis* : sunt hi variae gemmae, quae 28,17-20 enumerantur. Hae gemmae *circumcludendae* erant auro במלואתם, *in impletione sua*. Ergo haec impletio non est idem atque illa circumclusio : sed illae gemmae *replebant* rationale circa et inter duos maiores lapides שהם. Cf. 28,17. 20; 31,5; 35,33; 39,10.

b. Sanctuarii constructio Ex. 25,8-27,19.

v. 8 « *Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum* ».

v. 9 « *Iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, et omnium vasorum* [*in cultum eius*] : *sicque facietis illud* ». Copula ante כֵּן non est versione exprimenda. *Hebr. : Secundum omne, quod ego tibi ostendam, exemplar tabernaculi et exemplar omnium instrumentorum eius, sic facietis* vel *facies* (*Sam.*). Cf. v. 40; 26,30; 27,8; Num 8,4; et supra p. 258.

α. Res sacrae Ex. 25,8-40.

א. *Arca Ex.* 25,8-22.

Arg. — Describitur v. 10-16 arca ipsa cum annulis et vectibus, v. 17-21 propitiatorium cum Cherubim. Quae duo membra in eandem v. 16. 21 clausulam desinunt. v. 22 describit, quomodo Deus ex arca populum suum sit recturus.

v. 10 « *Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos et semis cubitos* » (fere 1· 3125m.), « *latitudo cubitum et dimidium* » (0·7875), « *altitudo cubitum* [*similiter*] *ac semissem* ». Ratio igitur erat 5 : 3 : 3. v. 11 « *Et deaurabis eam* » — *Hebr. : superinduces ei*, ergo laminae aureae superinducebantur (*Ios.* Ant. III. 6. 5 : cf. n. 3) — « *auro mundissimo* », quod nihil omnino argenti aliusve metalli admixtum haberet, « *intus et foris; faciesque supra coronam auream per circuitum* » (un rebord, eine Leiste, a ledge). An e verbis colligatur totus ille limbus fuisse ex auro (*Cai.*), neque solum e ligno auri laminis operto, non liquet. Cingebat is quatuor arcae latera (*Men.*). *Bähr* (ap. Dillm.) censet, עליו non edicere eum limbum affixum esse summis lignis sed fortasse circa medium; ita etiam craticulam 27,5 non ad summum sed ad medium tantummodo altare pertigisse. Verum ibi non scribitur עַל, sed עַד חֲצִי. Limbus hic sane idem est, atque aurei illi cardines (στρόφιγξι), quibus teste *Ios.* tegmen coaptabatur arcae. Limbo « tegebatur propitiatorii cum arca commissura » (*Malv.*). « Operculum arcae seu propitiatorium intra coronam illam conclusum fuisse videtur » (*Ians.*). Ita profecto perspicitur, quis eius coronae fuerit usus; quae si mediam arcam circumplectebatur, inutilis erat. Porro censet *Cai.*, arcam aliud praeter propitiatorium habuisse operculum, quo claudebatur; dum *Ios.*, qui rem scire poterat, dicit ipsum propitiatorium fuisse etiam operculum, et *LXX* v. 17 propitiatorium simpliciter vocant ἐπίθεμα, i. e. operculum.

v. 12 « *Et* » *fundes ei* « *quatuor circulos* », i. e. *annulos*, « *aureos, quos pones per quatuor arcae angulos* ». פַּעַם *ictus*, hinc *passus*, quia passus ictu pedis perficitur. A passu ad *pedem* facilis transitio : Ps. 56 (57), 7; 57 (58), 11; Cant. 7,1 (2); Is. 26,6. Tamen, ne cum *Aben Ezra* l. l.

vertamus *pedes*, illud prohibet, quod, cum omnes reliquae sanctuarii partes accurate describantur, eorum arcae pedum nulla iam fiat mentio. *LXX Symm.* vertunt *latera*, *Aq. Theod. partes*, *Chald. Syr.* uti Vulg. *angulos* : quae reapse videtur esse probabilis derivata significatio vocis פעם. « *Duo circuli sint in latere uno, et duo in altero* » ; i. e. duo annuli prostent in angulo anteriore et posteriore lateris dextri, per quos unus vectis traducatur, et duo item in latere sinistro pro altero vecte. v. 13 « *Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro* ». v. 14 « *Inducesque per circulos* » (annulos), « *qui sunt in arcae lateribus, ut portetur in eis* » ; v. 15 « *qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis* ». Annulos *Ios.* attribuit longioribus arcae lateribus, *Tost.* brevioribus ob rationes satis infirmas. Cum arca omnino imitetur Aegyptiorum arcas sacras tot monumentis depictas, coniicere licebit eam ita portari consuevisse vectibus, ut eorum, qui in propitiatorio essent, duorum Cherubim unus itineri dorsum, alter faciem obverteret. Cf. *Smith* p. 291. 293. Portari consuevisse a *quatuor* gestatoribus, suggerit *Aug.* : putaverim, Aegyptiorum instar, plures esse adhibitos, quo illa et levius et dignius portaretur. v. 16 « *Ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi* », sc. tabulas legis (*Cai.*), nam illas daturus erat Dominus. Neque obest, serius vocem de quibusvis Dei mandatis adhiberi ; in sing. tamen solummodo Ps. 118 (119), 88.

עדת, quod in Pentateucho semper articulum habet, est *testificatio*, i. e. solemnis affirmatio sive facti sive voluntatis, *testamentum*. Tabulae legis testantur divinam voluntatem decalogo expressam (*Vat.*) et, quia tabulae datae sunt documentum acceptatae a populo 24,3 divinae legis, etiam testantur factum sanciti foederis et concessarum divinarum promissionum (*Tost.*). Sunt autem tabulae testificatio, cum quatenus Dei verbum sunt testificans, tum quatenus scriptura sunt digito Dei exarata. Hinc natae sunt expressiones לחת העדת (31,18; 32,15; 34,29), ארון העדת (25,22; 26,33 sq.; 30,6. 26; 39,35; 40,3. 5. 21; Num. 4,5; 7,89; Ios. 4,16), פרכת העדת (Lev. 24,3), לפני העדת (Ex. 30,36; Num. 17,19. 25), משכן העדת (Ex. 38,21; Num. 1,50. 53; 10,11), אהל העדת (Num. 9.15; 17,22 sq.; 18,2). Cf. *Dillm.*

v. 17 « *Facies et propitiatorium de auro mundissimo* », aureum totum. כפרת a כפר *tegere*, ergo *operculum* : haec significatio certe prima occurrebat ei, qui inde a v. 10 tot audierat de arca et nihil de eius operculo conficiendo. Praeterea כפר etiam edicit *tegere peccatum*, ergo *propitiari* : hinc *propitiatorium* (*Vulg.* ; cf. Lev. 16,14. 16), ἱλαστήριον (*LXX*), חוסיא (*Syr.*). Nota, in כפרת Deum non solam propitiationem largitum esse, sed alia etiam, imprimis oracula. Versio *operculum* utique est praeferenda. « *Duos cubitos et dimidium* [*tenebit*] *longitudo eius, et cubitum ac semissem latitudo* », prorsus uti ipsa arca. v. 18

« *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies* », — ergo non e ligno superpositis laminis aureis, sed totos aureos (*Cai.*), uti ipsum propitiatorium. Cherubim tamquam res nota non describuntur : aspice Aegyptiorum depictas templorum muris pompas, videbisque, quas Hebraei viderant, Cherubim figuras in genua procumbentium coram sacris in arcis imaginibus. Alas habent brachia ; singuli Cherubim unum brachium alatum extendunt super sacram imaginem, illam tegentes vel protegentes, alterum demissum habent — « *ex utraque parte oraculi* », *propitiatorii*. Hoc innitebantur pro basi (*Bonfr.*). Faciendi erant *a duabus extremitatibus propitiatorii*, interstitium linquentes in medio. v. 19 « *Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero* » opposito. Additamentum habent *Hebr. Sam. Chald. : de propitiatorio facies* (*Sam. LXX Syr.*) *Cherubim in duabus extremitatibus eius*. Sensus videtur esse : facies eos quasi partem propitiatorii, adhaerentes illi. Sed aliter iungunt *Syr. LXX*. Hi, בן הכפרת ad priora trahentes, sequentia vertunt : *faciesque duos Cherubim super duas extremitates eius*. v. « *Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas* » *sursum* « *et operientes oraculum* » (propitiatorium), « *respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, [quo operienda est arca]* ». Cf. *Hebr.* ; cf. etiam, quae ad Gen. 3,24 de Cherubim diximus. Sensus clarus est : Cherubim, in oppositis propitiatorii lateribus constituti, facies ad invicem habebant conversas, simulque ad medium propitiatorii, quod vacuum erat. Dum enim in Aegyptiorum arcis medium inter Cherubim locum occupabat numinis effigies, apud Hebraeos (cf. 20,4) nulla erat numinis repraesentatio, sed invisibilis praesentia. Cherubim formis docemur simul, non ab omnibus sculptis imaginibus interdictos fuisse Hebraeos (*Sylv.*). v. 21 « *In qua pones testimonium, quod dabo tibi* » (cf. v. 16). v. 22 « *Inde praecipiam* » — *Hebr. : conveniam tecum* — « *et loquar ad te* » *de* « *supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel* ». Sensus est planus : Deus invisibiliter residet super operculum arcae et inter Cherubim, similiter atque effigies numinum Aegyptiorum conspiciuntur inter eosdem. Hinc dicitur « sedere super Cherubim » 2 Reg. 6,2 ; Is. 37,16 etc.

ב. *Mensa panum propositionis Ex.* 25,23-30.

Arg. — Describitur v. 23-28 mensa cum annulis et vectibus, v. 29 recensentur mensae vasa, v. 30 mensae usus (cf. v. 16,21).

v. 23 « *Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos*

longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem ». Mensas etiam aliae gentes cultui divino adhibuere; imprimis penes Aegyptios cernis mensas donis onustas, ante deos vel reges constitutas. Haec mensa, uti patet, habebat formam rectanguli oblongi. v. 24 « *Et inaurabis eam auro purissimo, faciesque illi labium* », i. e. limbum (cf. v. 11), « *aureum per circuitum* », quem nonnihil supra mensam eminuisse, non absurde coniicit *Sylv.* Hucusque textus sat planus est, sed v. 25 mire torsit interpretes. Nos variorum argutias non recensebimus, esset enim labor gravis nec satis utilis. Quid ipsi sentiamus, succincte proponemus. v. 25 « *Et ipsi* [*labio*] » *facies* « *coronam interrasilem altam quatuor digitis; et super illam alteram coronam aureolam* ». *Hebr. : Et facies ei* מסגרת טפח *in circuitu, et facies illi* מסגרת *limbum aureum in circuitu.* Pronomen *ei* retulit *Vulg.* ad *labium* v. 24, sed commodius refertur ad *mensam.* Porro e 3 Reg. 7,28-36 effici videtur, מסגרת esse *lacunam, aream, gall.* un panneau, *germ.* ein Feld. טפח etiam significat *palmam* (*quatuor digitos*): sed nemo perspicit, quo loco fuerit illa lacuna vel corona quatuor digitos alta. Sume potius ut participium verbi : *planus.* Verte igitur : Et facies ei lacunas planas in circuitu, et facies lacunis limbum aureum in circuitu. Singulae lacunae (erant autem quatuor numero pro numero laterum mensae) earumque limbi suis cingebantur limbis. Mensa erat situ horizontalis, lacunae cum suis limbis verticales; limbus limbum attingebat, et lacunas ab invicem separabat simulque invicem iungebat. An lacunae cum suis limbis essent e ligno atque auro superinductae, non liquet; non erant sane totae aureae. v. 26 « *Quatuor quoque circulos aureos* », i. e. annulos (cf. v. 12), *ei*, sc. mensae « *praeparabis, et pones eos in quatuor angulis* [*eiusdem mensae*] *per singulos pedes* ». Quatuor pedes habebat mensa subter lacunas eorumque limbos, uti v. 27 innuit *Vulg.;* singuli pedes habebant annulum; annuli ita erant dispositi bini ad dexteram et bini ad sinistram (cf. v. 12), ut duo vectes per illos transmitterentur. פאה latus, margo, extremum; sed *Vulg. Chald. Syr.*, uti v. 12, videntur legisse פעמות. v. 27 « *Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari* ». *Hebr. : Prope lacunas erunt annuli, in loca pro vectibus ad portandam mensam.* Cf. *Chald. Syr.* v. 28 « *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam* ». Sequentia nomina suffixis ornantur, quibus perspiciantur vasa illa ad mensam panum propositionis pertinere. v. 29 « *Parabis et acetabula ac phialas, thuribula et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo* ». Cum ex Num. 4,7 etiam קשות inserviant libationibus, sententia relativa h. l. ad haec etiam et non ad sola מנקיות refe-

renda est. נפות Num. 7,14 describuntur « plena incensi »; sunt naviculae, in quibus offerebatur et asservabatur incensum. קערות Num. 7,13 describuntur fuisse « plena simila conspersa oleo ». Porro versiones haec vocabula exprimunt nominibus vasorum iis, quae in sua quisque lingua proxime accedere putabant ad formam vasis hebraici; quae tamen h. l. supervacaneum est recensere. *Acetabulum* est vas acetum habens ad intingendum panem. v. 30 « *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper* ». Loquitur de his panibus quasi de re nota.

ג. *Candelabrum Ex.* 25,31-39.

Arg. — E basi nascitur hastile, quod summum in quatuor calices superpositos efflorescit. E tribus in hastili nodis nascuntur rami laterales bini, efflorescentes singuli in tres calices superpositos. In calicibus singulis e calice nascitur sphaerula seu nodus, e nodo lilium. Lampas supremo lilio imponitur, ut sint lampades omnino septem. Omnia ex auro conficiuntur.

v. 31 « *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo* », quod ideo 31,8; 39,36 (37); Lev. 24,4 vocatur « candelabrum mundum » (*Kn.*); « *hastile eius et calamos, scyphos et sphaerulas ac lilia ex ipso* [*procedentia*] » *erunt.* מבוכה (fem.) *Vulg. LXX* commode referunt ad מנירה, ergo : procedent e candelabro. Sensu fere eodem *Dillm.* : erunt ex eo, erunt unum cum illo, provocans ad v. 19, ubi tamen lectio est incerta. *Vat.* suffixum fem. refert ad masc. זהב : erunt ex auro. ירך femur, ea est pars corporis, unde crura separantur, et in candelabro opponitur calamo seu trunco קנה : ergo illud non est *hastile*, καυλός, שדא (*Chald.*), sed בסס *basis* (*Syr.*); et sequens קנה (sing.) est ipse candelabri *truncus*, hastile. At praeter illum unum קנה habentur sex קנים calami, rami, *brachia* ex illo uno trunco procedentia : v. 32 « *Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero* ». Ex unoquoque calamo egrediuntur tres *scyphi* seu potius calices (גביע, cfr. Gen. 44,2 sqq.), florum calices imitantes. Singuli calices habent כפתיר, quod in columnis corollam seu capitulum designat, ergo in candelabro *sphaerulas*, σφαιρωτῆρες, *Chald. Syr. malum punicum;* et פרח *florem* seu, uti belle *Vulg. Chald. Syr.* habent, *lilium* : quo lilio continetur lampadis oleum. Calix efflorescit in sphaerulam, sphaerula in lilium. v. 33 « *Tres scyphi* [*quasi*] *in nucis* », seu potius *floris amygdalae* « *modum, per calamos singulos, sphaerulaque* [*simul*] *et lilium; et tres* [*similiter*] *scyphi instar nucis in calamo altero, sphaerulaque* [*simul*] *et lilium : hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili* » seu trunco. Singuli e sex calamis producunt calices trinos, fortasse

unum supra alterum. At non soli calami seu rami suos producent calices, sed ipsum etiam hastile seu truncus : v. 34 « *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi* » seu calices, « *in nucis modum, sphaerulaeque per singulos et lilia* ». Ipsum tandem hastile in quatuor calices superpositos efflorescit, non in tres, uti calami laterales. v. 35 « *Sphaerulae sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno* ». Pluribus verbis sed clarius *Hebr.* rem explicat : *et sphaerula infra duos* (infimos) *calamos ex eo*, sc. candelabro progerminans; *et sphaerula infra duos* (medios) *calamos ex eo; et sphaerula infra duos* (summos) *calamos ex eo; quoad sex calamos egredientes de candelabro.* Tres in ipso candelabri hastili erant sphaerulae, e quibus egrediebantur non lilia, uti adstruit *Kn.*, sed duo calami, simulque ipsum hastile altius assurgens. v. 36 « *Et sphaerulae igitur et calami ex ipso erunt* » candelabro, ex ipso veluti nascentur; quod illico explicatur : « *universa ductilia de auro purissimo* », seu clarius *Hebr. : toti erunt unum* (opus) *ductile ex auro purissimo.* Non variae partes separatae parabuntur, sed totum opus ex uno fiet. *Hebr. : sphaerulae eorum et calami eorum*, sc. illorum sex calamorum (v. 35), ergo sex calami et sphaerulae tres; sed idipsum sane etiam valet de reliquis sphaerulis (v. 33). v. 37 « *Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso* », *ex adverso faciei eius*, sc. candelabri, seu secundum Num. 8,2 ut respiciant ad boream et ad mensam panum propositionis. Quare perspicitur (*Cai.*), lucernas illas non fuisse omnino planas et lumen aequaliter in omnes plagas diffundentes, sed habuisse veluti rostra in una parte. v. 38 « *Emunctoria quoque et, ubi quae emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo* ». E Num. 16,6 collige, מחתה non esse palam seu batillum pro carbonibus, neque forcipem, sed *thuribulum*, non illud quidem quod circumagitur, sed in quo ignis asservatur ad incensum adolendum et ad alias lampades accendendas. v. 39 « [*Omne pondus*] *candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi* ». *LXX* omittunt את, et *Hebr. Chald.* post eam vocem ignorant copulam : assignant igitur pondus emunctoriorum et thuribulorum, non vero rei omnino praecipuae, candelabri. Omnino post את scribenda copula cum *Sam. Vulg. Syro.*

Descriptionem claudit generale (cf. v. 9) monitum. v. 40 « *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* ». Quo supplentur ea, quae verbis in prioribus non exprimebantur, v. g. quae futura esset candelabri altitudo (*Cai.*).

β. Sanctuarium Ex. 26,1-30.

Rem de se non ita facilem intellectu difficiliorem reddidit *Vulg.*,

quibusdam vocibus non sat accurate translatis. Dum Hebr. v. 1-6 (cf. v. 12. 15. 18. 20. 22. 26. 30) agit de *habitaculo* משכן, et v. 7-14 de *tabernaculo* אהל, Vulg. plerumque scribit *tabernaculum*, quandoque *tectum* vel *operimentum*. Eadem quos 25,4 dixerat *pilos caprarum*, ea v. 7 vocat *cilicina*. Quae 26,1-6 dixerat *cortinas* et *circulos*, ea iam scribit *sagum* et *fibulam*. Quae vocabulorum mutationes, ubi de rebus agitur iisdem, sermonem confundunt. — Igitur cap. 26 primum agit de habitaculi cortinis byssinis, de tabernaculo cilicino et pellibus illud operientibus; dein de ligneis habitaculi parietibus.

א. *Habitaculum Ex.* 26,1-30.

Arg. — Decem cortinae byssinae in quinarum cortinarum duo tapeta coniunguntur. Haec quinquaginta aureis uncinulis, bis quinquaginta ansulis insertis ita iunguntur, ut uncinulorum series simul sancti sanctorum a sancto limen describat.

Cap. XXVI v. 1 « *Tabernaculum vero ita facies : decem cortinas de bysso retorta* » — ita etiam *LXX* vertit משזר; *Chald.* שזיר significat fila dupliciter contorquere; item *Syr.* עזיל — « *et hyacintho ac purpura coccoque bis tincto* », — verte *et verme cocci*, uti 25,4 — « *variatas opere plumario facies* ». Sed pro *variatas* omnes textus habent *Cherubim*, a qua voce novam incipias sententiam. Ergo cortinae erant ex bysso (*Cai.*); cui intexebantur fili purpurei etc., et quidem ita, ut non solum efficeretur textura diversicolor, sed ut e diversi coloris filis efficerentur formae Cherubim, quod opus erat *plumariorum*. In eiusmodi opere Aegyptii imprimis excellebant : cf. *Erman* p. 594. v. 2 « *Longitudo cortinae unius habebit viginti octo cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit. Unius mensurae fient universa tentoria* », seu accuratius *universae* illae decem *cortinae*. v. 3 « *Quinque cortinae sibi iungentur mutuo, et aliae quinque nexu simili cohaerebunt* »; ita ut, quando iunctae fuerint, habeantur tapeta duo, quorum unumquodque longitudinis habeat cubitos viginti octo, latitudinis vero quinquies quatuor, i. e. viginti.

Quod v. 4 sq. traditur de cortinis invicem iungendis ope ansularum et circulorum, dubitari potest an ad quinas cortinas inter se iungendas referatur, an ad duo quinarum cortinarum tapeta referatur. Hoc alterum indubie evincit v. 33 iubens velum, quod in aditu erat sancti sanctorum, collocari « infra circulos » : ergo ibi nec alibi erant illi circuli. Ergo tapetum unum operiebat sanctum sanctorum, tapetum alterum eiusdem magnitudinis operiebat sanctum; duae illae sanctuarii partes simul sumptae longitudinis erant quadraginta cubitorum,

imo paulo maioris, crediderim quippe duo tapeta per ansulas et circulos non fuisse ita arcte coniuncta, sed aliquo interiecto intervallo. Quomodo vero quinae invicem, quae in tapeta coalescebant, iungerentur cortinae, non edocemur; id non videtur effectum esse ansulis et circulis; fortasse permanentiori ratione, v. g. nendo (*Tost.*).

v. 4 « *Ansulas hyacinthinas in lateribus* [*ac summitatibus*] *facies cortinarum*, [*ut possint invicem copulari*] ». Textum nonnihil obscurum *Hier.* liberius vertens difficiliorem reddidit. Quid ipse senserit, ex eius versione satis apparet. Ansulas seu laqueolos non in solis lateribus, sed etiam in summitatibus adstruxit. Videtur supposuisse, duo tapeta in « summitatem » sanctuarii conspirasse atque ibi fuisse iungenda; videtur praeterea sensisse, singulas cortinas « in lateribus » fuisse iungendas inter se ansulis et circulis. Sed illud *in summitatibus* non est in textu. *Hebr.* ita habet : *Faciesque ansulas hyacinthinas super labium cortinae unius, in extremitate, in loco coniunctionis; itemque facies in labio cortinae extremae, in loco coniunctionis secundo.* Quinis inter se iunctis cortinis, iam non habentur nisi duo tapeta aut, ut verbis textus hebraei loquamur, duae *cortinae* maiores : *cortina una*, et *cortina extrema* seu remotior. Ansulae igitur faciendae sunt in *cortina una*, et quidem in *labio* seu longitudinis latere, et quidem *in extremitate* seu in extremo eo latere : is enim proprius est eiusmodi ansularum locus. Eadem vero *extremitas* ab usu, cui iam adhibetur, vocatur *locus coniunctionis*, eique in altero tapeto seu in *cortina remotiore* correspondet *locus coniunctionis secundus*.

Pro מקצה *Sam.* בקצה. — חברת et מחברת non sunt nomina (*Dillm.*) tapeti unius et alterius, e quinis compactorum cortinis. Voces sunt incertae lectionis. *Sam.* h. l. bis habet מחברת; idemque habent *Sam. Hebr.* 36,11, qui textus verbotenus ceteroqui nostro textui consonat; 36,17 *Sam. Hebr.* priore loco habent מחברת, posteriore חברת. Nullum igitur earum vocum defendi potest discrimen; primitus fortasse una eademque ubique legebatur vox.

v. 5 « *Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte* [*ita insertas*], *ut ansa contra ansam veniat*, [*et altera alteri possit aptari*] ». *Hebr.* : *Quinquaginta ansulas facies in cortina una, et quinquaginta ansulas facies in extremitate cortinae, quae est in coniunctione secunda : oppositas ansulas unam ad alteram.* Cuivis ansulae in coniunctione prima correspondebit ansula in coniunctione secunda.

v. 6 « *Facies et quinquaginta circulos aureos* », seu exactius uncinulos, qui singuli uni ansulae unius coniunctionis et uni ansulae alterius coniunctionis insinuarentur, « *quibus cortinarum* [*vela*] *iungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat* ». *Hebr.* : *Faciesque quinquaginta*

uncinulos aureos, et iunges cortinam unam alteri uncinulis, ut fiat habitaculum unum.

ב. *Tabernaculum Ex.* 26,7-13.

Arg. — Illud habitaculo superminebat. Cortinae e pilis caprarum quinque et sex in duo disparia iungebantur tapeta, quae ansulis aeneisque uncinis iungebantur et super tapeta byssina partim dependebant.

v. 7 « *Facies et saga cilicina undecim* », dum v. 1 decem tantum cortinae byssinae mandabantur, « *ad operiendum tectum tabernaculi* » — *Hebr. : in tabernaculum supra habitaculum.* Futurum enim erat tabernaculum tentorium quoddam super habitaculum eminens. v. 8 « *Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo quatuor : aequa erit mensura sagorum omnium* ». Quae duobus cubitis excedebant longitudinem cortinarum byssinarum. v. 9 « *E quibus quinque iunges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti* » — *Hebr. tabernaculi* — « *duplices* ». v. 10 « *Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut coniungi cum altero queat; et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur* ». v. 11 « *Facies et quinquaginta fibulas aeneas* » — circulos vel uncinulos. — « *quibus iungantur ansae, ut unum ex omnibus operimentum* » — *Hebr. tabernaculum* — « *fiat* ». v. 12 « *Quod autem superfuerit in sagis,* [*quae parantur*] *tecto,* [*i. e.*] *unum sagum, quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi* ». *Hebr. : Quod autem dependet superfluitatis sagorum tabernaculi :* est praefatio aliqua ad reliquum v. 12 et ad v. 13 — *dimidium sagi superflui dependebit super posteriora habitaculi.* Nota vocum אהל et משכן constans discrimen. v. 13 « *Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens* ». *Hebr. : Et cubitus hic et cubitus ibi de eo, quod est superfluum in longitudine tabernaculi, erit extensus super latera habitaculi hinc et illinc, ad ea tegenda.*

Secundum ea, quae v. 1-6 explicata sunt, sat facile haec intelliguntur exceptis iis, quae h. l. de *superfluitate sagorum* adduntur. Sc. saga ambitu nonnihil excedebant eas, quibus superimponebantur, cortinas. Longitudinis erant non viginti octo, sed triginta cubitorum, ergo ab utroque latere, ubi cortinae terram attingebant, cubiti longitudine illas excedebant et penitus obtegebant (v. 13). Praeterea alterum sagorum tapetum non quinque sed sex constabat sagis, duo tapeta simul latitudinem efficiebant non quadraginta sed quadraginta quatuor cubitorum. Iubet v. 12 eius excessus dimidiam partem, latitudinis duorum cubitorum, posteriora habitaculi operire, non tota utique, nam ad id sagi excessus non erat satis, idque officium sine dubio praestabant pelles v. 14. Iubet porro v. 9 alteram dimidiam partem in

fronte tabernaculi replicari, instar « fastigii et porticus », ut non inepte suggerit *Ios.* Vides igitur, ansulas et uncinulos, quibus sagorum tapeta iungebantur, non esse accurate superposita ansulis et uncinulis, quae tapeta byssina continebant, sed duorum cubitorum intervallo ab iis distitisse : nulla illis intervallis in sanctuarium immittebatur lux.

ג. *Tabernaculi operimentum Ex.* 26,14.

v. 14 « *Facies et operimentum* [*aliud*] *tecto* » — *Hebr. tabernaculo,* hinc non *aliud,* cum hoc sit primum tabernaculi, ut ab habitaculo distinguitur, operimentum — « *de pellibus arietum rubricatis; et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus* ». Cf. 25,5. Putat *Cai.,* haec duo operimenta solum tabernaculi tectum texisse et a pluviis defendisse, non latera; et, dum tectum esset planum, haec operimenta sursum in angulum conspirasse, quo facilius pluviae defluerent. Haec gratuito adstruuntur. Illud vero indubium videtur, his operimentis omnino contecta esse tabernaculi posteriora, quae cortinis byssinis nequaquam, sagis vero nonnisi ex parte tegebantur.

ד. *Habitaculi parietes Ex.* 26,15-30.

Arg. — Constabant parietes tabulis de lignis setim, quae habebant bases et capitella argentea et continebantur vectibus per annulos aureos transmissis.

v. 15 « *Facies et tabulas* » seu trabes « *stantes* », i. e. erectas (*Tost.*), quarum una sit altitudo et longitudo, « *tabernaculi, de lignis setim* ». Sed pro *tabernaculi, Hebr. habitaculi :* ad hoc quippe redit oratio, et constabat habitaculum parietibus ligneis cum superpositis cortinis byssinis. *LXX* στύλους, *columnas,* ita vertentes עבדים et ignorantes vocem הקרסים. v. 16 « *Quae singulae denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem* ». v. 17 « *In* [*lateribus*] *tabulae duae incastraturae fient, quibus* [*tabula*] *alteri* [*tabulae*] *connectatur; atque in hunc modum cunctae tabulae parabuntur* ». Gratuito *latera* in textum introduxit *Hier.;* hinc devenit in *incastraturas* seu compages, quae habentur, quando in unius trabis latere secundum totam longitudinem exscinditur pars aliqua prominens, quae in partem cavam in latere alterius trabis impingitur. Tamen v. 19 vertit *angulos,* secutus sane *LXX* v. 17 ἀγκωνίσκους. Neque illud affirmat textus, per illas « incastraturas » tabulam tabulae esse connexam. *Hebr. : Duae manus erunt tabulae uni, parallelae invicem.* Nomine *manus* venire potest, quidquid protruditur et alteri prehendendo inservit. Hae manus teste v. 19 erant « in extremitate inferiore tabularum » (*Vat.*), et in bases intrabant. Probabiliter igitur vertit *Symm.* κατοχεῖς, manubria; *Chald. Syr. car-*

dines. מושלבת *LXX* vertunt ἀντιπίπτοντες (ἕτερος τῷ ἑτέρῳ); *Syr.* תריצין, rectae; *Chald.* בישלבין, quae vox significationem habet « parallelus » (*Levy*). Quae significatio reapse optime quadrat.

v. 18 « *Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad austrum* ». *Hebr.* per modum generalis introductionis ad omnia sequentia repetit priora v. 15 verba : *Et facies tabulas pro habitaculo.* Dein absolute pergit : *viginti tabulas ad latus australe, meridiem versus.* תימן fortasse erat antiquius meridiei nomen : habetur tantum v. 35; 27,9 et tamquam nomen venti australis in locis poeticis Ps. 77 (78), 26; Cant. 4,16. Potuit posterior aliquis נגב adscribere, quod ignorant *LXX;* et cf. etiam *Chald. Syr.* v. 19 « *Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binae bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur* ». Clarius *Hebr. : Quadraginta bases argenteas facies subter viginti tabulas, duas bases subter tabulam unam pro duabus manibus, et duas bases subter tabulam unam pro duabus manibus.* Cardines singuli in singulas bases immittebantur. Si adstruas bases fuisse oblongas et recto angulo ad tabulas dispositas, perspicies eas ad tabulas erectas sustinendas plurimum contulisse. Tamen haec analogiam in aedificiis gentium, maxime Aegyptiorum, non habent potestque res aliter, et fortasse melius concipi. v. 32 columnis tribuuntur solae אדנים, quas *bases* Vulg. vertit, cum tamen eas columnas capitella etiam habuisse vix fas sit dubitare. תחת non solum *subter* significat, sed etiam *pro.* Coniecerim ergo אדן significare *coronam* (*gall.* cornice), quae tam in imo quam in summo pariete habetur; in columna significare tam *basin* quam *capitellum* (*Aug.*). Illae coronae erant tam latae atque ipsae tabulae. Cardines vero v. 17, secundum hanc interpretationem, non erant paralleli ex ima trabe prominentes, sed *eandem directionem habebant* (מושלבת), unus eminens ex ima, alter e summa trabe. v. 20 « *In latere quoque secundo tabernaculi* », — *Hebr. habitaculi* — « *quod vergit ad aquilonem, viginti tabulae erunt* », v. 21 « *quadraginta habentes bases argenteas : binae bases singulis tabulis supponentur* ». v. 22 « *Ad occidentalem vero plagam tabernaculi* » — *Hebr. habitaculi* — « *facies sex tabulas* », v. 23 « *et rursum alias duas, quae in angulis* [*erigantur*] *post tergum tabernaculi* » — *Hebr. habitaculi.* v. 24 « *Eruntque coniunctae a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit* ». Quae videtur *Hier.* ad omnes omnino tabulas retulisse; sequentibus vero redit ad duas tabulas angulares : « [*Duabus quoque tabulis*], *quae in angulis ponendae sunt, similis iunctura servabitur* ». Verte ita : *Eruntque geminae ab imo, et simul erunt geminae usque ad summum in coniunctionem unam; ita erit quoad ambas ipsas, erunt in duas tabulas angulares.*

Agitur de duabus v. 24 tabulis angularibus. תאמם — תמים : sed *bis eandem* vocem legebant *Sam.* (תאמים), *Vulg.* (*coniunctae*), *LXX* (ἐξ ἴσου-ἴσοι), *Chald.* (בכזנין). Neque bis legebant תמים, quae vox est numeri singularis : ergo תאמם vel תאמים. תאם significat « geminos parere » (Cant. 4,2; 6,6); *Aq. Symm. Theod.* h. l. διδυμεύοντες, i. e. habentes geminos. Tabula angularis, quae angulum circumplectebatur, e trabibus constabat duabus seu geminis ab imo ad summum, per totam decem cubitorum v. 16 longitudinem. Pergit *Hebr.* אל הטבעת האחת, *usque ad annulum* (cf. v. 29) *unum* seu *primum*. Idem legebant *Sam. Chald. Syr.* : sed additum caret sensu. Aliter legebant *Vulg. compago*, et *LXX* εἰς σύμβλησιν μίαν : fortasse אל חברת אחת, *in coniunctionem unam*. Quanta fuerit ea angularis tabula, non docemur. Fuit utique decem cubitos longa, et etiam unum ac semissem lata in plaga occidentali, cum in ea plaga simpliciter numerentur v. 25 tabulae octo et bases sedecim. Videtur fuisse minus lata in altera plaga, in qua nullae ei conceduntur bases.

v. 25 « *Et erunt simul tabulae octo, bases earum argenteae sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis* ». v. 26 « *Facies et vectes de lignis setim quinque ad* [*continendas*] *tabulas in uno latere tabernaculi* », — *Hebr. habitaculi* — v. 27 « *et quinque alios in altero, et eiusdem numeri ad occidentalem plagam* », v. 28 « *qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum* ». Sed reliqui textus id nequaquam de omnibus vectibus praedicant : *Et vectis medius per medias tabulas, transibit ab una extremitate ad alteram*, per totam latitudinem parietis lignei. Erant praeterea infra et supra vectem medium alii bini, sed non debebant totam latitudinem aequare. Duo ab una, et duo alii ab altera extremitate profecti, ad medium fortasse tantum parietem pertingebant; singulae tabulae trinis vectibus sustentabantur. v. 29 « *Ipsas quoque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes* [*tabulata*] *contineant* » : ergo trinos singulis tabulis annulos. « *Quos operies laminis aureis* ». v. 30 « *Et eriges tabernaculum* » — *Hebr. habitaculum* — « *iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est* ». Cf. 25,40.

γ. Sanctuarii ornatus Ex. 26,31-27,8.

א. *Vela Ex.* 26,31-37.

Arg. — Sunt ea velum (פרכת), quo separatur sanctum sanctorum a sancto, et velum (מיכך) claudens ingressum sancti. Illud e quatuor, hoc e quinque columnis dependebat.

v. 31 « *Facies et velum de hyacintho et purpura coccoque bis tincto* », — *et verme cocci*, cf. 25,4 — « *et bysso retorta* » (cf. 26,1), « *opere plumario* [*et pulchra varietate*] *contextum* » *Cherubim;* nam etiam h. l. haec vox additur. Nomen פרכת huic solo velo adhibetur. v. 32 « *Quod appendes ante* » (על) « *quatuor columnas de lignis setim,*

quae ipsae quidem deauratae erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas ». ו non est *caput* seu *capitellum* (*LXX Syr.*), sed est *hamus*, a quo velum dependebat. Tamen adfuisse etiam capitella, et quidem argentea, collige ex iis, quae ad v. 19 dicebamus. v. 33 « *Inseretur autem velum per circulos* » (cf. v. 6), — *Hebr. : ponesinfra circulos* — « *intra quod pones arcam testimonii, quo et sanctuarium et sanctuarii sanctuaria dividentur* ». Etiam in hoc simile erat sanctuarium Hebraeorum templis Aegyptiorum : τὰ δὲ ἄδυτα πεποικιλμένοις ἐπιστιάζεται πέπλοις (*Clem. Alex.* Paedag. III. 2; *M.* 8. 560).

Quae fuerit sancti et sancti sanctorum longitudo, non edocemur : quae si extrinsecus mensurabantur, habebant simul longitudinem triginta, latitudinem duodecim cubitorum (v. 16 sqq.). Salomo sancto sanctorum 3 Reg. 6,20 cubi formam tribuens merito censetur servasse proportiones a Moyse traditas. Ergo cum adyti latitudo fuerit duodecim cubitorum ($8 \times \frac{3}{2}$), tribuenda eidem erit etiam duodecim cubitorum longitudo, manebuntque pro sancto longitudinis cubiti octodecim. Dices, neque sic haberi cubum, cum parietibus v. 10 non duodecim, sed decem cubitorum altitudo tribuatur. Sed adverte, altitudini addi oportere bases seu coronas tabulis et subterpositas et impositas; subtrahendam vero esse tam a longitudine quam a latitudine tabularum crassitudinem. Quae si attendas omnia, nulla ope cubum demonstrabis. Habebis etiam illud, uti in templo Salomonis, ita in sanctuario Moysis longitudinem sancti duplam fuisse longitudinis sancti sanctorum.

Cum porro sanctuarii et latitudo extrinsecus mensurata et altitudo fuerint duodecim cubitorum, et tapetorum tam byssi quam sagorum longitudo fuerit viginti octo et triginta cubitorum, patet tapeta byssina solas altitudinis duas tertias partes, i. e. octo utrimque cubitos operuisse, tapeta sagorum tres quartas partes, cubitos utrimque novem, sola e pellibus operimenta ad humum usque se demisisse.

v. 34 « *Pones et propitiatorium super arcam testimonii in sancto sanctorum* », v. 35 « *mensamque extra velum, et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano; mensa enim stabit in parte aquilonis* ». v. 36 « *Facies et tentorium* », seu potius *velum*, « *in introitu tabernaculi* » — אהל, ergo *sancti* — « *de hyacintho et purpura coccoque bis tincto et bysso retorta, opere plumarii* ». Non additur *Cherubim*, neque artifex vocatur חשב (v. 1. 31), sed רקם : quae vox censetur eum designare, qui varii coloris filos contexat, non tamen texendo animalia aut alias res effingat. v. 37 « *Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea et bases aeneae* ». *Hebr. : Et facies velo quinque columnas setim, quas deaurabis, et hamos aureos; et fundes eis quinque bases aeneas* ». Dices, si *quinque* tantum fuere אדנים, ergo non erant capitella, quod est monstri simile. Sed capitella, quae h. l. desiderantur, habes 36,38, erantque illa deaurata. — Plura post v. 35 inserit *Sam.* e 29,1-11 transumpta.

ב. *Altare holocaustorum Ex.* 27,1-8.

Arg. — Altare cornutum faciendum praecipitur cum vasis suis et crate aenea media altitudine altari inserenda, cui ligna et victimae imponantur; ferendum vectibus per annulos aereos transmittendis.

Cap. XXVII. Atrium tabernaculi et ea, quae in ipso erant, descripturus auctor a describendo altari initium facit. v. 1 « *Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine* ». Cum 20,26 gradus prohibeantur, oportet fuisse aliquod planum inclinatum, quo ad hoc altare ascenderetur. v. 2 « *Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt* ». *Hebr. : Et facies cornua eius in quatuor angulis; ex ipso erunt cornua eius. LXX :* ἐξ αὐτοῦ ἔσται τὰ κέρατα. « Non erant adiectitia, sed ex ipso altari prodibant » (*Cai.*). « *Et operies illud aere* ». Sanguis victimarum illiniebatur cornubus altaris 29,12; Lev. 4,7. Etiam altare thymiamatis 30,2 cornua habebat. Habuerintne Aegyptiorum altaria cornua, non satis liquet; εὐκέρως βωμός legitur apud *Nonnum* (Dionys. 44,97); aliqua Graecorum altaria cornuta depinguntur (cf. *Dillm.*). Cornua illa, uti videtur, in altum erecta Hebraeis erant altaris pars sanctissima, quae amplectebantur rei asylum quaerentes (3 Reg. 1,50; 2,28). Cornuum nomen quandoque ipsum altare designat : Ps. 117 (118),27; Am. 3,14. v. 3 « *Faciesque in usus eius lebetes ad* [*suscipiendos*] *cineres, et forcipes atque fuscinulas, et ignium receptacula. Omnia vasa ex aere fabricabis* ».

סירת est *lebes; Chald.* פסכתרא = ψυκτήρ, vas ad liquida refrigeranda. לדשנו, *ad pinguedinem eius*; quo nomine etiam appellatur *cinis* pinguedine saturatus, qui post sacrificium supererat in altari : Lev. 1,16; 4,12; 6,10 sq. (3 sq.); Num. 4,13; 3 Reg. 13,3. 5. — יע probabilius est *pala* vel *rutrum*, ad cineres in lebetem transferendos; id significat Chald. בירגופיתא. — Omittit *Vulg.* מזרקה a זרק *aspergere*, ergo sane vas ad sanguinem aspergendum. Cf. Zach. 9,15. Am. 6,6 ex eo vase bibunt, et Num. 7,13 sqq. in illo offertur simila conspersa oleo. *LXX* φιάλας. — מזלג *fuscinula :* 1. Reg. 2,13 sq. habetur « fuscinula tridens ». — מחתה *thuribulum*, i. e. vas in quo carbones ardentes asservantur : cf. 25,38.

v. 4 *Faciesque ei*, sc. altari, — ita *Hebr.* versum orditur — « *craticulamque in modum retis aeneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli aenei* ». v. 5 « *Quos* » — corrige *quam* — « *pones subter arulam altaris, eritque craticula usque ad altaris medium* ». כרכב (*arula*) est *corolla*, *margo* aeneus ubique in circuitu eminens, cuius marginis partes maxime prominentes sunt cornua. Craticula igitur ponenda est *infra corollam, deorsum... et erit ad medium altaris* : ita enim vertere possumus, cum עד non solum sonet *usque ad*, sed etiam simpliciter

ad ; neque מלמעלה necessario designat inferiorem totius altaris partem, sed uti תחת demonstrat aliquid corolla inferius. Quae vero citavimus verba, non enuntiant, craticula collocandane fuerit situ verticali an horizontali. Unde *Cai.* interpretatus est rete aeneum erectum, quatuor altaris latera circumplectens, et ad mediam eius altitudinem ab imo assurgens. Ubi necesse erit cum *Tost.* inferre, eam « craticulam magis ad pulchritudinem quam ad necessitatem positam esse » ; imo aliqui imaginati sunt cancellos extra altare erectos et illud veluti a profanorum accessu defendentes. Mirum videatur, in altari describendo nihil penitus dici de parte maxime necessaria, ubi oblata comburantur, plura vero de ornamento aliquo aut cancellis. Attente si rem perpendas, perspicies in altari illo debuisse tandem esse cratem aliquam situ horizontali collocatam, per quam et cineres, ne ignis suffocaretur, dilaberentur continuusque ab infra igni aer adspiraret. Quem situm craticulae v. 4 tribuebat *Ios.* (Ant. III. 6. 8), dicens in « humum decidisse ignem, qui de craticula dilaberetur » ; tribuunt *Aug.*, *Vat.*, *Bonfr.*, *Calm.* aliique. Haerebat igitur crates medium per altare librata, cubitum atque semissem supra humum elevata, non catenulis e cornibus altaris pendula, sed ipsi altari individue compacta. Ei crati, ubi sacrificium offerretur, imponebatur primum lignorum strues (Lev. 1,7 sqq. et passim), strui imponebantur victimae frusta. Textus sat planus. Difficultatem facit non textus, sed pictae quaedam eius altaris imagines, quas, qui nunquam ipsi Hebraeorum altare conspexerant, delineavere pictores. Secundum quos et strues et victima *summo* imponebantur altari omniumque patebant obtutui : at videntur haec potius magna ex parte ipsis altaris lateribus fuisse decenter celata. Eliminat etiam, quam tradidimus, explicatio difficultatem illam haud exiguam, quomodo ignis altare, quod e lignis setim erat, aereis utique laminis opertis, non consumpserit. Altaris siquidem nullam ille ignis attingebat partem praeter cratem illam, quae tota aenea erat, eiusque mediam potius partem. v. 6 « *Facies et rectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis aeneis* » ; v. 7 « *et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum* ». Sensus obvius est, hos *circulos* esse eosdem, quos v. 4 *annulos* vertebat *Hier.* (טבעת) ; idque confirmat 38,4 sqq. Ea igitur altitudine erant annuli illi, quo facile traiectis vectibus a portatoribus gestari altare posset. Annuli prostabant quidem (v. 4) in quatuor angulis, sed ita ut bini in uno eminerent latere, et bini in latere opposito, dum latera interiecta annulis carerent. v. 8 « [*Non solidum sed inane et*] *cavum intrinsecus facies illud* », sc. altare ; « *sicut tibi in monte monstratum est* ». *Hebr.* : *cavum tabulis facies illud.* Altare illud portatile non oportebat esse

gravius, ex solido ligno vel metallo. Praeterea, non poterat esse solidum supra craticulam, uti patet, erat enim is locus lignorum et victimae; neque infra craticulam, qui locus cineribus erat destinatus. Non tamen patebant altaris interiora, sed a corolla ad imum illud tabulis de ligno setim occludebatur. Ad ultimum incisum cf. 25,40; 26,30.

δ. Atrium Ex. 27 9-19.

Arg. — Atrium continetur cortinis, quae columnis sustentantur; clauditur velo.

v. 9 « *Facies et atrium tabernaculi* », — *habitaculi* — « *in cuius australi plaga contra meridiem erunt tentoria* », vela « *de bysso retorta : centum cubitos unum latus tenebit in longitudine* »; v. 10 « *et columnas viginti* »; uti aliae columnae de lignis setim, « *cum basibus totidem aeneis, quae capita cum caelaturis suis habebunt argentea* ».

Capita seu hamos vide 26,32. — חשקים (38,17. 19) vel ביחשקים (27,17; cf. 38,17), a חשק *colligare* : hinc *Chald.* intellexit *serta* quaedam ab una columna ad alteram pertingentia; *LXX* ψαλίδες, *fornices*; *Aq.* προςκολλήματα, id quod alteri agglutinatur. *Ros.* vero aliique interpretati sunt *perticas* quasdam argenteas, quibus sustentaretur velum. Quibus reponit *Dillm.*, velum 26,32 et 36,36 sustentari non perticis, sed hamis. Textibus supra laudatis חשקים vel ביחשקים sunt aliquid diversum a basibus, hamis et columnarum capitibus; 3 Reg. 7,33 eadem vox significat curvaturas rotarum. Ergo probabilius *Vulg. caelaturae*, quas *Cai.* describit « cingula », *Vat.* « zonas circulares sive fila, quibus quasi cinguntur columnae »; et fere idem sonat *Syr. tegumenta*. Intelliguntur laminae argenteae aliquae circa columnas plexae, ornatus gratia.

v. 11 « *Similiter et in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnae viginti et bases aeneae eiusdem numeri, et capita earum cum caelaturis suis argentea* ». v. 12 « *In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos et columnae decem basesque totidem* ». v. 13 « *In ea quoque atrii latitudine, quae respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt* », qui iam discernuntur in *latera* duo v. 14 sq. bis quindecim cubitorum, et *portam* v. 16 viginti cubitorum. v. 14 « *In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnaeque tres et bases totidem* »; v. 15 « *et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnae tres et bases totidem* ». v. 16 « *In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii; columnas habebit quatuor, cum basibus totidem* ». Singulis quippe atrii columnis cubiti quinque longitudinis veli attribuuntur,

dum cubiti non omnino duodecim velorum interiorum, in introitu tabernaculi 26,37 quinque, in introitu vero habitaculi 26,32 quatuor columnis sustentantur. Velum ad introitum atrii non iam קלע, sed uti 26,36 מסך vocatur.

Sequuntur versus tres, qui ante dicta partim repetunt, partim complent. v. 17 « *Omnes columnae atrii per circuitum vestitae erunt argenteis* [*laminis*] » (cf. quae diximus ad v. 10), « *capitibus* », i. e. hamis, « *argenteis et basibus aeneis* ». v. 18 « *In longitudine* [*occupabit*] *atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta; altitudo quinque cubitorum erit* », longe inferior altitudine tabernaculi; « [*fietque*] *de bysso retorta, et habebit bases aeneas* ». Certe mendum habet *Hebr.* : aut cum *Sam.* scribendum באבה pro בחמשים, aut cum *LXX* בבואה pro באבה. v. 19 « *Cuncta vasa tabernaculi* » — *Hebr. habitaculi* — « *in omnes usus* [*et ceremonias*], *tam paxillos eius quam atrii, ex aere facies* ». *Hebr.* : *et omnes paxillos eius, et omnes paxillos atrii etc.* Paxillorum antea non habebatur mentio : eorum et funiculorum ope figebantur operimenta sanctuarii atriique vela : 35,18; 38,20; 39,40; Num. 3,37; 4,26. 32.

c. Iahve in sanctuario habitatio Ex. 27,20 — 30,10.

α. Habitationis symbolum, lampas Ex. 27,20 sq.

v. 20 « *Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de* [*arboribus*] *olivarum purissimum* [*piloque*] *contusum, ut ardeat lucerna semper* ». Purissimum oleum erat illud, quod sponte ex olivis fluebat; minus purum illud, quod ex olivis exprimebatur. Porro ut abundantius oleum efflueret, olivae in canistro primum pilo tundebantur, oleum effluens colligebatur. Praecipitur idem oleum pro oblatione similae, quae simul fiebat cum holocausto quotidiano 29,40; Num. 28,5. Secus oleum minus nobile licite adhibebatur. Cf. *Tost., Dillm.* v. 21 « *In tabernaculo testimonii, extra velum, quod oppansum est testimonio;* [*et*] *collocabunt eam Aaron et filii eius, ut* » *a vespere* « *usque mane* [*luceat*] *coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel* ». Cf. quae dicemus ad Lev. 24,2-4.

Lampades arsisse a vespere ad mane, et mane esse exstinctas, etiam colligas e 30, 7 sq.; Lev. 24,3; 1 Reg. 3,3 (cf. quae ib. dicebamus), eumque usum usque ad tempora Roboam perseverasse, disce e 2 Par. 13,11. Ergo illud *semper* idem est atque « omni tempore debito » (*Sylv.*), « quotidie, singulis noctibus » (*Bonfr.*), « tam sabbatis quam feriis » (*Ps. Ion.* ad Lev. 24,3). Et sapienter monet *Sylv.*, in deserto certe non *semper* arsisse lampadem, cum in itinere utique exstingueretur : noctibus vero, erecto tabernaculo, lampas accendebatur. A vespere ad mane solummodo ar-

dentem lampadem commemorat *Philo* (De Victim.), rei has assignans rationes : ut luci diurnae in sanctuario succederet lampadum collustratio; ut nocte etiam Dei cultus produceretur; ut, sicut pro vigilantibus fierent sacrificia, ita pro dormientibus fieret haec lucis oblatio. Verum his opponitur auctoritas *Ios.* sacerdotis, qui Ant. III. 8. 3 affirmat, tres candelabri lampades per totum diem luxisse, reliquas vespere accendi consuevisse. Itemque *Hecataeus* (apud Euseb. : Praep. evang. IX cap. 4; *M.* 21. 689) lampades diu noctuque accensas perseverasse affirmat. Cui asserto responderi potest, Moysen lampades noctu lucere iussisse, etiam interdiu lucere non prohibuisse : potuit igitur liberalior postmodum praxis invalescere, imprimis Pharisaeorum aevo, qui illud תמיד urgerent. Cuius praxeos ansam fortasse iam dederat Salomo 3 Reg. 7,49 uni candelabro decem substituens candelabra. Imo mirum minime est, Pharisaeos suam praxin, licet immerito, ipsi Salomoni adscripsisse, quod colligas e *Ios.* Ant. VIII. 3. 7. asserente, fecisse Salomonem « lampadas decem mille secundum Moysis mandatum (!), quarum unam in templo dedicaverit, ut arderet καθ' ἡμέραν ἀκολούθως τῷ νόμῳ ».

Masor. a v. 20 novam ordiuntur divisionem maiorem. Verum est, uti v. 17-19, ita etiam v. 20 sq. minus arcte cum praecedentibus cohaerere : tamen a 28,1 nova incipit pericope de Aarone ad sacerdotium assumendo. Eadem, quae v. 20 sq., verba fere verbotenus et quibusdam additis leguntur Lev. 24,2 sqq. Admirationem facit v. 21 aliquod iam circa sanctuarium officium Aaroni assignari, cum nonnisi 28,1 is ad sacerdotium assumendus renuntietur. Hinc putavit *Dillm.* verba e Lev. 24,2 sqq. esse huc translata intuitu eorum, quae 29,38-42; 30,1-10. 34-38 dicenda sint. Haec ratio longius petitur. Potest autem dici, v. 20 sq. e suo Lev. 24,2 sqq. vel alibi loco delapsos, nullique iam certo contextui adhaerentes, ab Esdra vel alio, qui textum sacrum recensuerit, extremae pericopae de exstruendo sanctuario esse adscriptos. Quod sine difficultate concedi potest. — Tamen et alia explanatio in promptu est. Adverte v. 20 ואתה, ad instar ואתה 28,1. 3 effictum. Neque oleum purissimum, quod v. 20 afferri iubetur, idem esse censendum est, atque oleum 25,6. Lucerna vero in tabernaculo lucens symbolum est Dei praesentis, praesentis imprimis ad conferendam Aaroni et filiis sacerdotii gratiam. Hi sacerdotes nondum facti, ut eam lucernam primi accendant, invitantur, mox vestibus sacris induendi et oleo unctionis sacrae ungendi.

β. Ministrorum vestes Ex. 28.

Arg. — Post introductionem v. 1-5 describuntur v. 6-39 summi pontificis, v. 40-43 reliquorum sacerdotum vestes. Pontificis vestes describuntur ephod v. 6-14, rationale v. 15-30, tunica v. 31-35, diadema, tunica interior, balteus v. 36-39.

א. *Introductio Ex.* 28,1-5.

Cap. XXVIII v. 1 *Et tu « applica quoque ad te »*, « separa eos a reliqua turba » (*Bonfr.*), et *accedere fac ad te* (*LXX*) ordinatorem, sensibili quippe ritu a te ordinandi sunt, « *Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi* » (Hebr. 5,4) : « *Aaron, Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar* », *filii*

Aaron. Cf. 6,23. Post quam generalem consecrationis annuntiationem vestes sacrae enumerantur, earum materia generatim designatur.

v. 2 « *Faciesque vestem sanctam* » — *Hebr. vestes* — « *Aaron fratri tuo in gloriam et decorem* », ut sit reverendus et decorus (*Sylv.*). Totus enim cultus externus ordinatur ad hoc, ut homines inducantur ad Dei reverentiam; et quia homines minus reverentur ea, quae sunt communia et ab aliis non distincta, ideo oportuit pro Dei cultu specialia tempora, loca, vasa, vestimenta, ministros provideri (*S. Thom.* 1ª 2ae q. 102 art. 4 et 5). v. 3 « *Et* » *tu* « *loqueris cunctis sapientibus corde* », artificibus natura peritis (*Tost.*), « *quos replevi spiritu prudentiae* », providentia sive naturali sive supernaturali (*Calm.*), « *ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus* », a plebe segregatus, « *ministret mihi* ». v. 4 « *Haec autem erunt vestimenta, quae facient : rationale et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum* ». Singula infra describuntur. « *Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron et filiis eius, ut sacerdotio fungantur mihi* ». v. 5 « *Accipientque aurum et hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum* ».

2. *Ephod Ex.* 28,6-14.

Vocatur *superhumerale* seu *ephod; LXX Ios.* ἐπωμίς, i. e. scapulare, *Aq. Symm.* ἐπένδυμα. v. 6 « *Facient autem superhumerale de auro et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta, opere polymito* ». Describitur *pontificis* ephod, de quo Dominus ait 1 Reg. 2, 28 : « Et elegi eum (Aaron) ex omnibus tribubus Israel,... ut portaret ephod coram me ». Cf. ib. 14,3; 21,10; 23,6. 9; 30,7. Licet de ephod minorum sacerdotum sileat Ex., gestabant illi tamen « ephod lineum » (1 Reg. 22,18), imo Samuel eodem induebatur (2,18) et David, dum transferretur arca (2 Reg. 6,14; 1 Par. 15,27). Licet igitur ephod non solis sacerdotibus reservabatur, tamen ita erat sacerdotum proprium, ut vel superstitiosum cultum celebrantes sacerdotes illud gestaverint (Iud. 8,27; 17,5; 18,14. 17. 18. 20). Ceterum vestis haec, quod nota esset omnibus, vix describitur : unde licebit fortasse inferre, eos, qui ante Moysen apud Hebraeos functi sint sacerdotio, usos esse etiam ipsos ephod. Secundum 1 Reg. 2,18; 2 Reg. 6,14, qui induebatur ephod, eo *accingebatur*. Etiam Lev. 8,8 ephod cingulo adstringitur. Imo *LXX* vertentes Ex. 38,31 ποδήρης et 2 Reg. 6,15 et 1 Par. 15.27 στολή, suggerunt ephod fuisse vestem talarem. *Ios.* (Ant. III. 7. 5) ei tunicae (χιτών) formam tribuit et manicas. v. 7 « *Duas oras iunctas habebit in utroque latere* [*summitatum*], *ut in unum redeant* ».

Textus est vexatissimus. *Hebr. : Duo humeri coniuncti erunt ei ad duas extremitates eius, et coniungentur.* Pro אל legunt על *Sam. Chald. Syr.* h. l. et 39,4 omnes. Illos *humeros* seu *oras* esse scapularis duas partes, anteriorem et posteriorem, concedunt omnes. חברת non est *coniungibilis* (*Dillm.*), sed *coniunctus :* at quomodo iidem humeri modo dicuntur esse coniuncti, modo coniungendi? Copulam unam ignorant *Sam. LXX : Duo humeri erunt ei coniuncti, in duabus extremitatibus coniungentur.* Sententia est plana, habetque eundem sensum cum 39,4, qui textus utique idem atque noster versus edicit. *Extremitates* vero illas merito *Vulg. Targ.* interpretati sunt *latera.* Igitur humeros illos in *summitate* vestis scapularis cohaerere, superfluum erat dicere, cum id omnis vestis scapularis sit proprium. At cohaerebant in extremitatibus oppositis, quae ante et retro dependebant, seu in *lateribus*, quae infra brachia utrobique connexa illas, quas Ios. appellat manicas, efficiebant.

v. 8 « *Ipsa quoque textura* [*et cuncta operis*] *varietas erit ex auro et hyacintho et purpura coccoque bis tincto et bysso retorta* ». חשב a חשב, opere polymito texere, hinc *Vulg. textura,* sed 39,5 *balteum.* Porro illo חשב *accingebatur* ephod 29,5; Lev. 8,7. Cum tamen nunquam vocetur balteum aut cingulum, praeplacet illud vocare *fasciam.* Quod sequitur אפדתו secundum Is. 30,22 unice verti potest *operimenti eius,* et fasciae operimentum satis prudenter *Hier.* interpretatus est *cuncta operis varietas,* i. e. totum opus polymitum, quo fascia ornabatur. Tamen sic habetur pleonasmus, nam opus polymitum fuisse ex auro etc., per se patet. Aut vox significationem habet, quam ignoramus, aut uti *Syr.* et Lev. 8,7 legendum est חשב האפוד, aut cum LXX pro אפדתו legendum est כתפת : *fascia humerorum*, i. e. fascia, quae vestis humeralis partem anteriorem et posteriorem circa lumbos continebat. En tibi igitur vestem humeralem seu scapularem, eamque aut talarem aut certe infra lumbos demissam, cuius duae alae infra brachia iungebantur, deorsum fortasse rursum separabantur, adnexam habentem fasciam, et ipsam byssinam, qua vestis circa lumbos adstringebatur. Cum qua veste simplici, commoda et decora confer, quae alii quidam interpretes imaginati sunt monstra, v. g. *E. Riehm :* Handwoerterbuch des biblischen Altertums, Leipzig 1884, articulo Ephod.

v. 9 « *Sumesque duos lapides onychinos* », — שהם Gen. 2,12; Ex. 25,7 : non satis constat, quaenam haec gemma fuerit — « *et sculpes in eis nomina filiorum Israel* »; v. 10 « *sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, iuxta ordinem nativitatis eorum* ». Tradit *Ios.*, sex natu maiorum nomina humerum dexterum occupasse : unde fere sequitur, nomina omnia *iuxta ordinem nativitatis* invicem excepisse. Tamen eum non necessario sensum esse vocis בתלדתם, diximus ad 6,16, sed κατὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν, secundum generationes eorum : nomina erant eorum, qui immediate ab Israele patriarcha geniti erant; ergo pro Ephraim et Manasse unum prostabat nomen Ioseph (*Ps. Ion.*),

qui si seorsim scribebantur, tredecim, non duodecim erant nomina. v. 11 « *Opere sculptoris [et caelatura] gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos* ». *Hebr. : opere sculpturae sigilli*, מעשה חרש אבן; et cf. similes expressiones מעשה חשב 26,1 et מעשה רקם 27,16. Sigilla sculpta apud Aegyptios et Babylonios antiquitus frequentissima : cf. Gen. 38,18; 41,42. *Hebr : circumdatos, inclusos auro.* Fortasse מוכבת est serius adscripta explanatio vocis משבצות, quae secus non occurrit. v. 12 « *Et pones in utroque latere* » — *Hebr. humero*, quae pars utrumque humerum pontificis tegebat — « *superhumeralis, memoriale filiis Israel* »; « non quo aliquid revocetur ad memoriam filiis Israel, sed de ipsis in memoriam revocetur » (*Bonfr.*), et quidem non Aaroni (*Cai.*), qui non facile conspiciebat, quae humeris erant infixa, sed Deo (*Tost.*). Satis convenienter etiam *Vat.* (ad v. 29) expressionem ita explicat : « ut Deus sit memor duodecim patriarcharum », ad hos quippe imprimis nomina illa pertinebant. Sicut igitur alias Deus creditur misericordiam esse largiturus ob memoriam Abraham, Isaac et Iacob, ita h. l. ob memoriam duodecim patriarcharum, quibus per os morientis Iacob suas promiserat benedictiones. « *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem* ». v. 13 « *Facies et uncinos ex auro* », — sed quae vox (*Mar.*) h. l. *uncinos* vertitur, eadem v. 11 vertebatur *inclusos*, et designabat *margines* illos aureos seu capsas, quibus oniches fixi retinebantur. Repetit igitur v. 13, quod ibi dicebatur, cui v. 14 aliquid superaddit — v. 14 « *et duas catenulas ex auro purissimo [sibi invicem] cohaerentes, quas inseres uncinis* », seu verius marginibus.

שרשרת בגבלת (cf. 28,14) sane idem est, quod שרשת גבלות 28,22 et 39,15 : *catenae* vel *catenulae*, non *spissae* (*Dillm.*), eam quippe significationem radix hebraea גבל ignorat, sed *limitum* seu *marginum*. Sc. vestis illa scapularis debuit habere aperturam, qua caput introduceretur; ea apertura circa pontificis collum habebat marginem; illum marginem corollae instar adornabant catenae illae. Quae erant מעשה עבת, *opus fabri catenarum*, eius artificis, qui metalla *torquet* in catenas : correspondet quippe עבת vocibus חשב, רקם, חרש. *Et pones catenas tortiles super margines*, eis affiges. — *LXX* : καταμεμιγμένα ἐν ἄνθεσιν : pro גבלת legebant formam vocis גביץ, *calix floris*, et participium explicationis gratia adscripserunt.

ג. *Rationale Ex.* 28,15-30.

Vox חשן incertae est derivationis. *LXX* λόγιον vel λογεῖον, quam vocem *Ios.* Ant. III. 8. 9 interpretatur *oraculum*, *Hier.* autem vertit *rationale*. E contra *Syr.* פריכא, *thorax*. v. 15 « *Rationale quoque iudicii* » (cf. v. 30) « *facies opere polymito, iuxta texturam superhumeralis* » —

Hebr. : sicut opus ephodi, eodem operis et texturae genere — « *ex auro, hyacintho et purpura coccoque bis tincto et bysso retorta* ». v. 16 « *Quadrangulum* » seu potius quadratum (cf. 27,1) « *erit et duplex* », replicatum (cf. 26,9) in modum perae, in qua v. 30 Urim et Thummim recondantur. « *Mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine* ». v. 17 « *Ponesque in eo quatuor ordines* » trinorum « *lapidum. In primo versu erit lapis sardius et topazius et smaragdus* »; v. 18 « *in secundo carbunculus, sapphirus et iaspis* »; v. 19 « *in tertio ligurius, achates et amethystus* »; v. 20 « *in quarto chrysolithus, onychinus et beryllus. Inclusi auro erunt per ordines suos* », *Hebr. in impletione sua,* sc. v. 17 *impletur in illud* (rationale) *impletio lapidum,* repletur fixis per quatuor ordines lapidibus. *Sam. inclusi capsis aureis etc.*

In lapidibus vix non omnia sunt dubia. Fere unice audiendi sunt *LXX,* qui rem oculis, ut credere fas est, conspexere, quorumque vestigia terunt *Vulg. Ios.* Interpretes LXX posteriores tentando potius, quam e definita scientia rem exponunt. Augetur difficultas inde, quod eaedem voces graecae et latinae non easdem semper apud diversos auctores gemmas designaverint. — אדם ex ipso etymo gemmam rubram designare videtur, quod expressere *Targ. Syr.; LXX Vulg. sardius* i. e. achates carneolus, aliis suggerentibus rubinum. Porro sardius reperitur in Babylonia, Aegypto, Arabia, India. — פטדה, qui Iob 28,19 e Chus afferri traditur, communiter censetur esse *topazius,* imo nomen idem deprehendi affirmant, dummodo primas duas nominis hebraei consonantes transponas. Reperitur in Aegypto et in insula Sinus Arabici. — ברקת, quod verbotenus vertit *Symm.* κεραύνιος. Nomen idem esse censent atque *marakata,* qua forma nomen semiticum ad Indos transiisse affirmant, hocque rursus idem esse atque nomen *smaragdus.* Reperitur hic in Cypro, Aegypto, Aethiopia, Persia, Scythia etc. — נפך *carbunculus, LXX Ios.* ἄνθραξ, ergo rubinus. Ez. 27,16 Syri hanc gemmam Phoenicibus afferunt. Reperitur in India, Aethiopia et Africa septentrionali, unde et *carchedonius* dicitur (*Targ. Hier.*) a Carthagine. — ספיר omnibus consentientibus est *sapphirus;* a *Ios.* hoc et sequens nomen transponuntur. Reperitur in Aethiopia et India. An vero hoc apud Hebraeos nomine etiam lapis lazuli veniat (cf. Dillm.), ambigitur. Iob 28,6. 16. — יהלם creditur esse *iaspis,* qui reperitur in Asia Minore, Perside et India, et saepe sigillis adhibebatur. Alii suggerunt, ישפה v. 20 esse iaspin : tamen assonantia nominis fortuita esse potest. — לשם *ligurius* (*Vulg. LXX*) : sed quae gemma ligurii nomine veniat, non constat. — שבו, *assyr.* sabi (*Schr.*), *achates* reperiebatur in Aegypto, India, Creta. — אחלמה. *amethystus* reperitur in Aegypto, Arabia, India. — תרשיש, *chrysolithus :* sed an eadem, quae nunc, gemma eo nomine h. l. intelligatur, non liquet (cf. *Dillm.*). Perperam e nomine infertur, gemmam in Hispania reperiri, cum nomen Tharsis, uti alia nomina (cf. quae diximus ad Gen. 10), probabilius cum gente homonyma varia Asiam inter et Hispaniam loca peragraverit. — שהם : de eo diximus ad Gen. 2,16; Ex. 28,9. — ישפה *beryllus* esse creditur; alii iaspin interpretantur. — In sequentibus *LXX* v. 23-28 omittunt, inter v. 29 et 30 sententiam aliquam inserunt.

v. 21 « *Habebuntque nomina filiorum Israel : duodecim nominibus caelabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tri-*

bus ». v. 22 « *Facies in rationali catenas sibi invicem cohaerentes, ex auro purissimo* ». Duas, uti v. 14, fuisse docet v. 24. Versum *Dillm.* censet esse praeposteram v. 14 repetitionem; falsum esse על החשן, cum uti v. 14 agatur de catenis non rationali, sed superhumerali affixis; desiderari ante גבלת articulum. Haec ipsa tamen evincunt, Dillm. non intellexisse textum et agi v. 22 de aliis atque v. 14 catenis. *Hebr. : Faciesque in rationali catenas marginum opere fabri catenarum, ex auro purissimo.* Et nota, *catenas marginum* non eas solum vocari, quae uti v. 14 totae margini applicentur, sed illas etiam, quarum pars marginem sequatur, quaeve marginem una sui extremitate attingant, altera ultra marginem protensa. v. 23 « *Et* » *facies in rationali* « *duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate* ». *LXX* ἀρχάς, *Hebr. in duabus extremitatibus,* quae possunt intelligi aut margo dexter et sinister, aut fortasse commodius duo anguli summitatis *Vulg.*). *Sam. duas capsas aureas et duos annulos aureos :* sc. capsis annuli adhaerebant; hae porro capsae non sunt eaedem atque illae v. 20. v. 24 « *Catenasque aureas iunges annulis, qui sunt in marginibus eius* ». *Hebr. : Et pones,* firmabis *duas catenas* (v. 22) *tortiles aureas in duobus annulis,* qui sunt *in extremitatibus rationalis.* Una utriusque catenae extremitas uni annulo inserebatur. v. 25 « *Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit* ». *Hebr. : Et duas* reliquas *extremitates duarum catenarum affiges duobus marginibus, et affiges humeris ephodi, in fronte.* Per *margines* autem v. 11. 13 dicebamus designari capsas aureas, quibus includebantur magni illi duo v. 9 onyches, et quibus duae item v. 14 catenae affigebantur. Porro, cum illi duo onyches v. 12 essent in humeris pontificis, etiam catenae v. 25 *humeris* affigebantur et, cum catenae eaedem a pectore ad humeros ascenderent, affigebantur *in fronte,* in parte anteriore.

Vidimus, quomodo rationale adaptetur superhumerali a parte superiore, sc. in humeris : iam docemur, quomodo inferius eidem adaptetur. v. 26 « *Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quae e regione sunt superhumeralis et posteriora eius aspiciunt* ». Ubi collocandi fuerint isti annuli, e modo data versione vix perspexerit quis. *Hebr. : pones eos in duabus extremitatibus rationalis, in labio eius, quod est versus* — *Sam.* על חבר *in coniunctione,* in contactu — *ephod introrsum* (cf. 25,11). Ergo hi etiam annuli collocandi sunt in *extremitatibus* rationalis, non necessario iisdem quae annulos exteriores v. 23 habebant, fortasse in extremitatibus inferioribus : at collocandi sunt *in parte ephod attingente,* in parte *interiore*, quae oculis non patebat, ubi rationale ephodo superponebatur. v. 27

« *Necnon et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem iuncturae inferioris, ut aptari possit cum superhumerali* ». Annulis v. 26 descriptis respondent alii annuli duo in ipso ephod. *Hebr. : ponesque eos in duobus humeris ephod deorsum, in fronte eius, secus coniunctionem eius, supra fasciam ephodi. Humeri* intelliguntur ephodi ala anterior et posterior : quibus humeris adaptantur annuli, et quidem *deorsum*, non prope scapulas, sed circa lumbos et fasciam. Quid per *coniunctionem* intelligatur, novimus e v. 7 collato cum 26,3 sqq. : est nomen, si ita h. l. fas est loqui, suturae, qua labium alae posterioris unitur labio alae anterioris ; suntque eiusmodi suturae seu coniunctiones duae, una in dextro et altera in sinistro femore. Ut autem annuli vere dicantur affigi *duobus* humeris, non humero anteriori tantum, affigendi erunt *ipsi* coniunctioni, et tum poterunt adhuc dici esse *in fronte* ephod, quia sc. ab aliquo coram pontifice stante poterunt ambo simul conspici. Tandem quaeri potest, illi annuli affiganturne ipsi immediate suturae, an fasciae quae ei superinducitur, docemurque annulos esse *supra fasciam :* primum pontifex ephod induebatur et fascia stringebat, postea rationale induebatur. v. 28 « *Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat iunctura fabrefacta, et a se invicem rationale et superhumerale nequeant separari* ». *Hebr. : ut sit* seu maneat rationale *super fasciam ephodi, et non dimoveatur rationale de supra ephod.* Sensus est perspicuus : vitta illa hyacinthina transmittitur per duos annulos, qui sunt a parte interiore rationalis, itemque per duos annulos, qui conspiciuntur supra fasciam ephodi secus coniunctiones ; dein vitta constringitur itaque fit, ut rationale firmiter adhaereat fasciae ephodi ipsique ephod, nec possit loco cedere neque sursum neque oblique. Apud *Erman* p. 403 depictum habes pontificem Mempheos gerentem in pectore ornamentum quoddam, quod aliqui rationali comparavere.

v. 29 « *Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicii super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium, memoriale coram Domino in aeternum* », perpetuum, sc. quamdiu cultus ille durabit. Opponitur hic *cor* et *rationale humeris* et *ephod* v. 12. *Memoriale* porro erit explicandum, uti ibidem. v. 30 « *Pones autem in rationali iudicii Doctrinam et Veritatem, quae erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino ; et gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper* ». Dicitur hic et v. 15 *rationale iudicii*, quia in rationali reponitur *iudicium filiorum Israel*, quod est *Urim et Thummim*. Num. 27,21 (*Hebr.*) habetur expressio *consulere iudicium Urim :* Urim et Thummim illud iudicium

quasi pronuntiabant, iudicium idem hic sonat atque oraculum, responsio. Cuiusmodi autem oracula ediderit Urim et Thummim coniicias e Iud. 20,18. 23. 28; 1 Reg. 23,2; 28,6; 30,8; 2 Reg. 2,1; 5,19. 23; 1 Par. 14,10. 14, quae oracula licet non ab Urim profecta esse affirmentur, tamen eidem non improbabiliter attribuuntur. Cf. etiam, quae diximus ad 1 Reg. 14,37. 41. Item cf. 1 Esdr. 2,63; 2 Esdr. 7,65.

Variorum de Urim et Thummim placita recenset et discutit *Calm.*; sed in re, de qua tam parum nos scriptura docet, satius est sapere ad sobrietatem. Igitur e nostro textu et e Lev. 8,8 patet, Urim et Thummim collocatum esse *intra* rationale, quod (v. 16) perae formam habebat : ergo Urim et Thummim non sunt duodecim gemmae rationali *exterius* affixae, quidquid de illis dicat *Ios.* Ant. III. 8. 9, qui multo post deperditum Urim et Thummim tempore vixit. Voces, si reapse hebraeae sint, vertendae sunt *luces et perfectiones* seu, cum pluralis hebraeus quandoque sit mere intensivus, *lux et perfectio*, plenitudo lucis et perfectionis. Nota, Deut. 33,8 voces inverso ordine legi : Thummim et Urim. Ceteroqui expressio potest etiam esse ἓν διὰ δυοῖν, itaque eam fortasse accipiebat *Vulg.* secuta *LXX* : τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. Fuisse in illa pera figuras aliquas instar theraphim, intulere aliqui ex Os. 3,4 : « quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio et sine altari, et sine ephod et sine theraphim ». Ubi theraphim censent scribi pro Urim et Thummim : contra quos tamen cf. *Knabenbauer*. Ceterum non omnia ante legem mosaicam theraphim erant proscripta, potuitque Deus unum aliquod eorum consecrare, sicut etiam Cherubim arcae approbavit. Alii comparant, quae traduntur apud *Diodor. Sicul.* II. 3 et *Aelianum* XIV. 34, apud Aegyptios supremos iudices, cum sedebant in tribunali, gestasse e collo aurea catena suspensam parvam veritatis imaginem. Cf. *Smith* p. 208 sqq. Ceterum e nostro textu illud fere efficitur, fuisse Urim et Thummim non novam aliquam inter Israelitas rem, quae necessario erat accurate describenda, sed venerandae antiquitatis sacrum, quod vix nominare fas esset, multo autem minus aspicere aut describere. Quod vero *Sam.* solus versui praefigit : *et facies Urim et Thummim*, additicium videtur.

ד. *Tunica Ex.* 28,31-35.

Describitur tunica מְעִיל. Quod vestimenti genus inter simplicium sacerdotum vestes v. 40 et Lev. 8,13 non recensetur. Videtur tamen antiquitus non apud solos sacrorum ministros in usu fuisse : Samuel 1 Reg. 28,14 illo induebatur, etiam quando non erat occupatus sacris faciendis; Ionathas 18,4 suam tunicam Davidi dono dedit; David (2 Reg. 6,14; 1 Par. 15,27) saltavit coram arca indutus tunica et ephod. An forte prophetae, reges regumque filii hoc sacrum vestimenti genus mutuati sunt? 1 Reg. 28,14 videtur innuere, non omnes tum cives ea tunica indui consuevisse. Aliunde vix non semper vestes sacrae apud varios populos adhibebantur eae, quae antiquitus fuerant communes. v. 31 « *Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam* », non uti ephod e bysso albo coloribus distincto confectam. Vocatur *tunica*

ephod, « quia semper induitur, cum ephod sumendum est » (*Calm.*). Vocatur a *Ps. Ion.* מנטר, mantellum, et utique erat talaris (*Ios.* III. 7. 4), longior ephodo, quia malogranata conspici oportebat. v. 32 « *In cuius medio* [*supra*] *erit capitium* », apertura pro immittendo capite, quam *Ios.* affirmat fuisse oblongam, ad medium fere pectus descendentem; *Calm.* suggerit fuisse rotundam, qualis apud veteres depingi consueverit; sed reapse in eiusmodi re s. textu non definita aliqua Iudaeis antiquis libertas concedenda est et aliqua morum decursu temporis vicissitudo. Aperturas etiam brachiorum affirmat *Ios.*, quae suas sane habebant oras textiles, ne et ipsae rumperentur. « *Et ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne* [*facile*] *rumpatur* ». Erit *opus textoris* ארג, non חשב vel רקם, eius sc. artificis, qui pannum unius coloris texit, non coloribus aut figuris distinctum. Qui et totam tunicam texebat inconsutilem (*Ios.*), simulque oras capitii, brachiorum itemque infimam prope pedes oram non suebat, sed texebat.

כפי תחרא יהיה לו. ἅπαξ λεγόμενον est תחרא, *Sam.* תחרה, quam vocem cum *Chald.* interpretantur *thoracem*, comparantque linothoraces, quos egregios texebant Aegyptii (Herod. II. 182; III. 47; *Aelian.* IX. 17; *Plin.* XIX. 2). Sed lectio est plane incerta. *Vulg.* fortasse legebat כפי אחרת; *LXX Aq.* כשפת ארג, *sicut ora textoris erit ei* : τὴν συμβολὴν συνυφασμένην ἐξ αὐτοῦ.

v. 33 « [*Deorsum vero*] *ad pedes* », i. e. *in ora*, « *eiusdem* [*tunicae*] *per circuitum quasi mala punica facies* » seu malogranata, « *ex hyacintho et purpura et cocco bis tincto* », — *Sam. LXX et bysso retorta* — « *mixtis in medio tintinnabulis* », v. 34 « *ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum et malum punicum* ». Quae Eccli. 45,10 (9) scribit fuisse « plurima », *Clem. Al.* (Strom. V. 6; *M.* 9.64) fuisse 360, *Ps. Ion.* 71, *Hier.* (ad Fabiolam ep. 64,14; *M.* 22.615) 72. Quorum numerorum si aliquis genuinus supponatur, praeferendus erit 72 (9 × 8) numero 71, qui nullo nomine numerorum sacrorum est affinis. Verum, num in hac re non aliqua Iudaeis concedenda est libertas? num mos, si quis erat, immutatus semper perseravit? v. 35 « *Et vestietur ea Aaron in officio ministerii* », non ad profanum usum (*Tost.*), « *ut audiatur sonitus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium* », non solum sanctum sanctorum (*Ios.* Bell. Iud. VI. 6), « *in conspectu Domini, et non moriatur* ». *Theodoret.* : « ut Aaron sonum audiens cum timore sacra munera obeat, memor Dei eadem mandantis ». *Sylv.* : ut populus sonum audiens commoneficret debitae reverentiae; comparatque tintinnabula in ritibus christianis adhiberi solita. Quam alteram explanationem confir-

mare videtur Eccli. : « in memoriam filiis gentis suae ». Statuitur tandem poena *mortis*, non miraculo sed iudicio infligendae, ubi pontifex sanctuarium ingrediatur sacra facturus, tunicam vero sacram non indutus.

ח. *Diadema etc. Ex.* 28,36-39.

v. 36-39 minora quaedam recenset. v. 36 « *Facies et laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere caelatoris Sanctum Domino* ». Consecratus Iahve est pontifex prae reliquis Israelitis omnibus. ציץ *flos* (LXX πέταλον) vel potius *folium* (Is. 40,6 sq.; Iob. 14,2) : hinc *lamina*, uti nos etiam dicimus « feuille », quam *Ps. Ion.* ait pertigisse « a tempore ad tempus ». Sap. 18,24 dicitur « diadema » et Eccli. 45,14 « corona ». Vocatur etiam נזר קדש, « unctio sacra » seu sacrae unctionis insigne (Ex. 29,6; 39,29; Lev. 8,9); et cf. Ps. 131 (132), 18, ubi de christo dicitur : « super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea », ועליו יציץ נזרי. v. 37 « *Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram* », *in parte anteriori tiarae* (*Hebr.*.. Quomodo sit liganda, non dicitur : fortasse non tam ipsa lamina frontalis erat novum quid Hebraeis, sed sola inscriptio. מצנפת a צנף *volvere*, genus aliquod turbani : sed, quam altum demissumve fuerit, ignoramus. v. 38 « *Imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quae obtulerunt et sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus* [*et donariis*] *suis* ». *Hebr.* : *iniquitates* (rerum) *sanctarum, quae sanctificaverunt filii Israel, quoad omnia donaria eorum sacra.* Ergo non sufferet Aaron omnia omnino populi dona offerentis peccata (*Lyr.*), sed « tollet iniquitatem, quam admittere possent Israelitae in sanctificationibus suis, h. e. in oblationibus suis sanctis et in omnibus aliis donis, si quid peccent non rite offerendo, aut ea offerendo, quae offerri non debent, vel propter non oblata munera : condonabitur eis propter summum sacerdotem. Is Christum repraesentabat » (*Vat.*). « *Erit autem lamina semper* », dum sacris operabitur (*Sylv.*), « *in fronte eius, ut placatus sit eis Dominus* ». v. 39 « *Stringesque* » — seu verius *texes* (שבצת LXX *Aq. Symm. Theod.* interpretati sunt nomen aliquod a radice שבץ, contorquere, derivatum : *nodos*) — « *tunicam* » inferiorem כתנת, cuti proxime adhaerentem, talarem et manicatam (*Ios.* Ant. III. 7. 2), *bysso et tiaram byssinam facies, et balteum* » — אבנט, cf. Lev. 16,4 — « *opere plumarii* » (cf. 26,31). Haec quod satis nota essent, non describuntur.

ט. *Vestes simplicium sacerdotum Ex.* 28,40-43.

Simplicium sacerdotum vestes, fortasse quod essent res omnibus

nota, paucis absolvuntur; perpauca 39,25-27 adduntur. v. 40 « *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis* » — כתנת, albas utique, quales etiam erant nobilium (Gen. 41,42) et sacerdotum Aegyptiorum — « *et balteos* » — אבנט — « *ac tiaras* » — מגבעות — « *in gloriam et decorem* » (cf. v. 2). Tiara, quod diversum a pontificis tiara nomen habeat, diversa fuisse censenda est, nec ulla ratio est supponendi cum *Ios.*, *Cai.*, pontificem duas simul tiaras gestasse. Vestes hucusque recensitae sunt *vestes sacrae*, nam *feminalia* v. 42 sacra non sunt neque 29,5 recensentur. Monetur v. 41 Moyses, illis vestibus sacris induendos esse sacerdotes, antequam consecrentur : « *Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum et filios eius cum eo; et* [*cunctorum*] *consecrabis* » — *Hebr.* : *unges et implebis* — « *manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi* ». Iam illa de *implendis manibus* expressio etiam apud Assyros legitur (*Schrader* ad h. l., in Addendis) : « Assur manum eius implevit regia auctoritate, quae sui similem non habet ». Ergo sacerdotum manus implentur dignitate, potestate. Cf. dicenda ad 29,9 et ante 29,8.

Legi 20,26, quae lex erat naturalis potius quam positiva, lex alia substituitur. v. 42 « *Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suae a renibus usque ad femora* », ergo tantum in superiore parte crurum. v. 43 « *Et utentur eis Aaron et filii eius, quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron et semini eius post eum* ». « Signum esse voluit in hoc castitatis et continentiae, quae ideo per indumentum significatur, ut non a se ipso habita, sed data intelligatur » (*Aug.*). Quaeres, cur haec de feminalibus appendicis instar adscribantur, expedita antea universa de vestibus sacris disputatione. Feminalia, licet a Deo praescriberentur, non erant vestes sacrae, non illis Lev. 8,7 Moyses Aaronem et filios induit, non vetabantur sacerdotes iis uti etiam in vita privata.

γ. Ministrorum consecratio Ex. 29.

Descriptis vestibus sacris apte adnectitur cap. 29 ritus ordinandorum sacerdotum : non sola quippe veste sacra constat sacerdos, sed accedente consecratione. 29,1-9 traditur ipse ordinationis ritus tam pro pontifice quam pro sacerdotibus; v. 10-28 sacrificia tum offerenda explicantur; v. 29 sq. agitur de veste sacra Aaron in eius successoribus ordinandis adhibenda; v. 31-34 de epulo sacro ordinationis; v. 35-37 de solemnitate ordinationis septiduo producenda; v. 38-46 tandem

describitur intima cum Iahve necessitas, quae in sanctuario ita instructo rebus et personis sacris populo electo obtinget.

N. *Sacerdotum ordinatio* Ex. 29,1-9.

Arg. — Productis tam oblationibus quam ordinandis, lavantur hi, induuntur vestes sacras, solus Aaron ungitur in capite; atque his ordinatio stricte dicta absolvitur.

Cap. XXIX v. 1 « *[Sed] et hoc facies* » *ipsis,* « *ut mihi in sacerdotio consecrentur* ». Ritus consecrationis describitur. « *Tolle vitulum de armento* » *unum,* « *et arietes duos immaculatos* », ἀμώμους, integros, omnis defectus legalis expertes; iunge adiectivum utrique substantivo (*Tost.*); v. 2 « *panesque azymos, et crustulam absque fermento* », — i. e. *azymam,* in *Hebr.* enim habetur eadem vox — « *quae conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita : de similа triticea cuncta facies* », de tenuissima farina triticea.

חלה 2 Reg. 6,19 *collyridam* vertit *Hier.* (*Aq.* h. l. κολλύρας), in eiusque vocis locum 1 Par. 16,3 substituit כבר, rotundum quid, *torta, placenta.* רקיק vi etymi videtur designare aliquid *tenue :* et *Ps. Ion.* quidem vertit עריך, i. e. aliquid tenue, compactum et *convolutum; Chald.* איכסיג, i. e. aliquid tenue, non compactum, sed *porosum* (cf. σπόγγος). Parum refert, an בלל h. l. significet *miscere* (*LXX Ps. Ion.*), an *aspergere* (*Vulg. Chald. Syr.*) : secundum illos oleum admiscebatur, dum torta dempsebatur, secundum hos tortae dempstae illiniebatur.

v. 3 « *Et posita in canistro* » *uno,* omnia simul « *offeres* » *in canistro;* « *vitulum* [*autem*] *et duos arietes* ». Merito conclamant *Bonfr., Sylv.,* illud *autem* idem sonare atque *item :* ultimum incisum non licet cum *Tost.* sequentibus iungere, quod indecentiam haberet. Id sensit etiam *Ps. Ion.,* quare panes quidem imposuit canistro כלא, canistrum autem appendit perticae vectoriae אכלא, quam animalium humeris imposuit. Vitulus et arietes *item* proferuntur, sed, quod patet per se, non proferuntur in canistro. Malim autem h. l. verbo tribuere nativam, uti etiam v. 4, significationem *adducendi* seu *proferendi,* prae derivata *offerendi :* agitur de adductione, quae ipsam sacrificalem oblationem antecedit. v. 4 « *Et Aaron ac filios eius applicabis* », accedere facies « *ad ostium tabernaculi testimonii* », ante tabernaculi cortinam exteriorem. Porro, quae modo praecipitur lotio, fortasse facienda erat in labro aeneo (*Bonfr.*), quod quidem nonnisi 30,18 fieri mandatur, sed ante Aaronis Lev. 8 consecrationem iam erat factum (38,8); fortasse facienda erat in solis manibus et pedibus (*Sylv.*), cum nequit supponi (20,26), sacerdotes coram universo populo exuisse feminalia. Minime vero e verbis sequitur (*Sylv.*), Moysen ipsum illos lavasse : fe-

cerunt ipsi iussi a Moyse. « *Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua* », v. 5 « *indues Aaron vestimentis suis*, [*i. e.*] *linea* » seu tunica interiore, « *et tunica* » *ephodi* hyacinthina, « *et superhumerali* » seu ephod, « *et rationali, quod constringes balteo* » seu *fascia*, de qua 28,8 diximus. LXX pro חשב legentes חשן, vertunt *et adstringes ei rationale ad ephod.* Baltei אבנט (28,39) non habetur mentio h. l., sed cum illud in loco parallelo Lev. 8,7 recenseatur, eoque omnino Aaron indui a Moyse debuerit, censenda est vox h. l. excidisse. Cf. *Sam.* v. 6 « *Et pones tiaram in capite eius, et laminam sanctam super tiaram* ». Cf. quae diximus ad 28,36. Habes autem hic ordinem, quo pontifex sacras vestes induebatur. v. 7 « *Et oleum unctionis* », de quo vide 30,23 sqq., « *fundes super caput eius, atque* [*hoc ritu*] *consecrabitur* ». Sed *Hebr. : sumes — effundes — inunges;* non dicitur hanc unctionem consecrationis esse ritum aut principalem aut ultimum, licet talis fuerit, quod e sequentibus patebit.

Erat utique ultimus, qui in solo Aarone observaretur, nam sacrificium v. 10 sqq. Aaroni cum filiis erat commune. Sed hic ardua examinanda venit quaestio, an solus pontifex, an sacerdotes omnes unctionem sanctam receperint. Igitur ritus consecrationis Ex. 29 praescribitur, Lev. 8 describitur, utrobique fuse et verbis fere iisdem. Et quidem Ex. 29,5-7 et Lev. 8,7-12 describitur solius Aaron investitura et unctio; Ex. 29,8 sq. et Lev. 8,13 filiorum investitura, non vero unctio : Ex. 29,9^b sqq. et Lev. 8,14 sqq. sacrificium tam pro Aaron quam pro filiis oblatum, durante quo Ex. 29,21 et Lev. 8,30 et Aaron et filii sanguine et oleo unctionis commixtis aspergebantur. Sensus horum obvius est, filios non accepisse unctionem in capite sicut Aaron. Quodsi quis suggerat utrobique rei mentionem excidisse, debebit adstruere Ex. 29,8 vel 9 et Lev. 8,13 integram de hac re sententiam excidisse, non vero Ex. 29,7 et Lev. 8,12 solam vocem ובניו, cum is sit narrationis ordo, ut ante Ex. 29,8 et ante Lev. 8,13 de solo Aaron agatur, de filiis vero postea. — Confirmatur conclusio e Lev. 6,20 (13), ubi de sacrificio in gratiarum actionem post consecrationem offerendo dicitur : « Haec est oblatio Aaron et filiorum eius, quam offerre debent Domino in die unctionis *ipsius* », non *ipsorum*. Quae ratio fortasse non sit plane cogens. At illico v. 22 (15) futurus pontifex vocatur « sacerdos unctus loco eius de filiis eius »; et Lev. 16,32 « sacerdos, qui unctus fuerit,... ut sacerdotio fungatur pro patre suo ». Et ipse pontifex dicitur Lev. 21,10 « sacerdos magnus, super cuius caput fusum est unctionis oleum »; Num. 35,25 « sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est »; Lev. 21,12 « pontifex,... quia oleum sanctae unctionis Dei sui super eum est ». Accuratius autem hoc loco perpendendum est Lev. 4, ubi v. 3. 5. 16 commemoratur « sacerdos, qui unctus est ». Est autem capitis contextus hic, ut v. 3-12 de peccato agatur sacerdotis uncti, v. 13-21 totius populi, v. 22-26 principis, v. 27-35 plebeii. Per sacerdotem unctum porro designari pontificem, ducibus LXX (qui v. 3 vertunt ἀρχιερεύς) et *Chald.* censent interpretes communiter. Quae omnia simul perpensa illud sane videntur efficere, sacerdotes simplices aut nullatenus esse unctos, aut certe modo a modo unctionis pontificis multum diverso.

At non desunt textus sacerdotibus simplicibus unctionem concedentes. Ex. 30,30 : « Aaron et filios eius unges sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi ».

Num. 3,3 mentio habetur « sacerdotum, qui uncti sunt », et Lev. 10,7 iisdem dicitur : « oleum quippe sanctae unctionis est super vos ». Sed imprimis perpendendus textus Ex. 40,13 (15) : « Et unges eos, sicut unxisti patrem eorum,... quo unctio eorum fiat ipsis in sacerdotium perpetuum ». Ubi notes contextum : v. 2-11 iubetur tabernaculum erigi et cum omni sua supellectili ungi oleo; v. 12 sq. iubentur tam Aaron quam filii investiri et ungi; v. 14-36 narratur erectum cum supellectili tabernaculum; dein continua narratione Lev. 1-7 quaedam de sacrificiis leges traduntur; tandem Lev. 8. quod supra diximus, narratur primum Aaronis investitura et unctio, dein filiorum tacita unctione investitura, tandem sacrificium pro Aarone et filiis oblatum, ubi et Aaron et filii sanguine et unctionis oleo asperguntur. Et nota, Lev. 7,35 de partibus victimae, quae Aaroni et filiis cedant, dici : « Haec est unctio Aaron et unctio filiorum eius », ubi unctionem idem sonare atque memoriale unctionis, contextus declarat. Eaedemque partes v. 35 dicuntur esse ea, « quae praecipit Dominus dare eis in die, quo unxit eos ». Concludamus testimonio *Ios.* Ant. III. 8.6 : « hostiarum sanguine et vestimenta Aaronis et ipsum cum filiis conspersit, aqua viva et oleo purificans, quo Dei fierent sacerdotes ». Rem aliquantum obscurat Ios., oleum copulans aquae et separans a sanguine. Ceterum hoc et similia testimonia rem non dirimunt : demonstrant praxin et opinionem posteriorum temporum. Nequaquam vero damnandi sunt Hebraei posterioribus temporibus introducentes forte unctionem simplicium sacerdotum, quae sacro textu certissime non prohibebatur. Annon christiana ecclesia plures sancivit unctiones praeter eas, quas ipse Christus instituit?

Componendorum textuum, qui speciem quamdam prae se ferunt contradictionis, triplex se offert via. Prima censet, sacerdotes simplices eadem atque pontificem unctione consecrari consuevisse, sed aliqua in quibusdam textibus talem unctionem affirmantia excidisse. Secunda tenet, solum primitus pontificem unctione esse consecratum, sed aliqua quibusdam textibus additamenta accrevisse, quo simplicibus etiam sacerdotibus unctionem concessisse Moyses videretur. Tertia textus omnes pro integris et incorruptis habet. Sc. tam pontifex quam sacerdotes ungebantur, sed non unctione eadem. Solus pontifex ungebatur in capite (« unguento, quod descendit in barbam, barbam Aaron »), eratque κατ' ἐξοχήν « sacerdos unctus ». Reliqui ungebantur aspersione olei unctionis Ex. 29,21; Lev. 8,30. Dices, sacerdotes unctos esse *sicut* pontificem (Ex. 40,13) : sed illud *sicut* satis explicatur de aequalitate generica, non vero particulari quoad infimam unctionis speciem. Dices porro, unctionem per aspersionem vix videri satis dignam. Respondeo, in rebus, quae sint institutionis positivae divinae, quid dignum sit aut indignum, definiri voluntate legislatoris Dei. Si ablutio per aspersionem sufficiat Christi baptismo, non est cur negemus, unctionem per aspersionem suffecisse sacerdotio mosaico.

Dices, Ex. 28,41 iuberi Aaronis et filiorum *ungi et impleri manus*, ergo sacerdotum simplicium unctas esse *manus*. Sed textu non probatur specialis unctionis manuum ritus : primum, quia secus dicendum erit pontificis item manus esse unctas, quod nullus affirmat textus. Dein *impletio manuum*, uti ad 28,41 dicebamus, non tam significat physicam manuum impletionem, quam potius collationem potestatis ; ergo neque *unctio manuum* ib. necessario intelligenda est de ipsarum manuum unctione aliqua, sed sicut impletio, ita unctio manibus tribui potuit, quia manibus potissimum exercentur actiones, quarum iurisdictionis collatione et unctionis ritu potestatem accipit sacerdos. Tandem dici potest, tribui ib. manibus unctionem per synallagen, quod iisdem ibi uti alias tribuatur impletio. Ergo non probatur ritus manuum ungendarum.

Sequuntur iam, quae in consecratione non Aaronem spectant, sed solos filios. Ubi advertas v. 9 illud *Aaron sc. et liberos eius* deesse apud *LXX* et revera sapere additamentum ab aliquo adiectum, qui adverterit v. 5 Aaroni non conferri balteum, quo tamen ipse sine dubio induebatur. v. 8 « *Filios quoque illius applicabis* », accedere facies « *et indues tunicis* [*lineis*], *cingesque balteo* », v. 9 « *Aaron sc. et liberos eius, et impones eis mitras. Eruntque sacerdotes mihi religione perpetua* », quamdiu Iudaeorum religio perseverabit, et singuli per totam vitam.

« *Postquam initiaveris manus eorum* », — haec melius ad priora *Masor.* trahunt, et absolute construunt omnes : *et implebis manum Aaron et manum filiorum eius. LXX Syr. : et perficies. Chald.* pro causa effectum scribit : *et offeres oblationem Aaron et oblationem filiorum eius.* Sicut v. 7 ordinatio pontificis concludebatur verbis *et unges illum* seu, ut recte vertit *Vulg. : atque hoc ritu consecrabitur*, ita v. 9 absoluta esse sacerdotum ordinatis hac formula exprimitur : *erunt sacerdotes et implebis manum eorum.* Manus impletio 28,41 ; 29,29 intime copulatur unctioni, dum 29,35 ordinatio sola manus impletione exprimitur. Utraque expressio ordinationem designat, illa tamquam ordinis, haec tamquam potestatis collationem.

2. *Sacrificia ordinationis* Ex. 29,10-28.

Arg. — « In consecratione hac Aaronis et filiorum in sacerdotes oblatum fuit omne genus sacrificiorum, sc. holocaustum, pacificum et pro peccato; ad illa enim offerenda ordinabantur et consecrabantur ipsi » (*Men.*). Sacrificia haec non ab Aarone, sed pro Aarone et filiis a Moyse offeruntur. Sacrificium vituli pro peccato habes v. 10-14, accedentes quippe ad altaris officia oportet ante omnia peccato mundari et sanctificari. Dein offertur sacrificium arietis pro holocausto v. 15-18. Tandem v. 19-28 offertur aries consecrationis ritu pacificorum ita, ut earum partium, quae secus sacrificatori obveniant, una Deo, altera Moysi sacrificatori cedat, quae vero secus plebi fideli concedantur, ea Aaroni et filiis tribuantur.

(1) *Vitulus pro peccato* Ex. 29,10-14.

v. 10 « *Applicabis* » — *appropinquare facies* — » *et vitulum coram tabernaculo testimonii, imponentque Aaron et filii eius manus super caput illius* ». « Cuius ritus in genere ratio fuit, ut significaret offerens, se victimam tradere, sive ad cultum et honorem Deo deferendum, ut

fiebat in holocaustis, sive ad deprecandum Deum vel ei gratias agendum, ut in pacificis et sacrificiis laudis, sive ad peccatum suum peccatique poenam quodammodo in victimam transferendam, ut fit in hostia pro peccato » (*Bonfr.*). Cf. *Theodoret.* v. 11 « *Et mactabis eum in conspectu Domini, iuxta ostium tabernaculi testimonii* ». v. 12 « *Sumptumque de sanguine vituli pones super cornua altaris* » (27,2) « *digito tuo* ». Hunc ritum interpretare, uti ritum 24,8 : aspersus vel illitus sanguis confirmationem foederis exprimebat. Nec difficultatem facit, quod obiicit *Tost.*, eiusmodi confirmationem debuisse esse mutuam aspersione vel illitione non solius, qui Deum repraesentabat, altaris sed etiam populi. Nam primum in hoc sacrificio v. 20 sq. Aaron etiam et filii sanguine liniuntur et asperguntur; dein eiusmodi sacrificia non sunt singula seorsim pensanda, sed tamquam actus universi cultus mosaici, in quo fideles quoque haud raro sanguine aspergebantur; tandem initi foederis confirmatio multo frequentius ab hominibus natura inconstantibus praestanda erat Deo, quam hominibus a Deo, cuius verba manent in aeternum. « *Reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius* », « illam terrae partem, quae altare sustentabat » (*Bonfr.*). Non est dubium, aliquod provisum esse receptaculum, fortasse simile ei quod Ez. 43,13 describitur, quo sanguis funderetur, ne circa altare stagnaret; sed cum illud s. textus non describat, neque interpretis est, de eo quidquam affirmare. « Ponitur hic Aaron in censu vulgaris populi, ac sua pro illo expiationis hostia offertur. Cum vero in summum sacerdotem electus fuit, ipse per se intulit sacrum cruorem in sanctum in criminum suorum et totius populi expiationem » (*Calm.*; cf. Lev. 4,5. 16). v. 13 « *Sumes et adipem totum, qui operit intestina, et reticulum iecoris, ac duos renes, et adipem qui super eos est, et offeres incensum super altare* ». קטר primitus de incenso adolendo usurpatur, at inde etiam de victima comburenda, quod sine incenso non fiebat. Solemne erat antiquis populis, v. g. Graecis, adipem tamquam victimae partem excellentissimam sacrificii flammis absumere; qui mos fortasse e primitiva revelatione fluxit. v. 14 « *Carnes vero vituli et corium et fimum combures foris extra castra* », — « Figura Christi est » (*Sa*; cf. Hebr. 13,11 sqq.). Fitque illud, « ut sic significetur, peccata, quae capiti hostiae imposita fuerant, et poenam eorum ab offerentibus et republica averti » (*Ians.*) — « *eo quod pro peccato sit* ». *Hebr. peccatum*, ita enim vocantur illa sacrificia, de quibus plura ad Lev. 4 dicemus. Cf. 2 Cor. 5,21 : « eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit ».

קרב, id quod interius est, intestina. Porro sola ventris intestina adipis strato in mammalibus obvolvuntur, et intestinorum adeps in textibus, qui de sacrificiis sunt,

semper recensetur una cum intestinis, quae in ventre sunt, uti iecore, renibus. *Ios.* Ant. III. 9. 2 ἐπίπλους, i. e. omentum. *Plin.* Hist. Nat. 11. 80 : « Ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento integuntur, praeterquam ova gignentibus ». — Sed quid est יתרת *super iecur* seu *iecoris* (*Sam.* et v. 22)? Cf. Lev. 3,4. 10. 15; 4,9; 7,4; 8,16. 25; 9,10. 19. *LXX Ios.* ὁ λοβός, lobi autem sunt iecoris partes. Etiam הצרא (*Chald. Syr.*) partem iecoris designare videtur. At *partem* iecoris praecidendam esse in sacrificium, ferendum vix videtur. *Aq. Theod.* τὸ περιττόν. *Vulg. reticulum* : omentum minus seu gastro-hepathicum, quod incipit, ubi lobi convergunt, extenditurque super stomachum et renes. יתרת vi etymi significare potest id, quod reliquum est, quod supereminet, quod excellentius est. Potest intelligi omnis illa adeps, quae iecori adhaeret praeter illam, quae illud uti reliqua intestina extrinsecus involvit : ergo etiam illa, quae pone omentum minus conspicitur. *Vulg.*, cuius erat versionem, non anatomicam descriptionem dare, rem unica voce *reticulum* expressit.

(2) *Aries in holocaustum* Ex. 29,15-18.

Sacrificium vituli fuerat pro peccato, iam sequitur holocaustum. v. 15 « *Unum quoque arietem sumes, super cuius caput ponent Aaron et filii eius manus* », cf. v. 10. v. 16 « *Quem cum mactaveris, tolles de sanguine eius et fundes circa altare* », *Hebr. : super altare in circuitu.* v. 17 « *Ipsum autem arietem secabis in frusta* » *sua*, — quae haec essent, longo usu didicerant Hebraei — « *lotaque intestina eius ac pedes pones super concisas carnes, et super caput illius* ». Ita adeps solutus totas pervadebat carnes. v. 18 « *Et offeres totum arietem in incensum super altare* », et adolebis, combures (cf. v. 13) illum, utique cum incenso : « *oblatio* », עלה i. e. *holocaustum*, « *est Domino, odor suavissimus victimae Domini* ». Secundum LXX et Lev. 8,21 *in odorem suavissimum* trahatur ad praecedentia.

(3) *Aries consecrationis* Ex. 29,19-28.

Sequitur victima pacificorum. v. 19 « *Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron et filii eius ponent manus* ». v. 20 « *Quem cum immolaveris, sumes de sanguine eius, et pones super extremum auriculae dexterae Aaron et filiorum eius, et super pollices manus eorum* » *dexterae* « *ac pedis dexteri* » : quia sacerdotem oportet et prompte Dei legem audire, et opere exsequi, et in Dei lege ambulare (*Cyrill. Alex.* : De adoratione XI; *M.* 68. 760 sq.). « *Fundesque sanguinem super altare per circuitum* ». *Sam.* v. 21 alio loco, sc. post v. 28, legit. v. 21 « *Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes eius, filios et vestimenta eorum* ». Tradit *Philo* (De Vita Moysis III) partem sanguinis in cratere esse retentam, dum reliquus altari circumfunderetur : Deus haec minima Moysi determinanda reliquit, nec nostra interest de illis

coniecturas effingere. Sequentia, quae magni sunt momenti, distinctius *Hebr.* tradit : *et consecrabitur* — יקדש : non habetur verbum *ungendi* aut *implendi manus* — *ipse et vestes eius, et filii eius et vestes filiorum eius cum ipso.* « *Consecratisque ipsis et vestibus* », v. 22 « *tolles adipem de ariete* », — generatim primum adeps nominatur, dein singulae eius partes recensentur eaedem atque v. 13, quibus additur cauda, quae in Orientis ovibus solet esse pinguissima (*Calm.*) — « *et caudam et arvinam, quae operit vitalia* », — eadem expressio v. 13 vertebatur « adipem, qui operit intestina » — « *ac reticulum iecoris et duos renes atque adipem, qui super eos est, armumque dexterum, eo quod sit aries consecrationis* »; in reliquis enim pacificis ille armus non comburebatur (*Bonfr.*); — et nota, Lev. 8,22, ubi de hoc ariete agi incipit, eum iam vocari איל המלאים, uti priorem v. 18 איל העלה — v. 23 « *tortamque panis unius* », — seu verius *unam* — « *crustulam conspersam oleo* » *unam*, « *laganum* » *unum* « *de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini* »; v. 24 « *ponesque omnia super manus* » seu volas « *Aaron et filiorum eius, et sanctificabis eos elevans coram Domino* ». Sed *Hebr.* nil de *sanctificatione* habet, sed : *et agitabis ea agitatione coram Domino.* Erat enim in sacrificiis Hebraeorum ritus affinis ritui Missae (*Sa*), quo oblata elevantur et in crucis figuram circumaguntur. Imo adest traditio rabbinica, consuevisse oblata moveri ab oriente ad occidentem, ac dein a septentrione ad meridiem (*Vat.*), quo plenior etiam signi crucis imitatio habebatur. v. 25 « *Suscipiesque universa de manibus eorum, et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est* ».

Sed non incenditur *in holocaustum*, primum quia non est holocaustum, sed hostia pacifica; dein quia non legitur uti v. 18 עלה, sed על עלה. Explicant *LXX super altare holocausti*, quod re certe est verum. Hebraeum verte *super holocaustum* : illi nondum plane consumpto imponebatur (*Cai.*), aut eodem atque illud loco consumebatur. Lev. 8,28 de eodem sacrificio agens sic habet : *super holocaustum; consecratio haec est*, i. e. consecrationis sacrificium, *in odorem suavitatis; victima haec est Domino.* Haec clausula correspondet clausulis v. 14. 18. — שוק, a radice significationis *currere*, ergo *crus* : et quidem designat membra posteriora, cum anteriora in homine uti in animalibus זרע vocentur. Ergo proprie non est *armus* seu βραχίων (*LXX*); sed neque κνήμη (*Ios.*), quae est pars cruris inferior, minimum habens carnis et adipis : dum שוק evidenter sit pars succulenta, ergo aut totum crus posterius aut eius pars superior. Hoc semel monuisse sufficiat : sequentibus Vulgatae vocem *armus* retinemus.

v. 26 « *Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, [sanctificabisque] illud elevatum coram Domino; et cedet in partem tuam* ». v. 27 « *Sanctificabisque et pectusculum consecratum et*

armum, quem de ariete separasti », v. 28 « *quo iniatus est Aaron et filii eius; cedentque in partem Aaron et filiorum eius iure perpetuo a filiis Israel : quia primitiva sunt et initia de victimis eorum pacificis, quae offerunt Domino* ».

Textus est impeditior, a cuius difficultatibus interpretes plerique prudenti se silentio expediunt. Igitur חזה, στηθύνιον non est *pectus*, sed *pectusculum*, ea sc. pectoris pars, quae armo proxime adhaeret. Et, licet alias de unico pectusculo sit sermo, sc. de pectusculo dextero, quod armum dexterum comitatur et cum illo sacerdotum portionem efficit, tamen, quod noster textus indubie asserit, *duo* sunt pectuscula, sicuti duo sunt armi. Quorum unum habes v. 26 *pectusculum; quod pertinet ad Aaron* (*Sam.* loco אשר h. l. מאשר), i. e. secundum contextum illud, quod in aliis sacrificiis pacificorum omnibus ad Aaron pertinet, et etiam in hoc sacrificio, ni Deus aliud statuisset, ad eum pertineret. Huic correspondet v. 22 *armus dexter*, qui secus etiam Aaroni conceditur, sed in hoc consecrationis sacrificio v. 25 Deo defertur et igne absumitur. Pectusculum vero illud dexterum conceditur sacerdoti consecratori, sc. Moysi : *cedet in partem tuam*. Prius tamen, quod semper fit, *elevatur coram Domino* (v. 26). *Alterum pectusculum* et *armus sinister* habentur v. 27 et ita describuntur : מאשר לאהרן ומאשר לבניו, *praeter illud, quod ad Aaron, et praeter illud, quod ad filios eius pertinet*, vel pertineret secundum explicationem modo datam. Et haec, quae secus pars essent eorum, quae ad plebem fidelem pertinent, in hoc sacrificio *cedunt in partem Aaron et filiorum eius*, qui non sacerdotio funguntur, sed sacerdotes consecrantur. Porro, quae Aaroni et filiis cedunt, cum secus (cf. Lev. 7,34) vocentur חזה התנופה et שוק תרומה, *pectusculum elevatum* et *armus sublatus*, etiam v. 27 iisdem expressionibus designantur, ita ut eae expressiones h. l. pectusculum et armum sinistra, alias vero dextera designent. Totus tandem textus hebr. sic vertendus est : *Et sumes pectusculum de ariete consecrationis*, qui hoc nomine distinguitur ab ariete holocausti v. 15-18, *quod pertinet ad Aaron, et elevabis illud coram Domino, et cedet tibi in partem. Et sanctificabis pectusculum elevationis et armum sublationis, quod elevatum est et quod sublatum est, de ariete consecrationis, praeter illud quod pertinet ad Aaron et ad filios eius, et cedet Aaroni et filiis eius.* Sane intricatior est constructio. Planius verba hoc ordine se exciperent : חזה תנופה אשר הונף ואת שוק התרומה אשר הורם. Tamen constructio, quam Hebr. habet, non est mendosa, neque aliis versionibus consentientibus emendanda. Dissentit utique *Vulg.*: quam cum in praecedentibus pluries deprehenderimus liberius vertentem, prudentius non asseremus alium eam h. l. habuisse textum hebraeum. Extremam v. 28 partem ita ex *Hebr.* vertas : *Ordinatio perpetua haec est a filiis Israel* danda, *quia* תרומה *est; et erit* תרומה *a filiis Israel, sacrificium pacificorum,* תרומה *eorum Domino.* Dicitur *ordinatio perpetua*, ritus perpetuo servandus in pontificum consecratione. Cur porro תרומה h. l. et Lev. 7,32 *Vulg.* vertat *primitiva, primitias, initia*, non video.

Dicebamus supra, tam תנופה quam תרומה a radicibus peti significationis *elevare*. Non tamen illa duo nomina eundem sensum habent. תנופה, quod de pectusculo praedicari consuevit in Dei laudem comburendo, revocatur ad expressionem הניף לפני יהוה. Quod hiphil cum significationem induat *agitare, huc illuc movere* (v. g. manum Iob 31,21; Is. 11,15; 13,2 etc.; falcem in segete Deut. 23,25; serram trans lignum Is. 10,15), censetur in sacrificiis illum ritum designare, quo oblata elevabantur et simul huc illuc movebantur in signum oblationis Deo factae (offertorii). E contra הרים a significatione *elevandi* transit ad sensum *separandi* (uti vertit *Vulg.*

Ex. 29,27; Num. 15,19; 18,24; 31,28; e contra *offerre* Lev. 22,15; Num. 18,19. 26. 30, *auferre* Lev. 4,8. 10, *tollere* Lev. 2,9; 4,19; 6,15 [8], *reservare* Num. 18,32); et הרים ליהוה significat *separare pro Iahve*, et תרומה est illa *portio* Iahve destinata, quam ille tamen semper sacerdotibus ipse concedit.

ג. *Vestes Aaron in sequentibus pontificum ordinationibus adhibendae* Ex. 29,29 sq.

Inter sacrificium hoc pacificorum epulumque sacrum illud consequens, inseritur v. 29 sq. illud de vestibus sacris, quibus indutus Aaron sit consecrandus. Illae non erunt cum ipso sepeliendae, sed asservandae et in singulorum pontificum ordinationibus adhibendae. Sane pro reliquo cultu sacro credendi sunt singuli pontifices, uti etiam sacerdotes, suas sibi procurasse sacras vestes, excepto fortasse rationali.

v. 29 « *Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii eius post eum, ut ungantur in ea et consecrentur manus eorum* ». Ergo singuli pontifices consecrandi. v. 30 « *Septem diebus utetur illa* » (cf. v. 36 sqq.), « *qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis eius, [et] qui ingredietur tabernaculum testimonii, ut ministret in sanctuario* » tamquam pontifex. Non dicitur primogenitum semper patri defuncto succedere debere in pontificatu. Agitur de septem diebus continuis consecrationis. Neque licebat (Lev. 8,33) consecrandis illo septiduo sanctuario excedere.

ד. *Epulum sacrum consecrationis* Ex. 29,31-34.

v. 31 « *Arietem autem consecrationis* », quidquid sc. v. 25 non fuit flammis absumptum, « *tolles et coques carnes eius in loco sancto* ». v. 32 « *Quibus* », excepto eo, quod v. 26 Moysi reservabatur, pectusculo, « *vescetur Aaron et filii eius* » in introitu tabernaculi testimonii Lev. 8,31. Et recte monet *Tost.*, sic recipere sacerdotes, quae secus laici accipiant, cum in sacrificio consecrationis suae non agant sacerdotes ut sacerdotes. « *Panes quoque, qui sunt in canistro* » relicti (cf. v. 23), « *in vestibulo tabernaculi testimonii comedent* », v. 33 « *ut sit placabile [sacrificium], et sanctificentur [offerentium] manus* ». *Hebr.* initio versus repetit *et manducabunt ea*, sc. tam panes quam carnes; dein peracti sacrificii effectum resumit hisce verbis : *per quae expiatio facta est ad impletionem manuum ipsorum, ad sanctificationem ipsorum.* « *Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt* », vel *sancta*. Alienigena hic intelligitur, qui non est de familia Aaron (*Lap.*). Hinc etiam perspicias, alia alio sensu dici sancta : sunt quaedam sancta et a profanis segreganda ita, ut nullus ea contingat nisi Hebraeus; alia, ut nullus ea contingat nisi Aarone natus.

v. 34 « *Quodsi remanserit de carnibus consecratis* », seu verius *consecrationis*, et quidem arietis secundi, nam de aliis nihil poterat remanere, « *sive de panibus usque mane, combures reliquias igni* ». Id severius, quam quod in aliis sacrificiis pacificorum observabatur (*Tost.*), ut biduo carnes ederentur, tertio die reliquiae comburerentur (Lev. 7,16; 19,5 sqq.). « *Non comedentur, quia sanctificata sunt* », quia *sancta* sunt. « Quia plus quam aliae hostiae pacificae Deo sunt dicata, ideo nolo, quod secundo die quisquam de illis comedat » (*Sylv.*).

ה. *Solemnitatis septiduum* Ex. 29,35-37.

Arg. — Septiduo producenda solemnitas, oblato quotidie sacrificio pro peccato ordinandorum, et altero pro peccato ordinatoris in suo officio commisso. v. 35 « *Omnia, quae praecepi tibi, facies super Aaron et filiis eius : septem diebus consecrabis manus eorum* ». v. 36 « *Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum; mundabisque altare, cum immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem* ». *Hebr. : Et vitulum pro peccato immolabis quotidie in expiationem, et sacrificium pro peccato facies super altare ad expiationem tuam quoad ipsum, et unges illud ad sanctificandum illud.* Moyses igitur offerre iubetur sacrificium ad expiationem *suam*, ergo diversum a sacrificiis v. 1-28 descriptis; non oblatum pro peccatis Aaron et filiorum (*Tost.*), sed pro suis propriis commissis *quoad ipsum* altare, in sacrificiis consecrationis offerendis. v. 37 « *Septem diebus expiabis altare et sanctificabis, et erit sanctum sanctorum* », « valde sanctum » (*Tost.*). « *Omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur* ». Cum Lev. 6,18 (11) expressio eadem certe ad personas referatur, neque h. l. personae excludendae sunt. Vere tamen *Sa*. *Calm.* monent, hebraeum etiam verti posse *omne, quod;* et Lev. 6,27 (20) expressio indubie etiam ad res refertur, ut patet ex adscripta explicatione : « si de sanguine illius *vestis* fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto ». Dicendum ergo, expressionem respicere tam res quam personas (cf. Ex. 30,29), agi de contactu tam de consilio quam fortuito, tam iure quam iniuria facto : res aut persona, quae altare attigerit, non redibit ad usum profanum, nisi lota in loco sancto.

Magna hic difficultas est de numero sacrificiorum, quae praescribuntur. Nota, consecrationem produci septiduo (29,30. 35; Lev. 8,33), octavo tandem die neopontificem ipsum offerre sacrificium (Lev. 9,1. 7). Quae 29,1-28 narrabantur, fiebant primo die. Porro, cum *implere manus* 28,41; 29,9. 29 et imprimis Lev. 8,33 pro toto consecrationis ritu scribatur, accipiendum erit eo sensu h. l. v. 35, ut *septem diebus implebis manus eorum* idem sonet, atque : consecratio septiduo durabit. At

exinde audacius infert *Bonfr.* septem diebus repetita esse tria, quae v. 1-28 describuntur sacrificia : id fieri potuit, sed non affirmatur v. 35. Alia pro singulis diebus sacrificia v. 36 praescribit : et primum quidem sacrificium vituli pro peccato, pro peccato sc. consecrandorum (*Tost.*), offerendum sane eodum ritu atque illud v. 10-14; hoc primum e tribus sacrificiis utique repetitur quotidie. At praeterea quotidie, i. e. septem aut certe sex diebus, Moyses offerre iubetur alterum pro peccato sacrificium, pro peccatis sc. *suis*, non consecrandorum, neque pro peccatis suis quibuslibet, sed pro commissis eo septiduo *quoad ipsum* altare. Quod sacrificium, cum accuratius non describatur, censendum est esse offerendum ritu Lev. 4,3 sqq. praescripto sacrificii pro sacerdotis peccato. Tandem iubetur Moyses, crediderim quotidie, *ungere altare ad sanctificandum illud.* Quam rem *Sylv.* censet gestam esse eo ritu, qui Lev. 8,11 describatur initio solemnitatum primae diei observandus. Tamen omnis unctio non necessario oleo est peragenda, potest altare ungi sanguine, potestque illa unctione is praecise ritus intelligi, qui v. 37-42 describitur. Secundum haec igitur sequentia septiduo habebantur sacrificia : sacrificium vituli pro peccato consecrandorum, et sacrificium alterius vituli pro peccato consecratoris quoad altare admisso. An vero singulis post primum diebus etiam immolati sint duo arietes v. 15-28, non liquet.

1. *Iahve inter et populum in sanctuario perpetua necessitas* Ex. 29,38-46.

Arg. — Haec necessitas duo complectetur : nationis in Iahven perpetuum cultum v. 38-42, et Iahve in nationem perpetuum favorem v. 42-46. Describitur porro cultus non extraordinarius maiorum festorum, sed ordinarius, quotidianus, perpetuus; uti neque extraordinarii Iahve in populum favores attinguntur, sed continua cohabitatio.

v. 38 « *Hoc est, quod facies in altari : Agnos anniculos* » (cf. 12,5) « *duos per singulos dies iugiter* », v. 39 « *unum agnum mane, et alterum vespere* ». Iisdem verbis Num. 28,3 sqq. statuitur lex sacrificii quotidiani perpetui, unde dicendum erit, agi h. l. de eodem sacrificio; uti etiam v. 40 de mincha quotidiana agit (ib., et cf. Lev. 6,14-18). v. 40 « *Decimam partem similae conspersae oleo tuso* » (cf. v. 2; 27,20), « [*quod habeat mensuram*] *quartam partem hin, et vinum ad libandum eiusdem mensurae* », sc. quartam partem hin, « *in agno uno* », pro primo agno. *Decima pars* intelligitur mensurae ephi (cf. Lev. 14,10. 21 etc.); decima autem pars ephi est gomor (Ex. 16,36). *Hin* est sexta pars ephi. Porro gomor aequat 3·88 lit., hin 6·49 lit. v. 41 « *Alterum vero agnum offeres ad vesperam* [*iuxta ritum*] *matutinae oblationis et iuxta ea, quae diximus* », — *Hebr. : quantum oblatio matutina et quantum libatio eius* — « *in odorem suavitâtis* ». לה veluti anticipat sequentem vocem עלה (*Dillm.*) : ceterum *Sam.* habet לו. v. 42 « *Sacrificium est Domino* » (cf. v. 18. 25 et quae dicebamus ad v. 38), « *oblatione perpetua* » — *Hebr. holocaustum perpetuum* — « *in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi consti-*

tuam » — *Hebr. : ubi me sistam* — « *ut loquar ad te* ». v. 43 « *Ibique praecipiam filiis Israel, et sanctificabitur* [*altare*] *in gloria mea* ». *Hebr. : Ibique me sistam filiis Israel,* eis manifestabor, *et erit sanctificatio in gloria.* Cuius sanctificationis partes enumerat v. 44 : « *Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi* ». v. 45 « *Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus* », v. 46 « *et scient, quia ego Dominus Deus eorum* », *qui* « *eduxi eos de terra Aegypti, ut manerem inter illos; ego Dominus Deus ipsorum* ».

Extremo v. 38 *LXX* loco תמיד ליום legebant : תמים ליום על המזבח אשה תמיד (cf. v. 1 et v. 18. 25. 42 [41]), quae lectio suam habet probabilitatem. — De expressione *inter duas vesperas* cf. ad 12,6. *Ios.* Ant. XIV. 8 scribit, sacrificia quotidiana offerri consuevisse « mane et circa horam nonam » (cf. Act. 3,1). — Sacrificium matutinum et vespertinum fortasse etiam est Moyse antiquius; matutinum semper ante vespertinum recensetur.

ד. *Iahve in altari thymiamatis perpetuus honor* Ex. 30,1-10.

Arg. — Haec est pars extrema longioris divini alloquii 25,1-30,10. Cum porro altare thymiamatis collocandum fuerit in sancto, ubi etiam candelabrum et mensa panum propositionis, admirationem facit illud non cap. 25 cum illis describi. Verum alio ordine procedere narrationem monebamus p. 257 sq. Iahve sc. in sanctuario habitatio alium praeter sacrificium quotidianum perpetuum cultum consequentem habebit, incensum perpetuo mane et vespere adolendum.

Cap. XXX v. 1 « *Facies quoque altare* », *locum* « *ad adolendum thymiama, de lignis setim* », v. 2 « *habens cubitum longitudinis et alterum latitudinis,* [*i. e.*] *quadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent* », cf. 27,2, erunt individua ipsius altaris pars. v. 3 « *Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius quam parietes per circuitum, et cornua* ». Quare vocatur altare aureum 39,37; 40,5. 24; Num. 4,11 (*Bonfr.*). Notabat *Cai.*, גג non esse craticulam, sed *tectum* planum (Ios. 2,6. 8; 1 Reg. 9,25); certe craticula (cf. 27,4) non fiebat e ligno auro vestito. Probabilius summo altari, quod planum erat et clausum, imponebatur thuribulum. « *Faciesque ei coronam aureolam per gyrum* », « limbum affabre factum, aureum supraque altaris tabulam prominentem » (*Bonfr.*). v. 4 « *Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et altare portetur* ». על שתי צלעתיו et על שני צדיו reapse videntur esse duae lectiones unius eiusdemque, quae primitus in textu erat, expressionis. Cf. *Aug.* Omnino patet (cf. 25,26 ; 27,4), fuisse bi-

nos annulos in duobus lateribus sibi oppositis, ut essent quatuor omnino annuli, et altare duobus vectibus commode ferri posset. Annuli, uti 25,27, dicuntur *loca pro vectibus* (*Chald. Syr.*); hinc *LXX* φαλίδες, *arcus* seu *curvaturae* ad retinendos vectes (*Aug.*). v. 5 « *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim et inaurabis* ». v. 6 « *Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii, coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi* ». Ponendum erat extra velum, in medio, ubi directe opponebatur propitiatorio (*Cai.*).

Hoc altare fuisse *extra* sanctum sanctorum praeter hunc versum evincit v. 20, qui docet simplices etiam sacerdotes ad illud accessisse, quibus nefas erat sanctum sanctorum ingredi. Idipsum testantur *Philo* (De Vita Moysis III) et *Ios.* (Ant. VIII. 6. 8; III. 3. 7; Bell. Iud. VI. 6.). Quod ergo Hebr. 9,4 dicitur « sanctum sanctorum aureum habens thuribulum », id non ad altare thymiamatis refertur, sed ad thuribulum, quod Lev. 16,12 pontifex secum in sancta sanctorum ferebat. Cf. *Bonfr.* Aut dicas cum *Ribera*, S. Paulum considerare altare thymiamatis tamquam aliquid cum sancto sanctorum *unum*.

v. 7 « *Et adolebit incensum super eo Aaron* », et filii eius v. 20, « *suave fragrans, mane* » *singulis* : « *quando componet lucernas, incendet illud* » ; v. 8 « *et quando collocabit eas ad vesperum* », — *inter duas vesperas*, cf. 26,6 ; collocabat autem accensas, hinc *LXX Targ. Syr. accendet* — « *uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras* » (12,14). תמיד, perpetuo, intellige non sine ulla interruptione, sed, uti alias, temporibus statutis, sc. mane et vespere. v. 9 « *Non offeretis super eo thymiama* [*compositionis*] *alterius* », quam eius, quae v. 34 sqq. describitur, « *nec oblationem et victimam, nec libabitis libamina* », non holocaustum, non sine sanguine oblationem, non libamen; haec quippe ad altare holocaustorum spectant. Una tamen statuitur exceptio, quando semel in anno cornua altaris thymiamatis linienda sunt sanguine : v. 10 « *et deprecabitur* », seu *expiabit*, « *Aaron super cornua eius semel per annum* » (cf. Lev. 16, 18), « *in sanguine* [*quod oblatum est*] *pro peccato* » expiationis, i. e. in sanguine victimae expiationis, quae offertur pro peccato; « *et placabit super eo* » *semel in anno* « *in generationibus vestris* », per omnes ex ordine generationes. « *Sanctum sanctorum* », i. e. res sacrosancta (cf. 29,37), « *erit Domino* » istud altare.

2. *Alloquia divina minora* Ex. 30,11-31,18.

Haec eloquia sunt : 30,11-16 de congerenda pecunia pro sanctuarii usu; 17-21 de labro aeneo; 22-33 de oleo unctionis; 34-38 de thymiamatis compositione; 31,1-11 de opificibus operi adhibendis; 12-17 de

sabbati observatione. Ultima haec pericope intime connectitur cum traditis 31,18 tabulis. Tamquam pacti officium primarium 31,16 Deus sabbati observationem inculcat, pro eiusdem signo tabulas tradit. Hinc Moyses accepta Dei mandata populo explicaturus, 35,2 sq. ab inculcando hoc sabbati praecepto orditur. Ergo hoc praeceptum reapse a Deo datum est ante traditas 31,18 tabulas. Mandata de labro aeneo, unctionis oleo, thymiamate et de opificibus potuere quidem brevi ante Moysis cum secundis tabulis descensum 34,29 dari. Tamen, quod immediate ante primum descensum recenseantur, nullaque appareat ratio ei descensui ea postponendi, censenda sunt ante primum descensum esse data. Deus sc., qui sanctuarii partes omnes adamussim descripserat, neque ea, quae labrum aeneum etc. spectabant, definire distulit. Tamen cultum illa remotius attingebant, quam ipsum tabernaculum, altaria; labrum aeneum solam maiorem cultus decentiam spectabat. Revelavit ergo haec Deus ante primum quidem Moysis descensum, alloquiis tamen adiectitiis atque ab illo longiori alloquio diversis, quo ipsius sacri cultus formam demonstraverat. Superest unicum de congerendis pro sanctuario pecuniis mandatum. Quod potuit a Deo provido eodem, atque reliqua mandata minora tempore tradi, idque fere probabilius esse videtur. Potuit tamen hoc mandatum etiam serius edi, sed h. l. aliis sanctuarii cultum spectantibus adscribi. Sc. primum omnis generis opes pretiosae 35,20 sqq. liberaliter oblatae sunt, etiam postea homines liberaliter primum sua contulere, sed temporis decursu necessarium visum est certa lege sanctuarii necessitatibus providere : quam legem Deus a Moyse interrogatus tulit.

a. De congerenda pecunia pro sanctuarii usu Ex. 30,11-16.

Arg. — Sequitur monitum, ut, quando habeatur populi census, contribuant singuli dimidium siclum ad usum sanctuarii. Unicum censum praescribi, excluditur sententiae constructione conditionali. Fuit postmodum usus singulis annis contribuendi pro sanctuario : *Ios.* Ant. XVIII. 12; Bell. Iud. VII. 13; 26. Hic usus facile potuit originem traxisse ex censu hac pericope indicto. At nulla h. l. voce innuitur, censum singulis annis esse repetendum, cum tamen secus v. g. v. 10 adscribatur, quid singulis annis sit faciendum. Si contextum attendas, pericopae finis videtur esse hic, ut pro futuro de pecunia sanctuario necessaria provideatur; ergo crediderim, concedi hic facultatem census habendi, quandocunque ea pecunia exhausta esset.

v. 11 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 12 « *Quando*

tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum », — *Hebr. : quando levabis*, i. e. computabis *capita filiorum Israel secundum censum eorum* — « *dabunt singuli pretium* », expiationem, λύτρον, « *pro animabus suis Domino; et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti* ». Dabunt illud tamquam pretium protectionis divinae contra plagas (cf. 12,13); qui dare detrectaretur, exponeret se periculo, ut a Deo inflicta plaga puniretur. « Agnoscebatur tributi illius solutione summum Dei in populum suum imperium; perinde enim habebatur, ac capitatio a rege Israelis subiectis sibi gentibus imperata » (*Calm.*). v. 13 « *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen* », — *Hebr. ad recensitos :* recensendi ab una parte stabant, recensiti ab altera : qui ab illis ad hos transibat, dimidium siclum solvebat — « *dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet* » (Lev. 27,25; Num. 3, 47; 18,16; Ez. 45,12 : sed quid sit גרה, non edocemur. « *Media pars sicli offeretur Domino* ».

Siclus sanctuarii (*Hebr.*) etiam habetur v. 24; 38,24; Lev. 5,15; 27,3. 25; Num. 3,47. 50; 7,13 sqq.; 18,16 estque idem cum « siclo regio » (2 Reg. 14,26), de quo cf. *Schrader* ad Gen. 23.16. Ille siclus argenti pondere aequabat 14·55 gramm., valore 2 fr. 93. Vocabatur regius aut sanctuarii, quia apud reges vel in templis asservabantur pondera quaedam accuratissima, dum ea, quibus homines passim utebantur, saepe erant attrita et diminuta. Eiusmodi pondera regia apud Assyros reperta sunt, et sine dubio apud Babylonios antiquitus in usu erant. David 1 Par. 23,29 constituit sacerdotem aliquem « super omne pondus atque mensuram ». Vix est dubium, etiam apud Aegyptios hisce invigilasse sacerdotes. Ibi eam distinctionem didicerant Hebraei, nisi eam patriarchae iam e Mesopotamia compertam habuerant. Non ergo est ratio cum *Dillm.* suspicandi, illam vocem *sanctuarii* posterius a quodam locis omnibus citatis esse adscriptam.

v. 14 « *Qui habetur in numero* », — *Hebr. : omnis, qui transit ad recensitos* — « *a viginti annis et supra, dabit pretium* » seu *oblationem*, תרומה (cf. 29,28). Num. 1,18 sqq., qui sic numerabantur, semper vocantur « procedentes ad bellum », unde suggerit *Cai.* eos, qui ob senium armis ferendis essent impares, uti viginti annis minores a censu fuisse exemptos. v. 15 « *Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet* ». Ita ex ipso siclorum numero perspiciebatur recensitorum numerus (*Ians.*). Praeterea omnes ostendebantur aequales esse coram Deo (*Bonfr.*) praeter levitas, qui non recensebantur Num. 1, 47 sqq. v. 16 « *Susceptamque pecuniam, quae collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum* ». *Hebr. : ut sit filiis Israel in memoriale coram Domino, in expiationem pro vitis eorum :* in pretium redemptionis a plagis, quibus hominum vitae affliguntur,

et in memoriale, quod ipsos benignissimo foederis Deo in memoriam revocet (*Vat.*).

b. De labro aeneo Ex. 30,17-21.

v. 17 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 18 « *Facies et labrum aeneum* », seu luterem, « vas quoddam amplum, habens parietes eminentes » (*Tost.*), « *cum basi sua* » *aenea* « *ad lavandum; ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare* » holocaustorum. « *Et missa aqua* », v. 19 » *lavabunt in ea* » — sc. aqua; sed reliqui *ex eo*, sc. labro, aqua e labro hausta : « modus autem non est aliter scriptus » (*Cai.*) — « *Aaron et filii eius manus suas ac pedes* », cuius lotionis significationem exprimit *Chald.* substituens verbum *sanctificabunt*, v. 20 « *quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et* » — *Hebr. Sam. Chald. aut*, e qua coniunctione disiunctiva infert *Cai.* intelligi sequenti inciso altare holocaustorum, altare quippe thymiamatis erat intra tabernaculum — « *quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino* », v. 21 « *ne* [*forte*] *moriantur* », « me ob neglectam hanc legem eos percutiente » (*Bonfr.*). Poenam minatur Deus; non tamen se minas semper exsecuturum esse promittit. Ceterum *Hebr. : ut cultu fungantur, ut adoleant sacrificium* (אשה) *Domino;* quibus omnis generis sacrificia includuntur. Repetit dein h. l. *Hebr. : et lavabunt manus suas et pedes suos, ne moriantur.* Ubi monet *Cai.*, e pedum lotione effici, sacerdotes hebraeos nudis pedibus (cf. 3,5) sacris operari consuevisse; et notat *Calm.*, nusquam affirmari quidquam de sacerdotum calceamentis. « *Legitimum sempiternum erit ipsi et semini eius per successiones* » seu *generationes eorum.*

c. De oleo unctionis Ex. 30,22-33.

Arg. — Eius v. 22-25 compositio traditur, v. 26-30 res et personae ungendae enumerantur, v. 30-33 usus profanus prohibetur.

v. 22 « *Locutusque est Dominus ad Moysen* » v. 23 « *dicens* » : *Et tu* « *sume tibi aromata : primae myrrhae* [*et*] *electae quingentos* [*siclos*], *et cinnamomi medium*, [*i. e.*] *ducentos quinquaginta* [*siclos*], *calami similiter ducentos quinquaginta* », v. 24 « *casiae autem quingentos* [*siclos*] *in pondere sanctuarii* » (cf. v. 13), « *olei de olivetis* [*mensuram*] *hin* ». Vox *siclos*, uti in similibus sententiis, apud Hebr. subintelligitur. v. 25 « *Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii* » (cf. 26,1; 27,16; 28,11).

ראש *Vulg.* et *LXX* (τὸ ἄνθος) ad sequentia trahunt; melius *Masor. Chald. Syr.* ad

praecedentia (cf. Cant. 4,14; Ez. 27,22) : *primae qualitatis.* — בֹּר דְּרוֹר est *myrrha sponte fluens* seu *myrrha stacte*, quae cortice arbusti non incisa fluit : hinc *LXX electae, Chald. Syr. purae.* — קִנְּמוֹן בֹּשֶׂם, *cinnamomum aromaticum*, quae vox sane adiicitur, quo genuinum aroma ab aliis quibusdam discernatur, ψευδοκινναμώμῳ et ξυλοκινναμώμῳ. — קָנֶה בֹשֶׂם, *calamus aromaticus*; Ier. 6,20 « calamus bonus »; Is. 43,24; Ez. 27,19; Cant. 4,14 absolute « calamus »; crescebat in Arabia et Syria : Acorus Calamus L. — קִדָּה Ez. 27,19 ex Arabia petebatur : *Vulg. Targ. Syr. cassia*, sed *LXX* ἴρις. *Vulg.* ad Ez. 27,19 *stacte*. — 500 sicli = 7·275 kilogr. — 250 sicli = 3·637 kilogr. — De *hin*, quae mensura est originis aegyptiacae et aequat 6·49 lit., cf. 29,40.

v. 26 « *Et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti* », v. 27 « *mensamque cum vasis suis, candelabrum et utensilia eius, altaria thymiamatis* » v. 28 « *et holocausti, et universam supellectilem, quae ad cultum eorum pertinet* », *et labrum et basin eius* (cf. 40,11). v. 29 « *Sanctificabisque omnia, et erunt sancta sanctorum* », valde sancta (cf. 29,37; 30,10). « *Qui tetigerit ea sanctificabitur* », sanctus erit, nonnisi lotus ad vitam profanam redibit : cf. quae dicebamus ad 29,37. Altare sanctificat victimas, labrum sanctificat aquam etc.; haec vero omnia sanctificantur oleo (*Cai.*); oleum ipsum sanctificatur eo, quod eius compositio cultui divino reservetur. v. 30 « *Aaron et filios eius unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi* ». v. 31 « *Filiis quoque Israel dices : Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras* », reservabitur meo cultui. v. 32 « *Caro hominis* », excepta sacerdotum consecratione, « *non ungetur ex eo, et iuxta compositionem eius non facietis aliud* » : soli pontifici vel sacerdoti licebat unguentum illud componere, et ad solum quidem usum sacrum, « *quia sanctificatum est* », *Hebr. sanctum,* meo usui reservatum, « *et sanctum erit vobis* », aliis usibus non impendendum (*Vat.*). v. 33 « *Homo quicumque tale composuerit* », praeter pontificem seu sacerdotem specialiter deputatum, « *et* », sive a se ipso sive ab alio sive a pontifice compositum, « *dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo* ». *Ps. Ion. alienum* interpretatur non sacerdotem. Sed, cum odiosa sint restringenda, sufficit interpretari non hebraeum. Hebraeus quivis, cui eiusmodi unguentum daretur ab hebraeo vel non hebraeo, lege v. 31 sq. tenebatur illud sanctuario deferre aut certe destruere : erat igitur unguenti sanctitati penes ipsum satis consultum. At si quis hebraeus alieno non hebraeo istud unguentum daret, erat vix non certa unguenti profanatio.

d. De thymiamate Ex. 30,34-38.

Arg. — Eius v. 34-36 compositio traditur, usus profanus v. 37 sq.

prohibetur; usus vero sacer, cum v. 7 sqq. explicatus sit, non repetitur.

נטף, verbotenus *gutta* (Iob 36,27; *Vulg.* ad Eccli. 24,21), quod graece vertitur στακτή : est igitur aliquod aroma, quod ex arbusto guttatim sponte effluit, non vi exprimitur : non myrrha, quae v. 23 audiebat בור דרור. *Ps. Ion.* vertit קטף, *balsamum :* sed an certam sequitur traditionem, an meram vocum consonantiam? — שחלת, *LXX* ὄνυξ uti *Vulg.*, ostracium, unguis odoratus seu blatta byzantina, e qua constant conchae quaedam Maris Rubri et Indici; habet aroma penetrans, atque hodiedum adhibetur pro medicina et suffitione. *Ungulam* vertit *Vulg.* Eccli. 24,21 (15), eundemque sensum habet h. l. *Chald. Syr.* טופרא. E contra *Ps. Ion.* כשת dicitur esse *costus*, arbustum indicum; et *Targ. Hier.* שיבלא כיריא explicatur (ap. Levy), ut sit idem atque אשפיקא נרד, *spica nardea.* — חלבנה, *galbanum*, quod parari dicitur e succo plantae, quae in Syria nascitur et ferula vocatur, neque solum si adhibeatur, suave olet, attamen aliis aromatibus vigorem addit. Apud Aegyptios adhibebatur unguento Mendesio (Plin. 13. 2). Testatur *Kn.*, se thymiama, quale a Moyse describatur, miscuisse et reperisse habere odorem fortem, recreantem et amoenum. Ceterum h. l. additur סמים, ergo galbani species intelligitur suavius olens. — לבנה est *thus*, quod in Arabia potissimum nascitur (Is. 60,6; Ier. 6,20). Adiicitur *purum :* « Autumno legitur ab aestivo partu. Hoc purissimum, candidum. Secunda vindemia est vere, ad eam hieme corticibus incisis. Rufum hoc exit nec comparandum priori » (Plin. 12. 32).

v. 34 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Sume tibi aromata : stacten et onycha, galbanum boni odoris et thus lucidissimum; aequalis ponderis erunt omnia* ». Aegyptii quoque e pluribus substantiis odoriferis thymiama componebant. v. 35 « *Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum* [*diligenter*] *et purum et sanctificatione* [*dignissimum*] ». מבושלה *mixtum* vertunt *LXX Vulg. Targ.:* sed nativa verbi significatio est *salsum* (*Amama*), sal autem omnibus sacrificiis admiscebatur Lev. 2,13. Ergo thymiama debet sale condiri, ab omni aliena substantia esse purum et, uti v. 37 sq. explicatur, sanctum, soli divino cultui reservatum. Debet etiam esse minute contusum v. 36 : « *Cumque in tenuissimum* [*pulverem universa*] *contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama* » ; i. e. erit res sanctissima, cf. 29,37; 30,10. 29. v. 37 « *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino* ». v. 38 « *Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis* ». *LXX Chald. Syr. de populo suo.*

e. De opificibus adhibendis Ex. 31,1-11.

Cap. XXXI v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens* » : v. 2 « *Ecce, vocavi ex nomine* » (Is. 45,3 sq.), nominatim prae ceteris

(*Vat.*; « *Beseleel filium Uri* », — pro אורי *Sam.* h. l. et 35,30; 38,22 חורי — « *filii Hur* », filii Caleb, filii Hesron, filii Phares, filii Iuda (1 Par. 2,3 sqq.; cf. 2,19. 50; 4,1.4), « *de tribu Iuda* ». An hic Hur idem sit cum altero, cf. quae diximus ad 17,10. 12; 24,14. Nomen Beseleel etiam habes 1 Esdr. 10,30; Uri 1 Esdr. 10,24; 3 Reg. 4,19; Hur 2 Esdr. 3,9; 3 Reg. 4,8. v. 3 « *Et implevi eum spiritu Dei* », qui se manifestat « *in sapientia et* » *in* « *intelligentia et* » *in* « *scientia* » — *et* h. l. etiam habent *Hebr. Sam. Chald. Syr.*, planius ignorant *LXX Vulg.* — « *in omni opere* », — priora tria nomina vix distinguuntur, et exprimunt scientiae ambitum non in uno alterove, sed in quolibet artis opere — v. 4 « *ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere* », v. 5 « *marmore et gemmis et diversitate lignorum* ». Sed *Hebr.* : *et in scindendo lapide impletionis* (cf. 25,7), *et in scindendo ligno formationis in omne opus*. Beseleel evidenter est « principalis artifex » (*Cai.*), semper primus et saepe solus recensetur. Videtur tamen immediate et per se opera perfecisse fabri metallorum, ligni et gemmarum, quibus gratuito addunt LXX textilia. Utrum in his excelluerit Ooliab, an hic Beseleelum etiam iuverit in fabri operibus, nescimus. Unus post Beseleel nomine effertur, ceterisque cum illo operariis praeerat. Depingunt haec apud Hebraeos aevum, quo artifices essent aliqui, sed non multi, simile iis medii aevi temporibus, quibus prudens faber erat rarus atque magus fere a vulgo habebatur.

v. 6 « *Dedique ei socium Ooliab, filium Achisamech, de tribu Dan* ». Porro et his duobus viris providi adiutores : « *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta, quae praecepi tibi* » : v. 7 « *tabernaculum foederis et arcam testimonii et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi* », v. 8 « *mensamque et vasa eius, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaria thymiamatis* » v. 9 « *et holocausti et omnia vasa eorum, labrum cum basi sua* », v. 10 « *vestes* [*sanctas*] *in ministerio Aaron sacerdoti et filiis eius, ut fungantur officio suo in sacris* »; v. 11 « *oleum unctionis et thymiama aromatum in sanctuario; omnia, quae praecepi tibi, facient* ».

Hebr. v. 10 : et vestimenta השרד, vestimenta sacra pro Aaron etc. Expressio בגדי השרד, quae h. l. non est quidem indubiae lectionis, 35,19 et 39,1. 41 adscriptum habet לשרת בקדש, unde patet non agi de operimentis tabernaculi, sed de vestibus sacerdotum sacris. Versiones aut vocem שרד circumscribunt, aut vertunt, quasi idem sit שרד atque שרת. Interpretes praeter coniecturas habent nihil.

f. Sabbatum et tabulae, foederis argumenta Ex. 31,12-18.

Cur sequentibus sabbati religio denuo inculcetur, varias varii exco-

gitavere rationes. *Tost.*, *Vat.* putavere, quod Deus praecedentibus indixerit tabernaculum aliaque ad cultum necessaria conficienda, monere h. l. eum, ne artifices sibi fas putarent pium opus sabbatis producere. *Cai.*, nisus etiam v. 13 voce *tantummodo*, seu *profecto* (*sabbatum meum custodite*), censuit illud Deum inculcare, dum reliquae leges ceremoniales obstricturae essent Hebraeos nonnisi post terrae sanctae ingressum, legem sabbati observandam fuisse vel in deserto. Verum duae hae explicationes et effinguntur gratuito, neque satisfaciunt contextui 35,2 sq., ubi Moyses acta cum Deo populo relaturus orditur ab inculcando sabbato : non est haec sane monitio ad artifices directa, neque corollarium variarum legum obligationem definiens. Sabbati lex in cultu mosaico est res omnino primaria. Sabbati sanctitatem Deus in paradiso instituerat, non tamen lege praeceperat, unde factum est, ut gens vix ulla sabbatum observaret. Legi sabbati apud Iudaeos sanciendae praeludebat Deus 16,23; eam instituebat 20,8; inculcabat 23,12 et iterum h. l. Lex sabbati servandi in toto decalogo est sanctissima, decalogus est omnium legum Moysi datarum summarium, ut patet imprimis h. l. datis Moysi v. 18 duabus decem mandatorum tabulis. 20,22-23,19 non sunt nisi quorumdam e decem mandatis ulteriores explicationes, quas tum Deus opportunas vel etiam necessarias esse iudicabat. 25,1-31,12 cultum evolvit, cuius radix et summa sabbati lex in decalogo habetur. Iam 31,18 Deus tabulas Moysi concessurus tamquam foederis documentum a se profectum irrefragabile, v. 13 sqq. inculcat, quodnam obsequii genus e multis, quae praeceptis populo imposuerat, tamquam potissimum foederis argumentum a populo sibi praestari expostulet : est illud sabbati observatio.

v. 12 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 13 « *Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Videte, ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos* ». Verba repetit Ez. 20,12. Sabbati in paradiso sanctificatio dici potuit signum inter Deum omnesque gentes; sabbatum vero lege in Sinai praeceptum signum est inter Deum solumque populum electum : signum est Deum esse Iahve, eoque nomine specialius Israelis Deum; signum est Israelitas specialius pertinere ad Deum, cum sabbati observatione a ceteris gentibus discernantur (*Bonfr.*), a reliquis gentibus esse segregatos (*Sylv.*) eoque nomine sanctificatos. « Quemadmodum enim notae greges et pecora designant, sic leges eximiae in Hebraeorum republica eos segregabant et legislatori adhaerere docebant » (*Theodoret.*). v. 14 « *Custodite sabbatum meum, sanctum est enim vobis* », quia ego pro vobis a reliquis diebus illud segregavi. « *Qui polluerit illud, morte morietur;*

qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui ». Inculcata obligatione, ipsa lex rursum enuntiatur v. 15 : « *Sex diebus facietis opus : in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino : omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur* ». v. 16 « *Custodiant filii Israel sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis : pactum est sempiternum* » v. 17 « *inter me et filios Israel, signumque perpetuum* » : — ac subiungitur prima sabbati instituendi ratio : « *sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, et in septimo die* [*ab opere*] *cessavit* » *et respiravit*. Solemniora haec sunt, quam ut solos artifices attingant.

v. 18 « *Deditque Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei* ». « Cum tam multa locutus sit Deus, duae tantum tabulae dantur Moysi lapideae : nimirum omnia cetera, quae praecipit Deus, ex illis decem praeceptis, quae duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur ; quomodo haec ipsa rursus decem praecepta ex duobus illis, dilectione sc. Dei et proximi, in quibus tota lex pendet et prophetae » (*Aug.*).

B. Populi superstitio et reconciliatio Ex. 32-34.

1. *Iahve simulacro vituli aurei repraesentatus* Ex. 32,1-8.

Arg. — Populus diuturnae morae pertaesus et in seditionem abreptus, ab Aarone divinas sibi imagines confingi postulat, in quibus suam reponat fiduciam. Aaron conflat unum vitulum aureum, simulacrum Iahve, et indicit solemnitatem Iahve, quae sequenti die cum summo tripudio celebrata est. Interim Iahve Moysen ad populum remittens eo ipso animum prodit ad ignoscendum pronum.

Cap. XXXII. Conferenti 24,18 et Deut. 9,11 patet, expletis quadraginta diebus Iahven dimisisse Moysen de monte festine ob populi superstitionem : ergo non diu ante expletos quadraginta dies populus defecit. Eiusmodi defectionum solent esse capita quaedam : capita coniicimus fuisse antiqui ordinis sacerdotes secundum ea, quae in Introd. proponebamus. Movebant illos inveteratae in Moysen invidiae. Acerbe se tulerant 19,24 in laicorum ordinem relegatos, 20,18 sqq. ignoratos, 24,6.10 a sacrificio offerendo divinoque aspectu exclusos. Cur vero misso Aarone non ipsi conflarunt ista simulacra? Erant partes duae, sacerdotes tribus Manasse et levitae contribules Aaronis et Moysis, factiones duae viribus fortasse inter se non ita impares, plurima populi multitudine incerta inter illas fluctuante. Nolebant armis rem dirimere sacerdotes, ne forte a plebeiis levitis iunctis opprimerentur ; clamoribus potius ac minis desiderata exprimere studebant. v. 1 « *Vi-*

dens autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron » — certe « contra voluntatem Aaron » (*Tost.*), licet עַל utique verti etiam possit *ad* (*Mar.*) — « *dixit : Surge, fac nobis deos, qui nos praecedant* ». Sed quo? « In terram promissam », inquit *Ians. :* at, si iam non satis fidebant Iahve, neque terrae promissae desiderio tenebantur. « In Aegyptum », inquit *Theodoret.;* et notat *Proc.,* vitulum aureum fuisse « aegyptiacam superstitionem ». Tamen Moyses postea populo neque renuntiatam terram promissam neque petitam Aegyptum obiectat. Ergo dicendum verius, populum illum morae pertaesum, quod columna non moveretur, illud postulasse, ut e montis Sinai deserto in fertiliora tandem loca educeretur. Veri autem simillimum est, eos mox abdicata omni terrae promissae spe in Aegyptum secessuros fuisse.

An porro illud ab Aarone petentes a *monotheismo* iam defecerant? Negant *Tost., Cai., Men.* aliique, statuentes, licet verbum *praecedant* sit numero plurali, populum tamen unicum *deum* petere : etenim nomen formae pluralis, unicam tamen rem vel personam exprimens, quandoque adnexum habere verbum etiam numero plurali. Responderi potest, populi verba reapse esse ambigua et a diversis potuisse diverso sensu usurpari. Sed efficacior praesto est responsio, voce *deos* illos non expressisse aut numen unum aut numina plura, sed aut simulacrum unum aut simulacra plura, quippe hoc etiam sensu accepto vox anceps manet. Et crediderim equidem desiderasse sat multos simulacra plura, minime definientes apud se an illa deberent esse unius an plurium deorum; desiderasse alios simulacra item plura, sed unius aviti Dei; diversa quippe virtus diversis etiam eiusdem numinis simulacris tribuebatur. Certe non est ratio adstruendi universum populum (cf. 1 Cor. 10,7) in *idololatriam* esse prolapsum, sed erat peccatum imprimis *superstitionis,* quod Deo imagines stricte prohibente putaverint, in imagine aliqua divina inesse posse virtutis quidquam ad se ducendos et protegendos. « *Moysi enim, huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit* » (cf. Act. 7,40). Portentorum in exodo factorum iam non meminerunt (*Cai.*), aut ea magicae cuidam eiusdem Moysis virtuti effecta tribuunt, specialem Dei in Moysen providentiam ignorant.

Infirmae fidei vir Aaron incertusque, quam partem plebs potissimum sequeretur, fucata prudentia omnia confudit. v. 2 « *Dixitque ad eos Aaron* », invitus atque terrore perculsus (*Tost.*) : « *Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me* ». Id virum ficte postulasse, censet *Aug. :* « Difficilia praecipere voluit, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret ». Cf. Matth. 27,17.

« Ut vidit eos nulla ratione adduci posse, postulavit a mulieribus ornamenta aurea, affectum affectui opponens, cupiditatem sc. pecuniae et ornamentorum insano superstitionum amori » (*Theodoret.*). Unde plures coniiciunt, ea mente Aaronem postulasse inaures, quo Hebraeos a proposito deterreret.

Filiorumque ignorant *LXX*. Tamen apud Hebraeos inaures gestasse viros, non utique omnes, suadet circum incolentium nationum consuetudo. Madianitae Iud. 8,24 inaures gestabant; Assyrii iisdem ornati depinguntur; feminae Aegyptiae Novi Regni tempore inaures gestare incipiebant (*Erman* p. 313), ut eas ab Asianis accepisse videantur. Sensus obvius Ex. 35,22 sane is est, viros etiam gestasse inaures.

v. 3 « *Fecitque populus, quae iusserat, deferens inaures ad Aaron* ». v. 4 « *Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio et fecit ex eis vitulum conflatilem* ». חרט, *LXX* interpretatur *scalprum*, γράφις; sed *Syr.* ביזכא, *forma* (cf. *Targ. Hier.* בזופרא); *Chald.* דיבא, cui voci etiam formae significatio tribuebatur (*Levy*); *Ps. Ion.* שוטיבא, quod mantellum vel involucrum dicit, quae etiam ad significationem formae revocari possunt, ut ergo intelligatur forma ex argilla, in quam metallum excandescens immittitur; et cum his videtur consentire *Vulg. opere fusorio*. Sane mirum est, ut in artefacto, quod fusione producatur (*conflatilem*), tamquam instrumentum principale efferatur scalprum, quod nonnisi operi iam fuso adhibetur ad maiorem perfectionem. Vox secus legitur solummodo Is. 8,1, ubi *Vulg. stylus*, *LXX* γράφις, sed *Syr.* et *Ps. Ion. scriptura*, quae significatio a significatione *forma* peti potuit. Omnibus perpensis Vulgatae h. l. versio *opere fusorio*, cui consentire videntur Syr. et Targ., praeferenda est versioni *LXX* γράφις. « *Dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti* ». Similiter Ieroboam 3 Reg. 12,28 sq. constituit unum vitulum aureum in Bethel, et alterum in Dan, dicens : « Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti ». Exodum ex Aegypto beneficium aestimabant, portenta in illa facta non erant obliti, vitulumque habebant imaginem ipsius Iahve : *Ecce Deus tuus, etc.* Neque per se impium erat, ut Deus symbolo vituli, tauri, leonis, aquilae etc. repraesentaretur, similiter atque Cherubim formis quibusdam compositis, Christus forma agni, S. Ioannes apostolus forma aquilae etc. exhibentur. At, quod Deus eiusmodi repraesentationes ob idololatriae periculum proscripsisset, iam sine gravi superstitione illae fingi non poterant, reputante etiam plebe maiorem quamdam ad se ducendos virtutem eiusmodi figmentis inesse. Vitulus ille seu parvus bos non formabatur ad imitationem Apidis Aegyptiorum : Aegyptii quippe non colebant bovis simulacrum, sed vivum bovem; neque Aegyptio numini tribuissent Hebraei, se eductos esse ex Aegypto. Apud

Chananaeos deus Moloch bovis forma repraesentabatur; apud Babylonios et Assyros genii bovis aut leonis corpore, humano capite fingebantur. Cuiusmodi numinis imagines neque in se erant malae aut minus decentes, neque quod crediderim primitus prohibitae.

At, quomodo plebs, quae modo et Iahven et Moysen ignoraverat, eo subito abripitur, ut in vitulo aureo Deum exodi celebret? Exodum quippe, si cui numini effecta tribuenda esset, uni Iahve adscribi posse omnes oppido norant. Verba illa plebi praecinuerat Aaron. Admirare viri calliditatem. Postulaverat is inaures, fortasse illas negatum iri confidens. Liberalissime proferuntur. Nihil animo fractus filius Amram, labentes Iahve res erecturus, media incedere via decernit, « compromissum » experitur, quo superstitionem quidem concedat, monotheismum salvet. Arripit opus, discurrit, iubet : exsurgit forma, accenduntur ignes, tandem forma confracta in omnium oculis relucet vitulus aureus. Ecce Deus tuus, Israel, exclamat Aaron, qui te eduxit de terra Aegypti! Vocem arripit, ingeminat multitudo, et per totum iam campum laudes Iahve laudibus vituli confusae resonant.

Ceterum adverte *LXX dixitque*, et *Syr. eduxit*. Tota quaestio primitus erat solius punctationis, verbaque erant ipsius Aaron et simulacrum erat ipsius Iahve. Punctationem posteriores Hebraei magis pie quam sapienter mutavere, ut Aaronem a suspicione blasphemiae eximerent.

v. 5 « *Quod cum vidisset Aaron* », — quid? omnes illam vocem suam facere, omnes sibi ad tempus esse obsequentes : ideo iudicavit se tuto procedere posse in astuto mentis consilio — « *aedificavit altare coram eo, et [praeconis voce] clamavit dicens : Cras solemnitas Domini est* », solemnitas Iahve. v. 6 « *Surgentesque mane* », i. e. sequenti die, « *obtulerunt holocausta et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere* » epulo sacro, « *et surrexerunt ludere* », qua voce imprimis utique sacri v. 19 chori intelliguntur. Vide Hebraeorum ritum antemosaicum festorum celebrandorum.

Dices, ex his tandem indubie perspici de Moysis rebus desperasse Aaronem. Tamen ne sis ad condemnandum eum virum pronior. Norat ille magnam solemnitatem sine pingui epulo celebrari haud posse. Annon tres mille viri isti v. 28 veluti impotentes concidunt? Pleni erant. Cur se non defendunt? Nudi erant (v. 25), sc. nudati armis. Nudaverat eos quippe Aaron ad solemnitatem vocando : non erat moris, ut armati solemnitatem obirent aut epulo accumberent. Levitae vero v. 26 sq. non erant pleni. Intelligis iam Aaronis consilium (cf. 2 Reg. 13,28) : non erat is neque Iahve neque Moysis immemor, caede sacerdotum decreverat turbarum finem facere. Ni Moyses opportune

de monte rediisset, Aaron tamen cum suis sacerdotes oppressisset. Solemnitatem indixerat, eandem futuram inimicorum funus. Quam belle huic viro aptantur verba Gen. 49,6 sq.! — Dices, haec vix componi posse cum Aaronis laudibus Eccli. 45,7-27, et cum Martyrologio Romano eundem 1. Iulii sanctis accensente. Sed Eccli. 45 viri non mores celebrat, sed pontificiam dignitatem; certe nihil affirmat de viri ante susceptum pontificatum moribus. Martyrologio abunde satisfit, si Aaron integer moribus post susceptum pontificatum fuisse defendatur; neque magis Martyrologium respuit Aaronem astutum primum ac violentum, quam Saulum persecutorem primum ac postea apostolum.

v. 7 « *Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Vade, descende : peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti* ». Vox *vade* imprimis praecipit discessum a Deo : non erat, cur Moyses apud Deum manens novas a Deo leges reciperet, dum populus leges ante traditas transgrediebatur (*Tost.*). Sed *descendere* iubetur Moyses utique ad populum : non ut populum corrigat et convertat, cum v. 10 Deus se non populi conversionem sed interitum in animo habere profiteatur. Ergo aliqua cum *Cai.* in verbis agnoscenda erit « ironia » : descende, et vide populum *tuum,* « h. e. non populum meum » (*Hier.* in Dan. 9,24 sqq.; *M.* 25. 542), quem *eduxisti,* non quem eduxi (*Sylv.*). Quae ironia tanto facilius est admittenda, quod eam illico v. 11 misericordia temperet Deus. v. 8 « *Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem et adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt : Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti* ». Sequentem versum *LXX* ignorant. Qui si retineatur, utique cum *Cai.* dicendum erit, intercessisse aliquam inter praecedentia et sequentia divina effata moram, non qua Moyses nihil dixerit (*Sylv.*), sed qua ferventi oratione Dei misericordiam imploraverit, quare Deus v. 10 : *dimitte me,* inquit (*Ians.*).

2. *Moysis supplicatio prima* Ex. 32,9-14.

Arg. — Deus se populum deleturum, Moysen in gentem magnam esse facturum protestatur. Moyses Dei pro populo patrata magnalia, futurum Aegyptiorum de populi ruina tripudium, patriarcharum promissa demonstrans, ut populus ne deleatur impetrat.

v. 9 « *Rursumque ait Dominus ad Moysen : Cerno quod populus iste durae cervicis sit* » (cf. 33,3; 34,9; Deut. 9,13). Expressionem explicat Is. 48,4 : « durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aerea ». v. 10 « *Dimitte me* », *dimitte deprecationem tuam* (*Chald.*),

cessa precari, « *ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* » (cf. Num. 14,12). Secundum Gen. 17,20; 21,13. 18; 46,3 expressionis sensus est omnino hic, e Moyse gignendam esse gentem magnam : habebatque Moyses reapse iam tum uxorem et filios. Non agitur de Moyse alii genti praeficiendo (*Bonfr.*), neque « pertinet id ad assumptionem gentium » (*Sa*). Verba autem *dimitte me* « sunt verba partim indicantis, quantae apud Deum sint efficaciae orationes, quas sancti seu eius amici ad eum fundunt; partim hortantis ad deprecandum pro populo » (*Sylv.*). « Amico illo alloquio Moysen cohortatur, ne cunctetur Domino supplicari pro delicto populi « (*Proc.*). Cf. Ier. 7,16; 1 Reg. 16,1. Porro *Sam.* h. l. sequentem habet sententiam : *Et in Aaron iratus est Dominus valde ad destruendum eum, et oravit Moyses pro Aarone.* Moyses vero, misso v. 11 Aarone, pro populo intercedit.

v. 11 « *Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum* » magis, quam meum, quem tibi acquisivisti imprimis exodi portentis, « *quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna et in manu robusta?* » Humiliter coram Deo disquirit, an peccatum admissum sufficiens sit ratio repudiandi populi, pro quo tam magna ante effecerit Deus. Et primum argumentum negans petitur ex opprobrio, quod in Deum redundaret ab ethnicis non quibuslibet, sed ab iisdem illis Aegyptiis, qui tam gloriose fuerint sub manu Dei humiliati. v. 12 « *Ne, quaeso, dicant Aegyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus et deleret e terra* ». Sed argumentum illico supplicatione fulcitur : « *Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui* ». Alterum argumentum inde petitur, quod in medio sit causa non viventium modo Hebraeorum, sed defunctorum patriarcharum, quibus factae sint a Deo promissiones : v. 13 « *Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens : Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas coeli; et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro et possidebitis eam semper* ». Hanc promissionem iam inspirante Deo Iacob non de solo universim populo, sed speciatim Gen. 48,19 de filiis Ioseph interpretabatur. Gen. 49 vero non solum universim semen Iacob, sed filii singuli perduraturi esse promittebantur. Ergo totum populum Deus salvis promissionibus delere non poterat, sed comminatio v. 9 Moysen ad intercedendum sollicitat spemque ostendit veniae impetrandae. v. 14 « *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum* », sc. ne deleret illum (*Sylv.*); aliam poenam postea exegit.

3. *Moysis de monte descensus* Ex. 32,15-29.

Arg. — Conspecta populi superstitione Moyses tabulas proiicit, vitulum comminuit, pro sua iudicis auctoritate sontium tria millia interimit, partim in iustam sceleris poenam, partim quo efficacius postea plenam pro populo veniam expostulet, qui, cum omnibus Deus vitam concessisset, hominum tria millia voluntariam veluti expiationem interemisset. Habet quippe favoris postulandi ius ille, qui praeter pacta satisfactionem persolvit ei, quem offenderat.

v. 15 « *Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte* » — etiam Assyriorum plures reperiuntur lateres ex utraque parte scripti. Videntur illae tabulae fuisse non ita magnae, quo facilius a Moyse portarentur. Non dabantur, quo ab omnibus legi possent mandata, cum tabulae essent intra arcam asservandae, sed quo essent tabulae argumentum legis a Deo acceptae et foederis initi. Quomodo mandata decem fuerint in duas tabulas distributa, discussimus p. 189 : quid vero in una, quid in altera eiusdem tabulae parte scriptum fuerit, scrutari otiosum est. Cf. *Calm.* — v. 16 « *et factas opere Dei; scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis* ». Tam tabulae ipsae quam scriptura a Deo erant. v. 17 « *Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen* », ignarus eorum, quae v. 8 Deus dixerat Moysi : « *Ululatus pugnae auditur in castris* ». v. 18 « *Qui respondit : Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam : sed vocem cantantium ego audio* ». Moyses monet Iosuen, voces illas esse veluti alternantes, non autem esse alternantes voces eorum, qui certamine vincerent aut vincerentur.

Lusus sine dubio est aliquis inter קול ענות גבורה, קול ענות חלושה et קול ענות (cf. 17,11. 13). Ut vero Moyses indignatione exardescens « luserit tenui discrimine inter piel et kal » (*Dillm.*), vix est credibile. Ita tamen punctavere ultimam vocem *Masor. Vulg.*, עַנּוֹת. Uti praecedentia duo עַנּוֹת punctavere *Aq.* vertens uti antea καταλεγόντων, *Symm.* nunc vertens κακώσεως, et *LXX* supplens nomen οἴνου. Omnino cum *Sam. Syr.* praeferenda punctatio עֲנוֹת : *vocem abominationum ego audio.*

v. 19 « *Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros; iratusque valde proiecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis* ». Rationem assignat *Theodoret.*, quod existimaverit Moyses populum divina legislatione indignum; *Bonfr.*, quo facti turpitudinem agnoscerent Israelitae : qui sensus, quantumvis pii essent, non dabant Moysi *ius* comminuendi tabulas a Deo conscriptas atque traditas. Nota tabulas a Deo 24,12 concessas esse tamquam documentum pacti

initi inter Deum et populum; populus 24,3 protestatus erat se omnia Dei verba esse facturum, Deus vicissim se tabulas daturum esse promiserat. Ubi populus confecto vitulo aureo suam promissionem revocaverat, decebat divinum quoque pacti documentum destrui. Narrantur iam v. 20 quae Moyses egit cum vitulo, v. 21-24 cum Aaron, v. 25-28 cum seditionis capitibus, v. 29 cum levitis. Hinc non sequitur omnia v. 20 narrata plene effectui esse mandata, antequam v. 21-29 narrata fierent. Probabilius vitulum primum evertit Moyses, dein Aarone breviter interrogato ad caedem adversariorum emisit suos, tandem vitulum comminuit etc. v. 20 « *Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel* ». Factum clarius enuntiatur Deut. 9,21 : « combussi illum igne, et contudi illum comminuens sollicite, usque dum tenue esset pulveris instar, et proieci pulverem eius in torrentem, qui defluebat de monte ». Cum ergo illud *potavit filios Israel* e mente s. scriptoris alium fortasse non habeat sensum, nisi *proiecit in torrentem*, non lubet in eius potationis abditiorem significationem inquirere.

Hinc inferunt aliqui, totum vitulum non fuisse aureum, sed ligneum laminisque aureis superinductum, item v. 4 verti oportere non *opere fusorio*, sed *scalpro*. Quomodo enim, inquiunt, massa, quae tota aurea est, *igne comburi* potest, aut commode *communui instar pulveris?* Difficultatem tamen neque ipsi evadunt. Etenim lignum in cineres redactum non est ulterius *conterendum usque ad pulverem*, sed in minutissimas sponte dilabitur particulas; debent ergo etiam ipsi adstruere, saltem laminas aureas *contritas esse usque ad pulverem*. שרף באש diversum pro subiecta materia effectum nanciscitur; lignum consumit, metalla fundit. Primum igne liquefactum est aurum, inde in plurimos ac tenuissimos canales diffluens refriguit et obduruit, ac facile in minutissimas terebatur particulas.

Specialius redarguitur Aaron, cuius gravior fuerat culpa. v. 21 « *Dixitque ad Aaron : Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* » Iniuriae inflictae is solus excusationem habet, qui iniuriam ipse prior passus est. v. 22 « *Cui ille respondit : Ne indignetur dominus meus; tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum* ». *Sam.* פרוע, vocem conformans voci v. 25; quod vertit *LXX* ὄρμημα. Sed *Hebr. Vulg. Chald. Syr.* ברע : *quod in malo sit ipse*. Cf. expressionem 1 Io. 5,19 : « mundus totus in maligno positus est ». v. 23 « *Dixerunt mihi : Fac nobis deos, qui nos praecedant; huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Aegypti, nescimus quid acciderit* ». v. 24 « *Quibus ego dixi : Quis vestrum habet aurum? Tulerunt et dederunt mihi; et proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus* ». Causam sic agendi sibi affirmat Aaron fuisse non iniuriam aliquam sibi a populo illatam, sed populi malitiam Moysi oppido

notam; cui populo simulacra petenti nihil profuisset obsistere, Iahve beneficia, mandata, foedus in memoriam revocare; non poterat Aaron, quin eius voluntati obsecundaret. Se igitur coactum metuque compulsum egisse excusat Aaron : infirmam utique defensionem, licet malitiam illam v. 9 ipse agnoverit Deus, Aaronis animum parum generosum, quo totam culpam a se in populum devolvere conatur, cf. cum generoso v. 32 Moysis animo.

v. 25 « *Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus* » armis, « *spoliaverat* » — *nudaverat :* eadem vox atque antea — « *enim eum Aaron propter ignominiam sordis et inter hostes nudum constituerat* », v. 26 « *et stans in porta castrorum ait : Si quis est Domini,* [*iungatur*] *mihi* ». Stabat igitur Moyses in porta castrorum, sane ea quae montem proxime respiciebat; ibidem erat vitulus, ibidem Levitae : erat ea profecto pars castrorum, quae tribui Levi erat assignata. Videns igitur Moyses reliquum populum epulis gravem atque inermem, levitas expeditos et proxime adstantes suis tentoriis et armis, iussit hos ad arma concurrere et sontes interimere. *Hebr. : quia nudaverat eum* (populum) *Aaron in susurrum inimicis eorum*. Haec verba produnt rem ab Aarone *consilio* esse actam. *Nudaverat* non alia ratione quam ad solemnitatem vocando, ad quam non accessuri essent armati; sed ea fuerat vocantis mens, ut inermes postmodum obiicerentur *inimicis suis*, i. e. levitis ab Aarone in eos immittendis.

Vocis פרע (*Sam.* פרוע, cf. v. 22) certa est *nudandi* significatio (cf. Lev. 10,6; 13,45; 21,10; Num. 5,18), quam profitentur *Vulg. Symm.* exigitque contextus. Quem non perspicientes alii alias significationes circumspexere. Sc. videtur voci etiam competere significatio *avertere, pervertere :* cf. 2 Par. 28,19; Ex. 5,4; Ez. 24,14; Prov. 1,25; 4,15; 8,33; 13,18; 15,32; 29,18. Ad quam fortasse revocantur *LXX Theod.* διασκεδάννυμι, *dispergere; Aq.* ἀποπετάννυμι, *distendere; Syr. peccare.* Tentando videtur *Chald.* affixisse significationem *segnis esse.* — שבּיע Iob 4,12; 26,14 est *susurrum*, et lectio *Sam.* לשבוצו nos monet ה finale Masoretharum posse etiam punctari pro suffixo masc. *In susurrum, derisionem inimicorum* est significatio non valde praegnans, sed tolerabilis. Sed vocem in duas scidere plures לשם צה, idem statuentes esse צה atque צואה vel צואה, *fimus.* Hinc *Aq.* εἰς ὄνομα ῥύπου, *Vulg. propter ignominiam sordis, Symm.* εἰς κακωνυμίαν, *Chald. Syr. in nomen putidum.* Lectio ceteris longe probabilior est lectio *LXX Theod.* ἐπίχαρμα, ergo לשבחה, quod nomen edicit *festum gaudiosum* Prov. 21,17; 2 Par. 30,23; 2 Esdr. 8,12; 12,27. Ad solemnitatem et epulum vocaverat Aaron illos, ut festum gaudiosum fierent inimicis suis. Vix potuit felicius exprimi astuti viri mens.

« *Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi* ». v. 27 « *Quibus ait : Haec dicit Dominus Deus Israel* », non speciali aliquo mandato Moysi dato, sed loquebatur Moyses ut iudex a Iahve constitutus (*Sylv.*). « *Ponat vir* », i. e. quisque, « *gladium suum super femur suum* », praecingat gladium (*Tost.;* et cf. Iud. 3,16. 21; 2 Reg. 20,8). « *Ite et*

redite de porta usque ad portam per [*medium*] *castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum* ». Feliciter *Vulg.* supplevit vocem *medium :* nam qui ab una porta ad portam oppositam recta transit, transit per medium. Non erant eis (*Cai.*) intranda tabernacula, quod epulantes sub divo rem agerent et fortasse, plerisque iam somni capiendi causa in tentoria digressis, soli immoderatiores simulacrorum cultores festa producerent. Iam tibi fingas id, quod est veri simillimum, disposita tum fuisse castra ea fere ratione, quae Num. 2 describitur, ut medium locum obtinuerit vetus illud tabernaculum, quod circumsederit ea tribus e qua erant veteris ordinis sacerdotes : perspicies, levitas e suis sedibus *per media castra* incedentes, debuisse illico impingere in illos *sacerdotes* laetas vigilias agentes.

v. 28 « *Feceruntque filii Levi iuxta sermonem Moysi, occideruntque in die illa quasi* [*viginti*] *tria millia hominum* ». Reliqui textus omnes ignorant *viginti,* habentque occisorum sola *tria millia.* 1 Cor. 10,8 non respicit hoc factum, sed alterum Num. 21,9. v. 29 « *Et ait Moyses : Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et in fratre suo, ut detur vobis* » *hodie* « *benedictio* ». « Sicut, quando sacerdotes consecrari debent, consecrantur per sanguinem arietum, in quo tinguntur extremitates pollicum pedis dexteri et manus, et extremitates auriculae (29,20), ita vos consecrastis hodie manus vestras in sanguine fratrum vestrorum et filiorum, et istud est sacrificium Dei. Nam sicut victima holocaustorum et sacrificiorum est Deo placens, ita quod isti occiderint peccatores ad mandatum Dei per Moysen, erat Deo acceptabile » (*Tost.*). At perspexere *Cai.*, *Vat.*, verbum *Masor.* punctare imperativo : *Implete manus vestras hodie Domino.* Qui tamen interpretes gratuito adstruunt, proprium horum verborum locum fuisse ante v. 28, eaque illud edicere, interfectionem fratrum fore veluti manuum consecrationem. *Implere manus alicuius* Ex. 28,41; 29,9; Lev. 21,10 significat quidem consecrare in sacerdotem vel pontificem; at levitis h. l. certe non promittitur sacerdotium, quod ipsis nequaquam a Deo destinabatur; et si dicas, illis promitti sacerdotium non ab omnibus, sed a sola Aaronis stirpe obtinendum, an erat ea promissio h. l. enuntianda, quando merito dubitari poterat (cf. 33, 3 sqq.), annon Deus promissiones factas esset revocaturus? Praeterea, non eadem hic atque 28,41 etc. legitur expressio, sed *implere manum suam Domino;* quae expressio 1 Par. 29,5; 2 Par. 13,9; 29,31 significat *dare dona,* et h. l. a *Ps. Ion.* recte quoad sensum vertitur *offerte oblationem vestram.* Parta igitur victoria monentur levitae de sacrificio offerendo non ritu Aaronico, qui nondum erat institutus, sed consueto ritu praemosaico.

Quoniam quisque in filio suo et in fratre suo : constructio est truncata. Referunt plures ad ante narratam caedem, ut sensus sit : Offerte oblationem veluti expiatoriam, quoniam filios et fratres trucidastis. Sed caedem, quae certe potissimum fuit non levitarum, vocari caedem *filiorum et fratrum*, et *unumquemque* dici filium suum interemisse, non est ferendum. Supple : *quoniam quisque pro filio suo et fratre suo — dat;* offertis non solum pro se quisque, sed pro posteris et contribulibus, *et ut detur vobis hodie benedictio.* Videbatur sanguini quantumvis iuste fuso tot Israelitarum aliqua deberi expiatio; quae praestita levitis collatura erat benedictionem pro re pie, fortiter et cum zelo gesta. — כי ignorant *LXX Vulg. Syr. :* tamen maior critica probabilitas est pro voce retinenda. — Ergo e voce *filio* non sequitur (*Bonfr.*), aliquos etiam levitas esse interemptos, quod soli e tribu Levi nati levitarum filii vocari queant. Neque idipsum sequitur e Deut. 33,8 sq., qui locus poetica dictione repetit, quod Ex. 32,27 dicebatur. Qui si literalius accipiatur, concedendum erit aliquas etiam *matres* a levitis esse occisas. At de mulierum caede nihil nos Ex. 32,29 edocet.

Secundum datam explicationem perspicies, quomodo fieri potuerit, ut nullam specialem poenam tulerit Aaron, non sit pontificatu exclusus. Erant reorum tres classes : antiqui ordinis sacerdotes seditionis auctores, qui morte plexi sunt; populus, cui venia concessa; levitae reliquo populo etiam minus sontes, cum quod ficte solum et inviti superstitioni participaverint, tum quod ceteris citius resipuerint. Horum Aaron erat utique eo magis reus, quod vitulum ipse conflaverit, solemnitatem indixerit : verum id egerat consilio restituendorum tandem per fraudes et caedes Iahve sacrorum. Ergo illi ut ceteris liberaliter omnia condonavit Deus. Ceterum cf. quae dicemus de Aaronis poena in nece filiorum Lev. 10.

4. *Moysis supplicatio altera* Ex. 32,30-33,11.

Arg. — Moyses, ut aut plena populo venia concedatur aut ipse e vivis tollatur, flagitat. Utrumque Deus denegat primum, sed mox non rogatus concedit, ut populus per angelum in terram sanctam introducatur; unum denegat, se in medio populi gratiose habitaturum, ideoque in eo sanctuario speciali cultu fore honorandum, quod ipse cap. 25-29 tamquam electam suae praesentiae sedem praemonstraverat. Populus in signum luctus lugubres induit vestes; Moyses, quod tum erat, praemosaicum tabernaculum extra castra transfert in signum ablatae e medio populo divinae praesentiae. Ea vero luctus signa supplicatio simul sunt non verbis sed factis expressa, ut Deus suam populo reddat praesentiam. Deus porro animum ad veniam concedendam pronum eo prodit, quod in tabernaculo extra castra collocato cum Moyse mediante columna conversari non desistat.

v. 30 « *Facto autem altero die* », sc. die post contritum vitulum, « *locutus est Moyses ad populum : Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum* », — *LXX Deum,* veluti si Moyses nomen Dei foederis non ausus sit appellare, postquam populus foedere tam misere neglecto Deo ius dederat revocandi foederis — « *si quomodo qui-*

vero eum deprecari », *Hebr. placare,* « *pro scelere vestro* ». v. 14 Deus concesserat, se populum non esse deleturum; at nequaquam plene placatus fuerat omnemque condonaverat poenam. Revertitur iam Moyses ad Deum in montem; inde 33,4 ad populum redit; sequentibus diebus 33,7-11 cum Deo conversatur in tabernaculo illo antiquiore e castris extra castra translato; ibidem imprimis 33,12-23 plenam a Deo veniam impetrat, iubeturque 34,2 sequenti mane redire non ad tabernaculum, sed in montem, in quo 34,28 quadraginta cum Deo dies totidemque noctes perseverat. Textus Deut. 9,18. 25; 10,10 rem breviario commemorantes totum reconciliationis opus intra quadraginta illos dies concludunt. Potuit tamen etiam fieri, ut Ex. 32,30-34,4 acta etiam intra eosdem illos quadraginta dies evenerint, non enim nimis arcte accipienda est vox *ibi* 34,28. v. 31 « *Reversusque ad Dominum ait : Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam* », — *Hebr. : Et nunc, si dimittis peccatum eorum; Sam.* שׁ, *dimitte;* cf. *LXX.* Si dimittis, res bene habet, nihilque est quod addam — v. 32 « *aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* ». v. 33 « *Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo* ».

Agitur de libro aliquo, e quo nomina quorumdam delentur : ergo non est liber praedestinatorum (*Tost., Vat.*), e quo nulla delentur nomina. Monetque *Bonfr.*, impiam futuram fuisse precationem : Exime me a praedestinatorum numero. Neque iuvat cum *Aug.* affirmare, « securum » hoc Moysen dixisse, quod sciret Deum se non esse deleturum : etiam sic accepta precatio impia erat atque irreverens. Quare censuere alii agi de libro vitae : *Hier.* Epist. 121 ad Algas. cap. 9 (*M.* 22. 1028); *Greg. M.* Moral. X. 6. 9 (*M.* 75. 924). « Deleto hoc populo nolo amplius vivere » (*Est.;* et cf. Num. 11,15). Hoc tamen mortis desiderium alias non enuntiatur imagine libri. Neque verum est, omnes peccatores praemature interimi; neque probari potest, omnes, qui tunc peccaverint cultu vituli aurei, praemature e vita cessisse. Melius *Men. :* Dele me « de numero eorum, quos amas, quibus faves »; *Tir. :* « de albo amicorum tuorum ». « Exhibet Deum tamquam principem, qui servos suos omnes, milites, amicos habet in censu descriptos » (*Calm.*). Monetque *Hier.* l. c., « eundem esse Moysis et Pauli erga creditum sibi gregem affectum », dicente S. Paulo Rom. 9,3 : « Optabam enim ego ipse, anathema esse a Christo pro fratribus meis ». — Ceterum metaphora a *libro* petita (cf. 17,14) in colloquio cum Deo fere suggerit, Hebraeos non solum fuisse tum gnaros apud alias gentes, v. g. Aegyptios, reperiri libros, sed ipsos etiam aliquos iam libros scriptos habuisse, cum Moyses vix credendus sit metaphoram petiturus fuisse a re plane extranea. Estque illud tanto similius veri, cum sciamus, plures eo aevo in Palaestina et Syria urbis praefectos frequens cum Pharaonibus habuisse literarum commercium.

v. 34 « *Tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi; angelus meus praecedet te* ». Promittit adventum in terram sanctam, duce angelo (cf. 33,2); poenam vero non omnem condonat : « *Ego au-*

tem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum ». Quando ille *dies* futurus sit, non dicitur explicite; quare *Bonfr.* interpretatur tempus indefinite : « Cum me denuo aliis peccatis ad ultionem sumendam provocaverint, tunc et simul hoc peccatum cum aliis puniam ». Vel simplicius, omissa futurorum peccatorum mentione : puniam hoc eorum peccatum tempore, quod mihi placuerit. v. 35 « *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron* ».

Textus 32,34-33.1 est perquam impeditus. Iubetur 32,34 Moyses *educere* populum, at illico v. 35 infligitur plaga, quae profectionem debuit retardare; quae fuerit ea plaga reticetur, cum tamen altera 32,28 plaga omnino distincte fuerit narrata. Praeterea 33,1 sq. non est nisi repetitio 32,34^{a} dictorum, nisi quod 33,3 legatur illud, quod 32,34 nullo nomine fuerat omittendum : ego non ascendam tecum. Reapse, si advertas 32,34^{a} non sensu tantum, sed ipsis verbis illud compendio edicere, quod 33,1. 2^{a} habet. facile concedes alterutrum textum alterius textus esse repetitionem, quae margini primum adscripta in sacram inde narrationem irrepserit loco non suo. Locus porro eius sententiae proprius non est 32,34^{a}, ubi ea nativum inter v. 33 et 34^{b} contextum perrumpit, sed est initio cap. 33. Quo admisso habetur contextus hic omnino perspicuus. Postquam 32,10 expresserat Deus consilium delendi totius populi, Moysis vero posteritatis multiplicandae in gentem, quae omnium promissionum esset haeres, Moyses pro populo supplicans v. 11-14 illud a Deo obtinet, ut ab interimendo populo abstineat. v. 30 sq. redit ad supplicationes Moyses, ut plenam Deus veniam concedat, ut aut Moysen ipsum deleat de libro suo aut delictum populo condonet omnino. Quam petitionem Deus v. 33. 34^{b} denegat. At mox 33,1 non rogatus, non enim dicitur ibi Moyses prior aliquid Deum rogasse, sed sponte Deus Moysen esse allocutus, eam prioris sententiae mitigationem concedit, ut angelo duce in terram promissam introducatur populus, sola gratiosa Dei in medio populi sui habitatio revocetur, ideoque item sanctuarium Ex. 25-31 praemonstratum, quod futurum fuerat Iahve habitaculum. Rediens tandem ad supplicationes Moyses 34,9 sqq. etiam hanc divinam cohabitationem recuperat. — Difficultatem adhuc facit 32,35, qui versus reapse videtur esse additus a scriba aliquo, qui v. 34^{b} interpretatus de speciali aliqua plaga a Deo infligenda, mirabatur eam plagam nusquam describi eamque generaliori usus phrasi supplevit.

Cap. XXXIII v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Vade, ascende de loco isto, tu et populus tuus* », — pronomen possessivum (cf. 32,7) ignorant *Hebr. Sam. Chald.*; cf. *Aug.* — « *quem eduxisti de terra Aegypti, in terram, quam iuravi Abraham, Isaac et Iacob dicens : Semini tuo dabo eam* ». v. 2 « *Et mittam praecursorem tui* » — *Hebr. : ante faciem tuam* — « *angelum, ut* » — verte *et* — « *eiiciam Chananaeum et Amorrhaeum et Hethaeum et Pherezaeum et Hevaeum et Iebusaeum* », v. 3 « [*et intres*] *in terram fluentem lacte et melle* », cf. 3,8. 17; 13,5. « *Non enim ascendam tecum, quia populus durae cervicis es, ne forte disperdam te in via* ». Recte *Ps. Ion., Rup., Cai., Bonfr.* illud *Non ascendam in medio tui* connectunt cum 29,42 sqq., ubi Deus tam solemniter promiserat, habitaturum se *in medio*

Israelis in tabernaculo foederis. Concedit ergo Deus populo praesentiam angeli, columna nubis variisque miraculis manifestandam usque ad tempus ingressus in terram sanctam; at revocat perpetuam illam promissam praesentiam, et peculiarem cultum a gentium religionibus toto coelo distinctum. Angeli praesentia a Dei cum populo habitatione eo certe differt, 1) quod illa efferatur ut temporanea, duratura usque ad plene subactam terram promissam, haec vero futura sit in V. T. perpetua; 2) quod angelus *ante faciem* Hebraeorum incedat, dum habitatio futura sit *in medio* eorum; 3) quod angelus ante faciem populi incedens certe cum illo non conversetur *facie ad faciem*, dum Deus in medio populi habitans utique cum illo intime et amice sit conversaturus (cf. 29,42 sqq.). Rationem porro, non unicam quidem, cur non in medio populi ascensurus sit, eam effert Deus : *ne forte disperdam te in via*. Sanctius quid (*Tost.*) futura erat illa Dei in medio populo habitatio, quam merus angeli ante faciem incessus; severius punienda delicta ante faciem Dei inhabitantis, quam post tergum angeli praeeuntis commissa. Ceterum non *negat* Deus, forte se populo terram sanctam ingresso aliquando largiturum esse gratiosam suam inhabitationem, atque ita Moysen ad preces, populum ad poenitentiae opera sollicitat, quo gratia fortasse differenda tantummodo, illico concedatur. Haud mirum, ad Dei verba summo moerore affectum esse populum : v. 4 « *Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit et nullus* [*ex more*] *indutus est cultu suo* ». *LXX : luxerunt in vestibus lugubribus.* v. 5 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel : Populus durae cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te* ». Bene *Vat.* sententiam construit conditionate : si *momento uno* (*Hebr.*), i. e. si vel tantillum ascendam in medio tui, praesens in tabernaculo, aliquo tuo delicto, ut te deleam, compellar. « *Iam nunc depone ornatum tuum, ut* » « ex magnitudine vel parvitate poenitentiae » (*Ians.*) « *sciam, quid faciam tibi* », « decernam, gravemne an levem poenam infligere debeam (*Men.*). *LXX : et monstrabo tibi, quid faciam tibi.* v. 6 « *Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a monte Horeb* ».

Admirationem facit, v. 5 illud faciendum praescribi, quod v. 4 iam sponte factum esse narrabatur. Expressio *momento uno* non satis consonat expressioni *ascendam in medio tui*, quae ad permanentem in tabernaculo foederis praesentiam refertur. Ubi *LXX* omnino aliud legunt : *Videte, ne aliam plagam inducam ego super vos, et deleam vos. Iam nunc deponite etc.* v. 6 repetit v. 4 dicta, et expressionis *a monte Horeb* nulla sufficiens affertur explicatio. Hinc corrupti textus orta est suspicio. Aliqui versuum ordinem mutatum censent, et v. 5 praeponendum versui 4. Cum plures v. 3 sq. expressiones verbotenus fere repetantur v. 5, fieri potest, ut idem textus duplici forma ad nos devenerit, v. 3 sq. et v. 5 sq., utque eadem res modo sponte ab Hebraeis, modo iubente Deo facta esse narretur.

v. 7 sqq. non agit de tabernaculo, quod Moyses et familia incolebant (τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, *LXX*; item *Syr.*); non agit de tabernaculo cap. 25 sqq. descripto, illud quippe nonnisi serius constructum est, non vero hoc interdicti, si ita fas sit loqui, tempore. Satis communiter statuunt interpretes catholici, ante pretiosum illud tabernaculum Moysi in monte Sinai praemonstratum exstitisse apud Hebraeos tabernaculum aliud, quod illo postmodum constructo cessaverit (*Tost.*), quo se homines ad consulendum et fortasse etiam ad colendum Deum reciperent. Confertque *Tost.* cum iis, quae v. 7 de quaestionem habentibus traduntur, ea quae cap. 18 de Moyse quaestiones solvente narrabantur, censetque has Moysen quaestiones prope idem tabernaculum solvisse. Nulla est ratio supponendi, in eo tabernaculo fuisse aliquid arcae correspondens; et omnino credenda est in illo non fuisse ulla imago numinis ficta. Id quippe a patriarchis traditum accepisse videntur Hebraei, ut nulla imagine numen venerarentur. Hunc sine imagine cultum itemque sabbati religionem, a maioribus usque servata, Deus per Moysen *mandatis* sancivit, dum reliqua decalogi mandata in ipsa naturae lege continentur.

v. 7 « *Moyses quoque tollens tabernaculum* », quod ab ipso primum constructum esse nulla est ratio cum *Tost.*, *Sylv.* affirmandi, « *tetendit extra castra procul* ». Antea intra castra fuerat; nunc, declarante Deo v. 3 se nolle habitare in medio populi, instar excommunicationis (*Tost.*, *Ians.*) seu interdicti tabernaculum illud e castris removetur. « *Vocavitque nomen eius tabernaculum foederis* », seu verius *conventus*, imprimis sane quod illuc convenirent habentes quaestionem. Nomen a priore illo tabernaculo transiit in posterius a Moyse confectum (*Bonfr.*). Gratuito autem infert *Tost.*, nunc primum tabernaculo illud nomen esse inditum : potest enim, uti alias saepe, verbum verti *vocarit aliquis*, *vocabatur*. Scribuntur autem verba hebraica forma actionis imperfectae, quia id, quod tum fieri consueverit, refertur. Intellige igitur *foedus* cum Abraham vel etiam cum Noe factum. « *Et omnis populus, qui habebat aliquam quaestionem, egrediebatur ad tabernaculum foederis extra castra* ». v. 8 « *Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium* ». v. 9 « *Ingresso autem illo tabernaculum foederis, descendebat columna nubis* » (13,21 sq.) « *et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse* », v. 10 « *cernentibus universis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi et adorabant per fores* » — in foribus — « *tabernaculorum suorum* ». v. 11 « *Loquebatur autem Dominus ad Moyen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum* », « familiariter » (*Vat.*). Expressionis (cf. 1 Cor. 13,

12) sensum h. l. non eum esse, vidisse Moysen faciem Dei, e v. 13 indubium est : sed loquebatur « praesens praesenti » (*Ians.*), nullo intercedente legato et, sicut amici colloquuntur in loco obscuro (*Cai.*). « *Cumque ille reverteretur in castra, minister eius Iosue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo* », quod non decebat relinqui sine custode.

5. *Moysis supplicatio tertia* Ex. 33,12-34,35.

Moyses ad supplicationes rediens, primum ut Deus in medio populo permanenter habitet, cultu speciali honorandus impetrat 33,12-17. Triplici impetrato favore audacior factus efflagitat privilegium nemini mortalium unquam concessum contuendae divinae faciei, ratus eo obtento nihil iam fore, quod a Deo populi delictis aliquando exasperato obtenturus non sit. Divinam faciem salva, quam 32,10 Moysi conservandam affirmaverat, vita conspici haud posse affirmat Deus, posteriora contuenda promittit 33,18-23. Tandem Moyses cap. 34 foedus cum Deo instaurat.

a. Moyses, ut Deus in medio populi habitet et ita populum in plenam recipiat gratiam, impetrat Ex. 33,12-17.

Arg. — Redit Moyses, « dum quadam vice cum Deo esset » (*Sylv.*), loquereturque facie ad faciem, i. e. familiariter, ad sermonem illum pessimum, quem locutus erat Dominus 32,34 (*Tost.*), et distinctius etiam 33,1-3, concessurum se Hebraeis angelum eos praecedentem, sed non ipsum in medio eorum esse habitaturum. Cuius decreti partem alteram revocari percupiens causatur Moyses, nisi Deus in medio populo praesens adsit, defuturum sibi quem de agendis consulat; angelum quippe non consulebat Moyses, sed itineris ducem sequebatur. Petita concedit Deus.

Narrationem obscuram reddit et Moysis sermo circumlocutionibus desiderata obvolvens et textus in quibusdam corruptus. Primum v. 12 habetur את אשר תשלח עמי, ubi versiones punctantes cum *Masor.* עִמִּי, non poterant verba (cf. 23,20) nisi ad *angelum* referre. Verum intelligi angelum contextus prohibet. De angelo actum est praecedente pericope, in universo autem v. 13-23 contextu de angelo nequaquam agitur. Quodsi cum *Men.* dicas, requiri individui, qui mittendus sit, angeli nomen, et alienum quid in textum infers, et angeli tandem nomen minime edoceris. Id, quod v. 12 sibi non indicari conqueritur Moyses, aut idem est aut certe connexum cum eo, quod idem indicari rogat v. 13 : at istud rursum nihil habet cum angelo commune. Praeterea versum 13 obscuravit *Vulg.* vertens *faciem tuam*, ubi *Masor. Syr. Chald.* habent דרכך *viam tuam*, *Sam.* דרכיך *vias tuas*, quorum critice omnino praevalet auctoritas. *LXX* כבדך facile potuit e דרכך intuitu v. 18 deformari;

Vulg., non aliam atque LXX lectionem prae oculis habens, perperam textum se; cundum v. 20 exposuit : *faciem*. Sed v. 13 nondum agitur de *facie* divina contuendaneque v. 14 sq., ubi פנים vertendum est *persona*, ergo *ego ipse ibo*, praecise illud, quod hac supplicatione Moyses efflagitat. De *facie* seu *gloria* primus agit v. 18.

Tandem narratio v. 14-17 est mire confusa. Antequam Moyses expresse petiit, ut Deus cum Hebraeis eat (implicite id habet v. 13), Deus v. 14 idem petitum concedit : Ego ipse ibo, et requiem dabo tibi. Quo concesso, verba v. 14 sq., quae procedunt e suppositione nondum concessi eius petiti, lectorem offendunt. Praeterea duplici v. 14. 17 effato idem petitum conceditur. Quibus perpensis crediderim, v. 14-17 duas eiusdem textus recensiones confundi. Versum 13 commode excipiunt verba v. 15 sq., dum v. 14 et v. 17 videntur esse eiusdem divini responsi aut fragmenta duo aut duae recensiones. Sensus planus : Deus petita concedit, sc. praeter angelum praecedentem se ipsum iturum et habitaturum esse in medio populi sui.

v. 12 « *Dixit autem Moyses ad Dominum* » : *Vide, tu* « *praecipis, ut educam populum tuum istum, et non indicas mihi, quem missurus es mecum* », — Puncta עִבְרִי : *et non indicas mihi, quo missurus sis populum meum*. Deus inde a vituli aurei superstitione Israelem nunquam vocaverat populum *suum*, sed populum *tuum* (Moysis 32,7), populum *istum* (32,34), populum *quem eduxisti* (33,1); simul tamen maximum in Moysen profitebatur affectum. Huic agendi rationi Moyses iam suum superstruit argumentum : Singularem in me profiteris affectum, sed non provides populo *meo*. Est hoc argumentum ad hominem. Dices, in sententia, sicuti nos eam construimus, desiderari adverbium locale שׁבה. Verum eiusmodi adverbium in sententiis localibus quandoque omittitur. Gen. 30,38 : בשקתות המים אשר תבאן הצאן, in canalibus aquarum, quo venire consueverant oves. Cf. 3 Reg. 12,2 et *V. Baumann :* Hebräische Relativsätze, Leipzig 1894 p. 33 sq. Praeterea sententia nostra non est proprie localis; non est de motu locali, sed morali. Locum, quo deducendus esset populus, sexcenties indicaverat Dominus, Chanaanitiden (cf. v. 2). Sed *id, quo Iahve mittit populum* est *via sua* v. 13, constans cum legibus universae genti datis, tum imprimis particularibus dubiorum solutionibus a Deo, non ab angelo per Moysen dandis. Hanc viam indicaverat Moysi Deus 18,20; hanc viam expetebant, quotquot 33,7 quaestionem aliquam habentes egrediebantur ad tabernaculum foederis. — « [*praesertim*] *cum dixeris : novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me* ». « Nominatim te cognosco, et carum prae ceteris » — *LXX* παρὰ πάντας — « habeo » (*Bonfr.*). « Te familiariter utor : nam, qui e solo aspectu sunt noti, ii minus familiares exsistunt » (*Mar.*). Locutio est anthropomorphica. Verba (cf. v. 17) aut eadem aut synonyma locutum aliquando esse Deum ad Moysen, e v. 12 indubie docemur, licet ea antea non sint descripta : non omnia sc. Dei effata scriptis mandabantur. Duplex

profertur ratio, cur Deum deceat Moysi non denegare constans suae praesentiae oraculum : prima, quod eum deceat ita honorari, quem Deus sui populi ducem constituerit; altera, quod idem aequum sit concedere amico omnium familiarissimo, quemque Deus disertis verbis affirmaverit sibi esse apprime carum et gratiosum. v. 13 « *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo* », quod tu affirmas, « *ostende mihi faciem tuam* », — corrige *viam tuam* (v. s.) : tribue mihi oracula tua — « *ut sciam te* », viam tuam, voluntatem tuam, « *et inveniam gratiam ante oculos tuos* », i. e. experimento, non sola v. 12 assertione edocear, me tibi esse carum. *Et* « *respice populum tuum, gentem hanc* ». *Hebr. : Et vide, quoniam populus tuus gens haec est*, idque videns utique *respice*. Ergo, si revera carus tibi sum, duo fac, quae te rogo : et mihi tua oracula continua et recordare, gentem hanc esse populum tuum, non meum tantum, rem tuam abiecto hoc populo te repudiare.

His tandem rationibus placatur Deus. v. 14 « *Dixitque Dominus : Facies mea praecedet te* », — verte : *persona mea* ibit, *ego ipse* ibo, non solus angelus — « *et requiem dabo tibi* », ipse te in terram promissam introducens (Deut. 3,20 ; Ios. 1,13. 15 ; 22,4). De v. 15 sq. versui 14 probabilius anteponendo dicebamus supra. Difficultatem sentiens *Syr.* v. 14 pro פני ילכו legebat לפני לך (cf. Gen. 17,1), sed falso. v. 15 « *Et ait Moyses : Si non tu ipse praecedas* », — h. l. recte vertit Vulg. vocem פניך — « *ne educas nos* » — *Sam. LXX me* — « *de loco isto* ». Potius hic relinque in deserto, quam sine te procedere iubeas. v. 16 « *In quo enim scire* », facto experiri, « *poterimus, ego et populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo* », quod tu v. 12 verbis protestabare, « *nisi ambulaveris nobiscum, ut* » — vel potius *et* — « *glorificemur* », *ego et populus tuus*, « *ab omnibus populis* », i. e. *inter* illos, « *qui habitant super terram* ». Sequitur altera sententia (v. s.), qua Deus Moysi assentitur. v. 17 « *Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud, quod locutus es, faciam* » ; in medio populi habitabo ; « *invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine* ». Cf. v. 12.

b. Moysi ulterius petenti, ut faciem Dei contueri permittatur, Deus a tergo conspici permittitur Ex. 33,18-23.

Arg. — Moyses firmissimum obtentae gratiae et obtinendae, si postmodum necesse fuerit, veniae pignus petit, ut Dei faciem seu gloriam contueri permittatur. Uti Elias 3 Reg. 19,9 sqq. solum Dei tergum contueri permittitur. Qui duo viri ante reliquos antiquiores sanctos ad

faciem Domini servatoris transfiguratam in monte Thabor contuendam fuere admissi.

Petitionem illud fortasse Moysis menti suggessit, quod cum Deo conversaretur *facie ad faciem*, quodque Deus promisisset, *faciem suam* i. e. se ipsum cum Moyse esse incessurum. Hinc inauditum divinae faciei contuendae favorem a Deo precibus extorqueri posse suspicatus est. *Facies* opponitur v. 23 *posterioribus* : ergo intelligitur vera facies. Haec eadem dicitur *gloria* (cf. v. 18 et 20) : sc. Deus a facie visus suam contuendam praebet gloriam; non item, si a tergo conspiciatur. « Non est enim aliqua pars corporis, per quam homo distincte cognoscatur, sicut per faciem » (*Tost.*). v. 22 sq. omnino produnt intelligi faciem et tergum apparitionis cuiusdam divinae sub forma humana, qua proxime sensus percellebantur, at iis mediantibus sine dubio anima etiam rapiebatur ad divinam contuendam et amandam excellentiam. Igitur petitionis sensus non est : « Demonstra te mihi laetum », sed potius : « Ostende mihi te ipsum, sicut cognoscibilis a me es » (*Tost.*).

v. 18 « *Qui ait : Ostende mihi gloriam* », i. e. faciem (cf. 20), « *tuam* ». Deus se pro Moyse, quidquid fieri possit, facturum esse asseverat et, quid gratiae concedere possit et concessurus sit, v. 19. 20. 21 triplici *et dixit* solemniter annuntiat. v. 19 : « *Respondit : Ego ostendam omne bonum* » — *meum* reliqui omnes habent — « *tibi* ». Deus eam sui sensibilem repraesentationem producet, quae bonitatem eius non ex aliqua parte tantum, sed, quantum fieri possit, totam exhibeat : at eius repraesentationis Moyses non faciem, sed posteriora tantum aspiciet. *Hebr. : Ego transire faciam omne bonum meum coram te :* 34,6 reapse Deus *transit* coram Moyse. Conceditur videri Deus non a facie sed a tergo, neque longiori tempore, sed in transitu tantum (*Cai.*). Sensum vere etiam reddit *LXX : Ego transibo ante te gloria mea.* « *Et vocabo in nomine* » — *meo* soli adscribunt *LXX Syr.* — « *Domini coram te* ». Sensus verborum obvius est, Deum certiorem facturum esse Moysen proxime futurae suae visionis, clamantem : Iahve coram te adest (*Sa*). Tamen post *Aug.* plures censuere *vocabo* h. l. idem sonare, atque « faciam te invocare » ; unde fortasse originem duxit lectio *vocabor* pro *vocabo*. At prior versio omnino praeferenda. « *Et miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit* ». Cf. Rom. 9,15. Formula haec proxime exprimit Dei libertatem in seligendis iis, quibus gratias suas conferat; mediate exprimit Dei libertatem in mensura etiam gratiae determinanda. Ea igitur h. l. formula affirmat Deus, se Moysi favorem esse collaturum non solum grandem, nam grande quid generalis haec formula sonat, sed eundem omnino gratuitum, cuius ne post tam assiduas quidem preces intimamque cum Deo familiaritatem ullum Moysi sit ius. Illico autem explicat, eum favorem ad faciei visionem non pertingere : v. 20 « [*Rursumque*] *ait : Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet* » vita corporali

(*Cai.*). Quo idem favor consistat, positive tandem explicat v. 21 : « *Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me* », propius loco, unde ad te loquor : videtur enim, uti 3,5, Deus eousque non proximum Moysi ad se accessum permisisse. « *Et stabis supra petram* ». v. 22 « *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae* », ne turbine abripiaris, « *et* [*protegam*] *dextera mea, donec transeam* », ne videns faciem meam consumaris. v. 23 « *Tollamque manum meam* », postquam transiero, « *et videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non* [*poteris*] ».

Cum ergo Moysi non concedatur videre faciem Dei, certe non *vidit* divinam essentiam (*Aug.* De Trin. II. 15 sqq.; *M.* 42. 861 sqq.), quae est perfectissima Dei visio. At idem S. Doctor (cf. etiam De Genesi ad lit. XII. 27; *M.* 34. 477 et Epist. 147, al. 112 ad Paulinam cap. 8; *M.* 33. 605) sentiebat, Moysen *concupivisse* divinae essentiae visionem, nisus imprimis verbis v. 11, Moysen iam ante loqui consuevisse cum Deo « facie ad faciem ». Clamat autem totus contextus, posse aliquem loqui cum alio facie ad faciem, neque tamen eius faciem videre. Deus Moysi apparere consueverat forma aliqua sensibili, voce humanae vocis simili loquens audiebatur, tamen corpoream formam illi non, aut certe non totam exhibuerat, transibat (v. 19; 34, 6) turbinis instar, nube veluti obvolutus. Moyses petiit clarum aspectum eius formae corporeae, quam in nube latere et voce loqui supponebat, « excellentissimae formae corporeae, qua apparere possit » Deus (*Bonfr.*); aspectum non quemlibet, sed imprimis faciei. Deus id negat fieri posse, non quidem absolute, sed secundum legem universalem a se pro V. T. statutam. Deus, ad superstitionem et idololatriam praecludendam, sapienter statuerat nullam numinis effigiem in V. T. esse permittendam. Quam legem populus erecto vitulo aureo fuerat transgressus. Eandem rursus Deus efficacissime inculcavit, ne Moysi quidem familiarissimo amico concedens aspectum sui in forma aliqua sensibili.

c. Moyses cum Deo foedus instaurat Ex. 34.

Arg. — Monetur Moyses, ut sequenti mane cum novis tabulis montem conscendat solus v. 1-4. Dei adventum persentiens invocato Iahve nomine se munit v. 5; Deus vero se Iahven esse, foederis deum, inclamat v. 6 sq. Moyse, ut Deus concessam ante veniam solemniter confirmet, supplicante v. 8 sq., Deus pactum confirmat, quo ipse populi protectionem in se suscipit et vicissim mandatorum observationem exigit v. 10 sq. Inculcat v. 12-26 potissima in Deum officia, ne dii alieni adorentur, ne dii conflatiles fabricentur, ut festa et sabbata observentur. Moyses post quadraginta dies ad populum revertitur radiante facie v. 27-35.

Cap. XXXIV v. 1 « *Ac deinceps* » : — *Hebr. : et dixit Dominus ad Moysen;* e contra 33,19. 20. 21 : *et dixit*. Prolixiore formula novum narrationis caput incipit, fortasse etiam Deus haec non immediate post 33,23 prolocutus est — « *Praecide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti* ». At v. 27 sq. Moyses et scribere iubetur et scribit. Ad quae asserta componenda, variae et ingeniosae excogitatae sunt rationes. Simplicissima est, ut supponas voci וכתבתי literam iod accrevisse scribae cuiusdam incuria, et ob memoriam textus 32,16. Ergo priores tabulae excisae et inscriptae erant opere Dei, posteriores opere Moysis, monumentum perpetuum divini in superstitionem odii. Simul Deus secundo concedens tabulas manifestat, se foederi ante inito plene adhaerere, et tabernaculum et reliqua, qualia cap. 25-31 descripserat, confici velle (*Cai.*). v. 2 « *Esto paratus mane, ut ascendas statim* » — *Hebr. mane* — « *in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis* ». לי potius accipe ut dativum ethicum (*LXX* μοί), non vero vertas *mecum* vel *coram me* (*Chald.*). Iubetur Moyses ibi opperiri Deum. Porro hoc cum Deo inde a 33,12 colloquium habebatur in tabernaculo extra castra 33,7 constituto. fortasse mane, quo Moysi sufficiens tempus relinquebatur, ut usque ad sequens mane, nam istud sensu obvio intellectus v. 2 respicit, tabulas illas non ita magnas excideret. v. 3 « *Nullus ascendat tecum, nec videatur quisquam per totum montem; boves quoque et oves non pascantur e contra* ». In foedere restituendo eadem fere observantur, quae 19,12 sqq. in foedere primum instituendo observata fuerant.

Iussa exsequitur Moyses v. 4 : « *Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant, et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut praeceperat ei Dominus, portans secum tabulas* ». v. 5 « *Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit* [*Moyses*] *cum eo, invocans nomen Domini* ». Subiectum verbi *stetit* recte supplevit *Vulg.*, sc. *Moyses;* impletur quippe, quod 33,21 indixerat Deus : « stabis supra petram ». Idem subiectum adstruendum est sequentis verbi *vocavit :* sc. Moyses se munivit invocato nomine Iahve. v. 6 « *Quo transeunte coram eo, ait* » : — subiectum verbi *transeunte* exprimit *Hebr.*, sc. *Iahve;* sequentis verbi *ait* subiectum *Vulg.* rursum supplet Moysen. Sed interpretes communiter subiectum retinent *Deum*. Non apparet ratio mutandi subiecti. Impletur, quod 33,19 edixerat Deus, se « vocaturum in nomine Domini ». Ipsissima verba v. 6 sq. repetuntur Num. 14,17 sq. tamquam a Deo pridem prolata. Tandem, Moysis verba cum v. 9 subiiciantur, probabilius videtur v. 6 sq. non esse Moysis. Igitur primum suam essentiam proclamat Deus tribus vocibus « *Dominator Domine*

Deus » seu *Iahve, Iahve, El*, ingeminans nomen, quo peculiaris est Israelis Deus. Dein uno ἐν διὰ δυοῖν enuntiat eam perfectionem, quae in hac foederis instauratione maxime emicat : « *misericors et clemens* ». Altero ἐν διὰ δυοῖν eiusdem perdurantiam extollit : « *patiens* », seu verius *longanimis*, « *et multae miserationis* », quae perfectio imprimis exercetur quoad minus gratos pro miserationibus antea acceptis. Adiicitur « *ac verax* »; sed אמת potissimum dicit veracitatem quoad promissa (*Sylv.*), neque minus quoad minas, ergo *fidelis*. Sicuti *Vulg.*, iungunt etiam *LXX*. E contra *Chald. Syr.*, iungentes *multae miserationis et fidelitatis*, alterum ἐν διὰ δυοῖν dissolvunt, et a voce אמת omnem ad minas respectum excludunt, quem tamen v. 7 suggerit. Quomodo se exserit illa misericordia fidelitate temperata? Id declaratur verbis fere iisdem atque 20,5 sq., in partem tam positivam quam negativam. v. 7 « *Qui custodis* » — verte *custodiens* — « *misericordiam in millia* », i. e. in mille generationes (cf. ib.); cum vero נצר imprimis etiam de custodiendo foedere edicatur. exprimitur custodia misericordiae *promissae*. Dein misericordia manifestatur peccati condonatione : « *qui aufers* » — *auferens* — « *iniquitatem et scelera atque peccata* », i. e. omnis generis iniquitatem. Sed quia illa misericordia omnimoda fidelitate temperatur, ideo a iustitia quoque non deficit : « *nullusque apud te per se innocens est* ». *Hebr. : iustificando tamen non iustificabit*, i. e. non semper et sine ullo discrimine iustificat et condonat, sed etiam severe et perseveranter punit : « *qui reddis* » — *reddens* — « *iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam progeniem* ».

v. 8 « *Festinusque Moyses curvatus est pronus in terram, et adorans* » v. 9 « *ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, domine* », — adverte Moysi fidem, qui uni divino effato (33,12. 17) constanter insistit (33,13. 16) — « *obsecro, ut gradiaris nobiscum* », *domine*, — *Hebr. in medio nostri :* hoc unum Moyses potissimum concupiverat (cf. quae diximus ad 33,12), hoc ei iam 33,17 Deus concesserat, hoc ipse nunc, ut solemniter confirmetur, rogat — « *populus enim durae cervicis est* ». Quomodo Moyses eam ipsam rationem profert, cur Deus in medio populi habitare debeat, quam Deus 33,3. 5 protulerat, cur ipse nollet in medio populi habitare? Populi dura cervix, si solus populus spectaretur, erat Deo ratio populi deserendi; sed si spectaretur Moyses Deo gratiosus et a Deo eius populi dux constitutus, populi durities erat ratio conferendi in Moysen specialis auxilii, intimioris sc. divinae praesentiae — « *et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas* ».

Deus foedus instaurans eas Voluminis Foederis, quod cum decalogo pericopen

Ex. 20,22-23,33 complectitur, *leges repetit, quae sunt de rebus sacris*, ne quis has caede priorum sacerdotum abrogatas esse existimet. Cum generali mandatorum commendatione 34,11 cf. 23,13 « omnia, quae dixi vobis, custodite ». 34,11-16, uti 23,24 sq. 31 sqq., prohibet gentilium foedera et matrimonia, quod primum decalogi mandatum in gravissimum discrimen vocent. 34,17 secundum mandatum inculcat (cf. 20,23). 34,18. 22-24 repetit legem 23,14-17 de tribus festis maioribus. Cui, scribae fortasse incuria, interponitur v. 19 sqq. lex de primogenitis (13,2. 12 sq.; et cf. 22,29 sq.) et lex de sabbato toties (etiam 23,12) inculcata. 34,25 sq. verbotenus repetit 23,18 sq.

v. 10 « *Respondit Dominus : Ego inibo* » — *Hebr. ineo* — « *pactum* *ridentibus cunctis* ». *Hebr. Sam. LXX Chald. : coram omni populo tuo ;* sed pronomen possessivum cum *Vulg.* ignorat *Syr.* Ceterum נגד כל עמך potest trahi vel ad praecedentia, quod habet apud Vulg. et LXX interpunctio, vel melius ad sequentia (*Aug.*) : coram universo populo signa faciam. *LXX* σοί fortasse est altera vocis עמך versio, accipienda ut dativus commodi. « *Signa faciam, quae nunquam visa sunt super terram nec in ullis gentibus, ut cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile, quod facturus sum* » *tecum :* Deus quippe potissimum Moysis gratia foedus init (cf. quae diximus ad v. 9), et tamquam eius adiutor populum ducit et portenta operatur. Ubi *Vulg.* נראה *visa sunt*, ibi reliqui נבראו *creata sunt*, a verbo operationem stricte divinam exprimente. His complectitur Deus potissima opera, quae ex foedere ipse praestaturus est; supponunt ea Deum in medio populi sui habitantem. Quae vicissim populo praestanda sint, brevi formula exprimit v. 11 : « *Observa* » *tibi* « *cuncta* », — vocem ignorant *Hebr. Sam. Chald. Syr.* — « *quae hodie mando tibi* »; ac dein rursus, quid Deus pro populo facturus, et ad quem potissimum effectum illa portenta sit patraturus, enuntiat : « *Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Amorrhaeum et Chananaeum et Hethaeum, Pherezaeum quoque et Hevaeum et Iebusaeum* ». Haec occasio monendi populi electi, ut a contaminatione idololatriae earum gentium sibi caveat, atque inculcandorum mandatorum antea datorum, quae Dei cultum respiciunt v. 12-26. Non repetuntur mandata in parentes et proximum servanda; neque repetitur mandatum non assumendi nominis divini in vanum; sed inculcantur tria supremi momenti mandata, non adorandi deos alienos v. 12-16, non faciendi deos conflatiles v. 17, observandorum festorum et sabbatorum v. 18-26.

Igitur, qui eiecturum se illas gentes seu, quod idem est, Hebraeis illas eiecturis potentem opem se laturum promisit Deus, Hebraeos ab earum commercio severe interdicit, ostenditque intimum inter eiusmodi commercium et idololatriam nexum. Expressiones fere eaedem sunt, quae 20,3. 5; 23,24. 32 sq. habebantur; novum additur v. 16 illud de vitandis coniugiis. Uti v. 11 verbis שמר לך, ita v. 12 incipit verbis השמר

לך. v. 12 « *Care* » *tibi*, « *ne unquam cum habitatoribus terrae illius iungas amicitias* », — *Hebr.* : *ferias foedus* — « *quae sint tibi in ruinam* ». Ceterum ubi *Vulg. quae*, ibi *Hebr.* habet *ne*; omnia illa foedera proscribuntur, non ea tantum, quae sint in laqueum (23,33). Et in fine sententiae additur *in medio tui* : eiusmodi quippe scandalum non uni alterive tantum nocet, sed in medio populi serpit. v. 13 et 14 incipiunt a particula כי, quae est adversativa, non causalis. v. 13 « *Sed aras eorum destrue, confringe statuas* », cippos, « *lucosque succide* » (cf. ad Deut. 16,21). v. 14 « *Noli adorare deum alienum* » : *quia* « *Dominus zelotes nomen eius, Deus est aemulator* », i. e. *zelotes*. Cf. 20,5. Comminatur ultionem divinam (*Cai.*). v. 15 « *Ne ineas pactum* », seu *ferias foedus* (cf. v. 12), « *cum hominibus illarum regionum* »; explicaturque distinctius, quomodo eiusmodi foedus evadat laqueus idololatriae : « *ne, cum fornicati fuerint cum diis suis* », idololatria quippe scripturis est fornicatio, cultum uni Deo debitum deferens aliis, « *et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis* ». Licet idolothyti esus per se non sit peccatum (1 Cor. 8), tamen facile fit peccati occasio, maxime cum fit amicitiae gratia : quare Deus Hebraeos ab idolothytorum esu interdixit (*Bonfr.*). Imprimis vetantur Hebraei interesse Chananaeorum epulis sacris. At non solum idolothytorum, sed etiam coniugiorum pericula habent illa cum ethnicis foedera. v. 16 « *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne, postquam ipsae fuerint fornicatae* » *post deos suos*, « *fornicari faciant et filios tuos in deos suos* ». Cf. 3 Reg. 11,2. Verba respiciunt tempus, quando Hebraei victricia arma illaturi sunt Palaestinae : tum fieri utique poterat, ut vir aliquis mulieris Chanánaeae, imprimis captivae forma captus illam sibi adiungeret uxorem; at vix timendum erat, ut Hebraeus filiam suam (*LXX*) Chananaeo uxorem concederet.

v. 17 « *Deos conflatiles non facies tibi* ». Hoc mandatum compendio citatur : inculcaverant illud vividissime eventus cap. 32 sq. narrati.

Cum praecepto v. 21 de sabbato observando connectuntur alia cultum spectantia, quae verbis fere iisdem repetuntur, quibus prioribus capitibus enuntiabantur. v. 18 « *Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vescéris azymis, sicut praecepi tibi, in tempore mensis novorum; mense enim verni temporis egressus es de Aegypto* ». Pro *novorum* et *verni temporis* scribe *Abib*. Ceterum cf. 23,15. v. 19 « *Omne, quod aperit vulvam generis masculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus quam de ovibus, meum erit* ». v. 20 « *Primogenitum asini redimes ove; sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes. Nec appare-*

bis in conspectu meo vacuus ». Cf. 13,12 sq.; 23,15. v. 21 « *Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare et metere* ». Efferuntur ii labores, pro quibus agricolae facilius exemptionem a lege praesumunt. Severius igitur, quam antea, haec lex enuntiatur. Sequuntur festa Pentecostes et Tabernaculorum v. 22 : « *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuae triticeae; et solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur* ». *Hebr. : et solemnitatem messis fructuum in exitu anni.* Cf. 23,16. Inculcatur porro trinus singulis annis ad sanctuarium accessus v. 23 : « *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu* [*omnipotentis*] *Domini Dei Israel* ». Cf. 23,17. Sed adiiciuntur verba, quae post 23,17 non legebantur : v. 24 « *Cum enim tulero gentes a facie tua, et dilatavero terminos tuos* » (23,31; Deut. 19,8), fecero illos latos teque potentem, « *nullus insidiabitur terrae tuae, ascendente te et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno* ».

Verba referuntur ad tempus occupatae terrae sanctae. Quoad בעלתך monet *Dillm.*, eodem postmodum verbo עלה exprimi consuevisse ascensum Hierosolymam. Omnino ita et aptissime quidem, sanctuarium quippe, ubicumque sit, facile concipitur ut locus editior, ad quem fiat ascensus. Non est ergo necesse, ob eam vocem versum supponere post exstructum templum esse scriptum. Suggerit illa omnino agi de *unico* sanctuario, non de altaribus variis per regionem locis exstructis : idque rursum confirmat vox « omne masculinum » v. 23 (*Hoonacker* p. 5). Quodsi enim per totam regionem sparsa haberentur altaria, si cuique ante fores proprias exstruendi altaris fas esset, reapse non perspicitur cur « ascendendi » obligatio ad solos mares restringeretur. — *Hebr. : auferam enim gentes* (*Sam. multas*) *a facie tua, et dilatabo terminos tuos, neque quisquam insidiabitur terrae tuae, ascendente etc.* Ita clarius etiam patet, quod secus per epikeian esset inferendum, tempore belli non fuisse mares obligatos ad fines relinquendos indefensos. Dices, haberi saltem divinam promissionem posterioribus temporibus haud expletam, carum peregrinationum annua tempora semper fore pacata : verum adverte, hanc uti alias pacis promissionem intelligi oportere conditionatam, si sc. Hebraei Iahve mandatis fideliter adhaererent.

v. 25 repetit legem 23,18 editam, et h. l. quidem quoad solum Phase : « *Non immolabis super fermento sanguinem hostiae meae, neque residebit mane de victima solemnitatis Phase* ». v. 26 repetit 23,19 : « *Primitias frugum terrae tuae offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hoedum in lacte matris suae* ».

v. 27 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba haec* » v. 10-26 (*Tost.*), « *quibus* », seu *secundum quae* (Gen. 43,7), « *et tecum et cum Israel pepigi foedus* ». v. 28 « *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes; panem non comedit et aquam non bibit, et scripsit* » Moyses (*Aug.;* cf. quae diximus ad v. 1) « *in tabu-*

lis verba foederis decem ». Quadraginta hi dies (cf. Deut. 9,18. 25; 10, 10) omnino sunt diversi a prioribus quadraginta diebus (24,18; Deut. 9,9. 11), quibus primum sanciebatur foedus. Cf. quae dicebamus p. 320. v. 29 « *Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini* ». קרן vi etymi utique sonat *cornutus* (*Vulg. Aq.*), re vera h. l. significat *radians*, uti vocem intelligunt *LXX Targ.* et imprimis *S. Paulus* 2 Cor. 3,13; fortasse tropi ratio ea est, quod radii cornuum instar promicent. Id autem *Ps. Ion.* Moysi ait « accidisse de splendore gloriae schekinae Iahve, quo tempore loquebatur cum eo »; « ex ingenti illa luce, quae erat in corpore illo lucido, quod a Moyse visum erat, in Moysis facie splendor quidam adhaeserat, ut vel hinc satis appareat, cur secunda hac vice potius splendidis cornibus irradians cerneretur, quam priore vice, quando etiam cum Deo in monte fuerat » (*Bonfr.*). Hi radii argumentum erant veritatis eorum, quae Moyses sibi in monte accidisse narraturus erat. v. 30 « *Videntes autem Aaron et filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere* », v. 31 « *vocatique ab eo reversi sunt tam Aaron quam principes synagogae* », propius accesserunt, « *et, postquam locutus est ad eos* », v. 32 « *venerunt ad eum etiam omnes filii Israel, quibus praecepit cuncta, quae audierat a Domino in monte Sinai* ». *Hebr.* nonnihil aliter iungit : *et locutus est Moyses ad eos; et postea*, post Aaron et principes, *accessere omnes filii Israel, quibus praecepit etc.* v. 33 « *Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam* ». v. 34 « *Quod ingressus ad Dominum et loquens cum eo* », — *Hebr. ad loquendum cum eo :* non affirmatur, quoties Moyses ad Dominum ingrederetur, sed quoties consulendi Domini causa ingrederetur, discooperuisse faciem — « *auferebat donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israel omnia, quae sibi fuerant imperata* ». v. 35 « *Qui videbant faciem* [*egredientis*] *Moysi esse cornutam* », radiantem, « *sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos* ». Sed reliqui omnes *ad eum*.

Cai. v. 33 ita dividendum putabat : *Implevitque sermones suos: Et posuit velamen super faciem suam.* Sic effici censet, Moysen in primo etiam illo populi alloquio velatam habuisse faciem. Id ne divisio quidem illa efficit, quae insuper *Vulgatae* et *LXX* adversatur. Concedunt profecto interpretes vix non omnes, in primo illo populi alloquio Moysen habuisse faciem non velatam : cf. *Bonfr., Sa., Men., Lap., Sylv.* — Praeterea extra controversiam est, discooperuisse Moysen faciem, quando Dominum consuleret. At num cooperiebat, ubi primum e tabernaculo egrediebatur? Id certe non putabat *Hier.* inserens vocem *egredientis*. At, inquies, auferebat velum, donec exiret : ergo, quando exibat, reponebat. Eam non esse vim vocis עד, constat imprimis e Gen. 49,10 et cf. Matth. 1,18. Quare cum *Tost.* censemus :

« Quando Moyses egrediebatur de tabernaculo ante Dominum, non ponebat velamen in facie ». — Verba invicem excipientia ויצא, ודבר, וראו obvio sensu id edicunt, Moysis faciem, et dum egrederetur et dum populum alloqueretur, fuisse radiantem. v. 35 אתו ob singularem numerum et analogiam v. 34 videtur referendum ad *Deum*, ergo : *et reponebat Moyses velum, usquedum ingrederetur* (*LXX* εἰσέλθῃ, quod verbum de ingressu sanctuarii adhibetur) *ad loquendum cum eo*. Unde patet, *Vulg.* ultimum incisum parum accurate vertisse. Quae suggerit, in omni praeter primum populi alloquio habuisse Moysen faciem velatam. Textus hebraeus rem in medio relinquit : si adstruas, Moysen egredientem habuisse faciem discoopertam, servasse discoopertam dum populum nomine Dei alloqueretur, dein operuisse usquedum rursum ad Deum ingrederetur, satisfacis textui hebraeo. Secundum haec Moyses, quando pro Deo legatione fungebatur, faciem discooperiebat; in vita communi et profana operiebat. Ratio operiendae faciei non tam erat, quod fulgorem Hebraei sustinere non possent (*Theodoret.*), sed « ut colloquii liberioris daretur copia » (*Lap.*), « ut quibuslibet liberioris sermonis facultas daretur » (*Men.*), et imprimis quod non esset conveniens neque decens, Israelitas constanter illos radios intueri (*Tost.*). — Neque huic expositioni obest *S. Paulus* 2 Cor. 3,13 rem obiter attingens : « Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in finem eius, quod evacuatur ». Apostolus non edicit, quando aut quamdiu Moyses faciem velaverit; idipsum vult dicere, quod Ex. 34,35 habet, et nihil amplius.

C. Mandati de sanctuario aliisque procurandis exsecutio Ex. 35 — Lev. 10.

Redit oratio ad sanctuarii res, a quibus narrata Ex. 32 vituli aurei superstitione deflexerat. Et primum quidem Ex. 35-39 conficitur sanctuarium cum sua suppellectili non eodem plane atque Ex. 25-27 et 30 ordine; de qua re p. 257 sq. dicebamus. Dein Ex. 40 sanctuarium erigitur et supellex in suo loco collocatur. Lev. 8 sq. peragitur, quae Ex. 28 sq. indicta fuerat, Aaronis et filiorum consecratio, narraturque Lev. 10 insigne miraculum, quo dignitas Aaronis confirmabatur. Verum inter erecti sanctuarii et consecrationis sacerdotum narrationem inseritur res utramque proxime attingens, Lev. 1-7 leges de sacrificiis.

1. *Sanctuarii effectio* Ex. 35-39.

a. Sabbati commendatio Ex. 35,1-3.

Arg. — Breviario repetitur, quod mandatum fuerat 31,12-17. Uti ibi extrema oratione inculcaverat Deus sabbati observationem tamquam foederis opus primarium, ita h. l. eadem initio inculcatur, antequam reliqua, quae illa oratione parari iubebantur, effecta narrentur. Adverte, inde a cap. 25 sabbatum intimius quam circumcisionem connecti cum foedere.

Cap. XXXV v. 1 « *Igitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos : Haec sunt, quae iussit Dominus fieri* ». v. 2 verbotenus fere consonat 31,15 : « *Sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur* ». Novum quid affert v. 3 : « *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati* ». Concluduntque *LXX* adscriptis vocibus *Ego Iahve.*

b. Dona pretiosa congerenda Ex. 35,4-29.

Arg. — Rogantur dona, recitatis operibus conficiendis. Recensentur dona utriusque sexus primum, dein virorum, mulierum, principum.

Moyses, uti 25,1-7 iussus fuerat, a populo donaria postulat ad fabricandum sanctuarium. v. 4 « *Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel : Iste est sermo, quem praecepit Dominus dicens* » : v. 5 « *Separate apud vos primitias* », seu verius *donaria* (cf. 25,2), « *Domino* ». Porro haec dona debent esse spontanea : « *Omnis voluntarius [et prono] animo offerat eas Domino : aurum et argentum et aes* » ; v. 6 « *hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum et byssum, pilos caprarum* » (cf. 25,4) ; v. 7 « *pellesque arietum rubricatas et ianthinas, ligna setim* » (cf. 25,5) ; v. 8 « *et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum et thymiama suavissimum* » (cf. 25,6) ; v. 9 « *lapides onychinos, et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis* ».

25,8 donariorum elenchum excipit prolixa rerum efficiendarum descriptio ; h. l. brevis v. 10-19 enumeratio, licet fortasse Moyses rem pluribus verbis proposuerit. Debebant sc., qui daturi erant, edoceri, quem ad finem eorum dona corrogarentur. v. 10 « *Quisquis vestrum sapiens est* » *corde*, « *veniat et faciat* » *omne*, « *quod Dominus imperavit* » : v. 11 « *tabernaculum sc. et tectum eius* », — verte *habitaculum* (משכן 26,1-6) *et tabernaculum eius* (אהל 26,7-14) — « *atque operimentum* » (26,14), « *annulos* » (26,6) « *et tabulata* » (26,15) « *cum vectibus* » (26,26), « *[paxillos] et bases* » (26,19) ; v. 12 « *arcam et vectes, propitiatorium et velum, quod ante illud oppanditur* » (26,36) ; v. 13 « *mensam cum vectibus et vasis et propositionis panibus* » ; v. 14 « *candelabrum ad luminaria [sustentanda], vasa illius, et lucernas, et oleum ad [nutrimenta] ignium* », seu clarius *luminarium ;* v. 15 « *altare thymiamatis et vectes, et oleum unctionis et thymiama ex aromatibus* » (30,22 sqq.) ; — recensitis iis, quae intra tabernaculum continentur, enumeratio procedit ad ea, quae in atrio

sunt — « *tentorium ad ostium tabernaculi* » (26, 36), v. 16 « *altare holocausti et craticulam eius aeneam, cum vectibus et vasis suis; labrum et basin eius* » (30,18); v. 17 « *cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli* » (27,9.16), v. 18 « *paxillos tabernaculi* » (27,19), seu verius *habitaculi*, « *et atrii cum funiculis suis* ». Hi *funes* יתר, quibus tentorii operimenta paxillis figuntur h. l. primum recensentur (cf. Num. 3,37; 4,32). v. 19 « *Vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii* » (de שרד vide 31,10), « *vestes Aaron pontificis ac filiorum eius, ut sacerdotio fungantur mihi* ». Ex hoc versu imprimis elucet, quod dicebamus, Moysen pluribus, quam quae hic scribuntur, verbis rem populo explicasse : erant sane edocendi de Aarone ad pontificatum evecto.

Populi congregatio v. 20-29 petita exsequitur. v. 20 « *Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi* », v. 21 « *obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino* », — *Hebr.* : *et venerunt omnes prompti corde, omnesque, quos impellebat spiritus eorum, attulerunt donaria Domino.* Non dicuntur omnes attulisse aliquid — « *ad faciendum opus tabernaculi testimonii, quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat* ». Porro v. 22 recenset, quae viri pariter atque mulieres habebant et offerebant. v. 22 « *Viri cum mulieribus praebuerunt armillas et inaures, annulos et dextralia; omne vas aureum in donaria Domini separatum est* ».

חח 4 Reg. 19,28; Is. 37,29; Ez. 19,4; 38,4 est *circulus*, qui per nares immittitur funi aptatus, ad deducendam feram; hic ad ornatum immittitur. נזם est *annulus* naribus (Gen. 24,47) vel auribus (Gen. 35,4; Ex. 32,2) insertus. טבעת imprimis (Gen. 41,42) est *annulus sigillarius*, ergo digito inserendus. *Dextralia* sunt *armillae*. Sed כומז a *LXX* etiam Num. 31,50 vertitur ἐμπλόκιον, genus aliquod ornamenti crinibus insertum; ubi *Vulg. murenulas*, quae sunt *catenulae* collo circumductae. *Syr.* utrobique הבונוכא, *catenulae*. *Sam. LXX* quintum etiam ornamentorum genus habent עגיל, περιθέξια, quod ex Ez. 16,12 constat auribus inseri. Cum ergo reliqua ornamenta fere annulorum formam habeant, arridet pro כומז Vulgatae versio; tamen etiam Syri versio *catenulas* (cf. Vulg. ad Num. 31,50) suam habet probabilitatem, neque fortasse longius abest a versione *LXX*. — וכל איש אשר הניף תנופת זהב ליהוה. Vocem איש ignorant *Sam. LXX Vulg.*, potuitque ea facillime afformari e similitudine cum sequentis vocis אשר, tum sequentis versus. Puncta hophal et verte : *praebuerunt... et omne, quod oblatum est* (29,27) *oblationis auri Domino.*

v. 23 effert solorum *virorum* donaria. Noli ergo vertere « *Si quis* », sed *Et omnis vir, qui* « *habebat hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum rubricatas et ianthinas* », v. 24 « *argenti aerisque* [*metalla*], *obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus* ». Cf. *Hebr.* Nota, Aegyptiis *argentum* fuisse pretiosius auro, quia rarius : « antiquae inscriptiones omnes

argentum recensent ante aurum et in sepulcris ornamenta argentea longe pauciora sunt aureis » (*Erman* p. 611). Aes a viris offerri, quis miretur? Non adhibebatur illud ad ornatum muliebrem.

Mulieres manuum imprimis arte bonam voluntatem testantur. v. 25 « *Sed et mulieres doctae, quae neverant* », — *Hebr. et omnes mulieres sagaces corde texerunt manibus suis et* — « *dederunt* » *texturam*, « *hyacinthum, purpuram et vermiculum ac byssum* », v. 26 *et omnes mulieres promptae corde in sapientia texebant* « [*et*] *pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes* ». *Hebr.* clarius quam *Vulg.* exprimit, mulieres his solam artem contulisse; nam materiam v. 23 viri obtulerant.

Pretiosissima obtulere *principes*. v. 27 « *Principes vero obtulerunt lapides onychinos* » (28,9) « *et gemmas* » (28,17) « *ad superhumerale et rationale* », v. 28 « *aromataque et oleum ad luminaria* [*concinnanda*] *et ad* [*praeparandum*] *unguentum ac thymiama odoris suavissimi* [*componendum*] ».

v. 29 « *Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quae iusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt* ».

c. Designati opifices Ex. 35,30-36,7.

Arg. — Designantur Beseleel et Ooliab, adhibentur opifices periti alii; collata abundante donorum copia, ne plura afferantur, indicitur.

35, 30-33 idem sunt atque 31,2-5. v. 30 « *Dixitque Moyses ad filios Israel: Ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel, filium Uri filii Hur, de tribu Iuda* », v. 31 « *implevitque eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientia et omni doctrina* », v. 32 « *ad excogitandum et faciendum opus in auro et argento et aere* », v. 33 « *sculpendisque lapidibus et opere carpentario: quidquid fabre adinveniri potest* », — *Hebr.* legit uti 31,5, una addita voce : *in omni opere artificis* — v. 34 « *dedit in corde eius* ». Sed aliter reliqui : *Et docere dedit in corde eius;* sequens vero incisum non ad solum docendi donum refertur, sed ad praecedentia pariter : *ipsum et* « *Ooliab quoque, filium Achisamech, de tribu Dan* ». v. 35 « *Ambos erudivit* » seu *implevit* « *sapientia, ut faciant opera abietarii* » seu generalius *fabri*, sive is in ligno sive in metallis sive in gemmis artem exserat, « *polymitarii ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto et bysso, et texant omnia ac nova quaeque reperiant* », excogitent. *Cap. XXXVI* v. 1 « *Fecit ergo Beseleel et Ooliab et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari, quae in usus sanctuarii*

necessaria sunt, et quae praecepit Dominus ». Ita versiones; sed iam notabat *Cai.*, יעשה verti debere *et faciet*, secundum quam lectionem versus praecedentem narrationem claudit.

v. 2 « *Cumque vocasset eos Moyses* », pro quo pronomine *Hebr.* habet *Beseleel et Ooliab*, « *et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus* », v. 3 « *tradidit eis universa donaria filiorum Israel* » *ad opus cultus sanctuarii, ad faciendum illud.* Quod membrum *Vulg.* liberius reddit : « *Qui cum instarent operi, quotidie mane vota [populus] offerebat* », i. e. spontaneas oblationes. v. 4 « *Unde artifices venire [compulsi]* », *singuli de opere suo, quod faciebant*, v. 5 « *dixerunt Moysi : Plus offert populus, quam necessarium est* » *ad opus perficiendum, quod mandavit nobis Dominus facere.* v. 6 « *Iussit ergo Moyses praeconis voce cantari : Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere sanctuarii* », *faciant ultra opus in oblationem sanctuarii.* Videntur imprimis obtulisse ingentem copiam purpurae, byssi etc., quae mulieres *faciebant* seu texebant manibus suis, viri vero per manus mulierum. « *Sicque cessatum est a muneribus offerendis* », v. 7 « *eo quod oblata sufficerent et superabundarent* ». *Sam. LXX* והותירו.

d. Sanctuarium Ex. 36,8-38.

Arg. — Divinum 25,10 mandatum ab *arca* sumebat initium, obiecto in toto sanctuario sanctissimo, cuius maxime causa procurandum erat sanctuarium et reliqua. Sed in ordine exsecutionis incipiendum erat a *sanctuario*, necnisi postea construenda arca in sanctuario collocanda.

A cap. 36 ad cap. 39 plurimum discrepat textus LXX a reliquis. Minora discrimina negligentes graviora tantummodo indicabimus.

LXX 36,8 = *Hebr. Vulg.* 36,8^{a} + 39,1.
9-40 = 39,2-31 — vestes sacrae, ubi omittitur illud 39,11 de balteo, fortasse ob textum corruptum.
37,1 sq. = 36,8 sq. — tapeti breviter; sed tota pericope 36,10-34 de tabernaculi structura ignoratur.
3-6 = 36,35-38 — duo tabernaculi vela cum columnis.
7-18 = 38,9-20 — atrium, pluribus omissis aut corruptis.
19-21 = 38,21-23 — computi titulus, omisso ipso computo.
38,1-8 = 37,1-9 — arca et propitiatorium, pluribus omissis.
9-12 = 37,10-16 — mensa panum propositionis, pluribus omissis, mentione imprimis lignorum setim, ut videatur mensa solida fuisse ex auro.
13-17 = 37,17-23 — candelabrum, plurimis omissis.
18-20 = nulli textui respondet, sed opera reliqua e metallis confecta breviter perstringit.

21 = 38,20 — paxilli.
22-24 = 38,1-7 — altare holocaustorum, quod confectum scribitur e thuribulis factionis Core, similiter atque labrum aeneum conficiebatur e speculis mulierum.
25 = 37,29 — oleum et thymiama.
26 = 38,8 — labrum aeneum.
30 sq. = 40,30 sq. (29 sq.) — de usu eiusdem labri; hos versus *LXX* cap. 40 non repetunt.
39,1-10 = 38,24-31 — computus, cuius titulus supra habebatur.
11 = 39,31 (32) — formula concludens narrationem variarum rerum confectarum.
12 sq. = nulli textui respondet; quid de *reliquo* auro, purpura etc. confectum sit, enarrat.
14-23 = 39,32 (33)-43 — res Moysi oblatae enumerantur, sed ordine plurimum diverso.

Porro ex hoc conspectu facile colligitur :

1) narrationem LXX a reliquorum narratione plurimum differre, quin tamen indidem sequatur hac esse minus genuina;

2) narrationem LXX esse multo breviorem : at non hinc sequitur esse e longiore narratione abbreviata, cum potuerit brevior primitus narratio postmodum in longiorem et praecedentibus adamussim consonantem formam produci.

3) Ordo narrationis apud LXX universim spectatus videtur esse hic, ut primum recenseantur opera textilia (vestes sacrae, tapeti, vela, atrium), dein metallina : tandem subiungatur computus traditaeque referantur res Moysi.

4) Ordinem narrationis LXX non esse genuinum, sequentia suadent :

a) narratio ita est detruncata, ut maximi momenti aliqua desiderentur : tabernaculi structura (cf. 36,10-34), altaris thymiamatis (cf. 37,24-28) et holocaustorum (cf. 38,1-7);

b) computi titulus apud LXX deprehenditur extremo cap. 37, ab ipso computo separatus : cuius facti alia ratio fingi nequit, nisi titulum primitus cum praecedente constructi atrii narratione fuisse connexum et ab eo, qui narrationis partes disiecerit, inadvertenter ab illa non fuisse seiunctum, dum ipse computus alio relegabatur.

c) Aes thuribulorum factionis Core nonnisi serius (Num. 16,37 sqq.) altari adhibitum est; certe non totum altare ex aere thuribulorum fundebatur.

d) Sunt alia minora, sed quae scriptoris negligentiam prodant.

α. Habitaculum Ex. 36,8-13.

v. 8 « *Fecerunt quoque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi* », — sed *Hebr.* uti 26,1 *habitaculum;* ac dein ad habitaculi partes, et primum quidem cortinas descenditur — « *cortinas decem de bysso retorta et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, opere vario et arte polymita* ». v. 9 « *Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor; una mensura erat omnium cortinarum* ». v. 10 « *Coniunxitque cortinas quinque alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copularit* ». Cf. 26,3. v. 11 « *Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinae unius ex utroque latere, et in ora cortinae*

alterius similiter ». v. 12 « *ut contra se invicem venirent ansae et mutuo iungerentur* ». v. 13 « *Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum* », *Hebr. habitaculum.*

β. Tabernaculum Ex. 36,14-18.

v. 14 « *Fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi* », *Hebr. in tabernaculum super habitaculum.* v. 15 « *Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor: unius mensurae erant omnia saga* ». v. 16 « *Quorum quinque iunxit seorsum, et sex alia separatim* ». v. 17 « *Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem iungerentur* »; v. 18 « *et fibulas aeneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret* ».

γ. Tabernaculi operimentum Ex. 36,19.

v. 19 « *Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis; aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis* ».

v. 8-19 narrantur cortinae et operimenta confecta verbis iisdem fere atque 26,1-14. Subiectum v. 8 est כל חכם לב, formae singularis sed significationis pluralis, cui primum correspondet verbum plurale ויעשו, dein verba formae singularis. v. 10. 12 sq. (cf. v. 22) expressioni אשה אל אחתה substituitur altera אחת אל אחת, fortasse recentior. Omittuntur, quae habebantur 26,9^{b}. 12 13.

δ. Habitaculi parietes Ex. 36,20-34.

v. 20-38 describitur habitaculum ligneum cum duobus suis velis, verbis fere iisdem atque 26,15-37. v. 29 pro יהון *Sam.* correctius הון. Omitti debuit h. l. 26,30. 33-35. De 36,38 cum 26,37 comparato, vide infra. Reliquae discrepantiae minimae sunt.

v. 20 « *Fecit et tabulas tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, « *de lignis setim stantes* ». v. 21 « *Decem cubitorum erat longitudo tabulae unius, et unum ac semis cubitum latitudo retinebat* ». v. 22 « *Binae incastraturae erant per singulas tabulas, ut altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi* », seu verius *habitaculi*, « *tabulis* ». v. 23 « *E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum* », v. 24 « *cum quadraginta basibus argenteis. Duae bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturae laterum*

in angulis terminantur ». v. 25 « *Ad plagam quoque tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, « *quae respicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas* », v. 26 « *cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas* ». v. 27 « [*Contra occidentem vero, i. e.*] *ad eam partem tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, « *quae mare respicit, fecit sex tabulas* », v. 28 « *et duas alias per singulos angulos tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, « *retro* ». v. 29 « *Quae iunctae erant a deorsum usque sursum, et in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos* », v. 30 « *ut octo essent simul tabulae, et haberent bases argenteas sedecim, binas sc. bases sub singulis tabulis* ». v. 31 « *Fecit et vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, v. 32 « *et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas, et extra hos quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi* », i. e. *habitaculi*, « *contra mare* ». v. 33 « *Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret* ». לברח pro מבּרח; cf. quae diximus ad 26,28. v. 34 « *Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent; quos et ipsos laminis aureis operuit* ».

ε. Vela sanctuarii Ex. 36,35-38.

v. 35 « *Fecit et velum de hyacintho et purpura, vermiculo ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum* »; v. 36 « *et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis* ». v. 37 « *Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo byssoque retorta, opere plumarii* », v. 38 « *et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit aeneas* ». *Hebr.* : *et columnas quinque et hamos earum; deauravit capita earum et laminas earum* (cf. quae diximus ad 27,10), *et bases earum fecit aeneas*. Hic versus et 26,37 invicem complent. Ibi affirmabantur hami quoque fuisse *aurei*, hic adduntur *laminae* deauratae et *capitella*. Ergo columnae in introitu sancti sanctorum erant totae deauratae (v. 36; 26,32); columnae in introitu sancti habebant aurea tantum capitella (h. l.); columnae in introitu atrii (27,17 sq.; 38,17. 19) habebant capitella argentea (*Dillm.*).

e. Vasa aurea vel deaurata Ex. 37.

α. Arca Ex. 37,1-9.

Caput 37 effectas narrat varias res, quae intra tabernaculum erant collocan-

dae, verbis fere iisdem atque 25,10-39; 30,1-5. Omittuntur tamen 25,15 sq. 21 sq. 30. 37 sq. 40; dum 37,29 brevi formula resumit 30,22-38 dicta; 37,16 vasorum enumerationi praemittit generalem formulam *et facies vasa, quae super mensam*. v. 1 subiectum effertur *Beseleel* ob eam sine dubio rationem, quod res illas omnium sacerrimas fabricatus sit Beseleel ipse, non per alios. An vero ipse subiectum sit per totum caput, an inde a v. 10 subiectum rursus sumendum sit uti cap. 36 indeterminate, definiri nequit neque scire interest.

Conficiuntur igitur primum arca et propitiatorium. *Cap. XXXVII* v. 1 « *Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii; vestivitque eam auro purissimo intus ac foris* ». v. 2 « *Et fecit illi coronam auream per gyrum* », v. 3 « *conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius, duos annulos in latere uno, et duos in altero* ». v. 4 « *Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro* », v. 5 « *et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcae ad portandum eam* ». 6 « *Fecit et propitiatorium, [i. e. oraculum], de auro mundissimo, duorum cubitorum et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine* », v. 7 « *duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii* » : v. 8 « *Cherub unum in summitate unius partis, et Cherub alterum in summitate partis alterius, duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii* », v. 9 « *extendentes alas et tegentes propitiatorium, seque mutuo et illud respicientes* ».

β. Mensa panum propositionis Ex. 37,10-16.

v. 10 « *Fecit et mensam de lignis setim, in longitudine duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quae habebat in altitudine cubitum ac semissem* »; v. 11 « *circumdeditque eam auro mundissimo, et fecit illi labium aureum per gyrum* », v. 12 « *ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et super eandem alteram coronam auream* ». v. 13 « *Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensae* » v. 14 « *contra coronam; misitque in eos vectes, ut possit mensa portari* ». v. 15 « *Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, et circumdedit eos auro* »; v. 16 « *et vasa ad diversos usus mensae, acetabula, phialas et cyathos et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina* »

γ. Candelabrum Ex. 37,17-24.

v. 17 « *Fecit et candelabrum ductile de auro mundissimo. De cuius*

vecte calami, scyphi sphaerulaeque ac lilia procedebant »; v. 18 « *sex in utroque latere, tres calami ex parte una et tres ex altera* »; v. 19 « *tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphaerulaeque simul et lilia; et tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphaerulaeque simul et lilia. Aequum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri* ». v. 20 « *In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphaerulaeque per singulos simul et lilia* »; v. 21 « *et sphaerulae sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno* ». v. 22 « *Et sphaerulae igitur et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo* ». v. 23 « *Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa, ubi ea, quae emuncta sunt, exstinguantur, de auro mundissimo* ». v. 24 « *Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis* ».

δ. Altare thymiamatis cum thymiamate et unctionis oleo Ex. 37,25-29.

v. 25 « *Fecit et altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, et in altitudine duos; e cuius angulis procedebant cornua* ». v. 26 « *Vestivitque illud auro purissimo cum craticula ac parietibus et cornibus* ». v. 27 « *Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari* ». v. 28 « *Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, et operuit laminis aureis* ». Ad haec cf. 30,1-5. v. 29 « *Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiama de aromatibus mundissimis opere pigmentarii* ». Cf. 30,22-38.

f. Vasa aenea Ex. 38.1-8.

α. Altare holocausti Ex. 38,1-7.

Cap. XXXVIII. Procedit narratio ad ea describenda, quae extra tabernaculum erant collocanda; et quidem v. 1-7 altare holocausti. v. 1 « *Fecit et altare holocausti de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine* »; v. 2 « *cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis aeneis* ». v. 3 « *Et in usus eius paravit ex aere vasa diversa: lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos et* [*ignium*] *receptacula* ». v. 4 « *Craticulamque eius in modum retis fecit aeneam,* [*et*] *subter eam in altaris medio arulam* », — Inserta copula sensum *Vulg.* obscurat: *subter corollam eius, infra ad medietatem eius.* Explicatur situs non arulae seu corollae, sed craticulae. Ceterum sensus est omnino idem, atque 27,4 sq.; itemque reliqua descriptio, licet expressionum et sententiarum ordo aliquantum mutetur, omnino conso-

nat cum 27,1-8 — v. 5 « *fusis quatuor annulis per totidem retiaculi* », quod modo *craticula* vertebatur, « *summitates, ad immittendos vectes ad portandum* »; v. 6 « *quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis aeneis* »: v. 7 « *induxitque in circulos* », qui modo *annuli* audiebant, « *qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare* [*non erat solidum, sed*] *cavum ex tabulis,* [*et intus vacuum*] ».

β. Labrum aeneum Ex. 38,8.

v. 8 fusum refert mare aeneum : cf. 30,18. Quae vero 30,19-21 habebantur de ablutionibus peragendis, ea non h. l., quod LXX faciunt (38,27), erant repetenda, sed 40,28-30 (30-32) recensentur. v. 8 « *Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi* ». Mulieres hae, « quae observabant ad ostium tabernaculi », etiam habentur 1 Reg. 2,22, ubi cf. quae diximus. Non igitur de superstitione aliqua sermo est, sed de legitimo cultu; neque de mera privata devotione, cum צבא potius genus sacrae veluti militiae turmatim praestandae exprimat. Notavere porro *Rabbini* rem h. l. narrari, non tamquam Moysis tempore primum fieri coeptam sed tamquam usu consecratam. Ubi audiendus *Cyrill. Alex.* (De ador. in sp., lib. IX; *M.* 68. 629 sq.), qui ipse in Aegypto vivebat et antiqua Aegyptiorum monumenta oculis conspiciebat : « Servierant idolis longis temporibus Israelitae, dum Aegyptiis suberant eorumque vivebant legibus. Moris igitur erat imprimis apud mulieres Aegyptias, linea veste indutas adire templa, speculum sinistra, sistrum dextra sacro habitu gestantes; quaeque prae ceteris electae et initiatae essent, eae honoris eius seu, ut verius dicam, contumeliae plurima adhibita opera participes efficiebantur ». Cyrilli dicta confirmant monumenta, quae sistra depingunt et metallina specula (*Erman* p. 316 sq. 399 sq.) nosque edocent, singulis templis attributas fuisse mulieres ex omni civium ordine magno numero selectas, quae cantatrices seu musicae nuncupabantur. Ritus de se est omnino innocens, qui potuit apud varias gentes ante natam idololatriam oriri, imo ex ipsa religione primitiva ortum ducere. Vigebat is apud Hebraeos ante Moysen, neque a Moyse abolitus est teste 1 Reg. 2,22.

g. Atrium Ex. 38,9-20.

Narratio generatim concordat cum 27,9-19, tamen pluribus etiam differt. v. 9 « *Fecit et atrium, in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum* », v. 10 « *columnae aeneae viginti cum basibus suis, capita columnarum et tota operis caelatura argen-*

tea ». v. 11 « *Aeque ad septentrionalem plagam tentoria, columnae basesque et capita columnarum eiusdem mensurae et operis ac metalli erant* ». Haec compendio potius *Hebraeum* reddunt : *Et in latere aquilonis* (velum seu tentorium) *centum cubitorum, columnae viginti et bases viginti aeneae, et hami columnarum et caelaturae earum argenteae.* v. 12 « *In ea vero plaga, quae ad occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnae decem cum basibus suis aeneae, et capita columnarum et tota operis caelatura argentea* ». v. 13 « *Porro contra orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria* »; v. 14 « *e quibus quindecim cubitos columnarum trium cum basibus suis unum tenebat latus* », v. 15 « *et in parte altera* (*quia inter utraque introitum tabernaculi fecit*) *quindecim aeque cubitorum erant tentoria, columnaeque tres et bases totidem* ». Expressio מזה ומזה לשער החצר utique inepto loco legitur (*Dillm.*); fortasse extremo v. 13 primitus legebatur. v. 16 « *Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat* ». v. 17 « *Bases columnarum fuere aeneae, capita autem earum cum cunctis caelaturis suis argentea; sed et ipsas columnas atrii vestivit argento* ». *Hebr.* : *hami columnarum et caelaturae,* quae duo extrema nomina ignorat *Sam.*, unde non habetur pleonasmus cum sequenti והם מחשקים כסף. *Hebr. : et operimentum capitellorum argenteum, et caelaturas habebant argenteas omnes columnae atrii.* Quae cap. 27 ignorabantur capitella, h. l. et v. 19. 28 (cf. 36,38) supplentur. v. 18 « *Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine; altitudo vero quinque cubitorum erat iuxta mensuram, quam* [*cuncta*] *atrii tentoria habebant* ». *Hebr. : altitudo in latitudine,* quia latitudo veli dependentis altitudinem efficiebat (*Dillm.*). לעמת 25,27; 28,27 significabat *prope,* h. l. *ad instar,* quem sensum expressio etiam habet 1 Par. 24,31; 26,12. 16; Ez. 3,8; Eccle. 5,15; 7,14. Non hinc necessario sequitur, ultima v. 18 verba recentiori calamo esse adscripta; potuere utique adscribi, cum tota haec 38,9-20 pericope, si 27,9-19 comparetur, negligentiorem prodat stilum. v. 19 « *Columnae autem* [*in egressu*] *fuere quatuor cum basibus aeneis, capitaque earum et caelaturae argenteae* ». *Hebr. : et hami argentei, et operimentum capitellorum et caelaturarum earum argenteum.* Ergo, uti 36,38, affirmantur laminae, quae caelaturas efficiebant, non fuisse totae argenteae, sed argento superindutae. v. 20 « *Paxillos quoque* » *omnes* « *tabernaculi et atrii per gyrum fecit aeneos* ».

h. Computus Ithamar Ex. 38,21-31.

Arg. — Ithamaro id officii attribuit Moyses, ut computum expensarum digereret. Traditur eius computus quoad metalla pretiosa : aurum, argentum, aes.

v. 21 « *Haec sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quae enumerata sunt iuxta praeceptum Moysi in ceremoniis* » — עבדת, τὴν λειτουργίαν, *Chald. Syr.* בולחן, ergo « in ministerium » (*Vat.*) — « *Levitarum, per manum Ithamar, filii Aaron sacerdotis* ». פקודי certe non significat *instrumenta*, sed *computum* (cf. 30,12 sqq.; Num. 1,21 sqq.; 2,4 sqq.) : *LXX* σύνταξις, *Chald. Syr. numerus;* consentitque *Vulg.* illico פקד vertens *enumerata sunt*. Ceterum *Vulg.* versum interpretata est clausulam praecedentium, elenchum instrumentorum sacrorum, « cuius indiculi faciendi cura demandata est Ithamar, filio Aaronis » (*Bonfr.*). At indiculus hic verbotenus fere repetit cap. 25-27 descripta, quae immediate a Deo edoctus erat Moyses, nulla Ithamari adhibita ope. Melius *Masor.* novam v. 21 parascham ordiuntur, ut v. 21 sit inscriptio sequentium v. 24-31 et « rubrica subiunctarum summarum auri, argenti et aeris » (*Cai.*). Has autem summas metallorum pretiosorum concinnandas commisit Moyses Ithamaro. Sequentem versum *Hebr.* adnectit copula *et,* quam apte *Vulg.* vertit *quae :* monet sc. narrator, *dum* Ithamar adhibitus sit computandis metallis, Beseleelem iis cudendis et fundendis insudasse ; simulque nomen Ooliab adscribitur, qui in aliis rebus parandis Beseleelis exstitit adiutor praecipuus. v. 22 « *Quae Beseleel, filius Uri filii Hur, de tribu Iuda, Domino per Moysen iubente compleverat* », v. 23 « *iuncto sibi socio Ooliab, filio Achisamech, de tribu Dan, qui et ipse artifex lignorum* [*egregius*] *fuit, et polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo et bysso* ».

Iam computus auri, argenti et aeris describitur. v. 24 « *Omne aurum, quod expensum est in opere sanctuarii,* [*et quod oblatum est*] *in donariis, viginti novem talentorum fuit et septingentorum triginta siclorum, ad mensuram sanctuarii* », de qua dicebamus ad 30,13. 24. Ex 29,27 patet, תנופה et תרומה esse synonyma : prior vox h. l. et v. 29 adhibetur; cf. item 35,22. 24.

Ad 30,13 dicebamus, siclum argenti pondere aequasse 14 gramm. 55, pretio fere 2 fr. 93. Versu 25 sq. textus hebraei docemur, viros 603550 solvisse talenta argenti 100 et siclos 1775; e 30,13 compertum habemus, viros singulos contribuisse dimidium siclum. Ergo 100 talenta, additis 1775 siclis = $\frac{603550}{2}$ seu 301775 sicli. Ergo talentum erat 3000 siclorum; idque valet de talento tam auri quam argenti, cum

talentum et siclus primitus sint ponderum nomina. Illa igitur 100 argenti talenta, additis 1775 siclis, valore aequabant fere 884200 fr. 75. Siclum auri valore censent aequasse 15 circiter siclos argenti, ergo fere 43 fr. 95. Et 29 auri talenta, additis 730 siclis, seu auri sicli omnino 87730 (v. 24), valore aequabant circiter 3855733 fr. 50. Censent item auri siclum, uti apud Babylonios, pondere etiam nonnihil diversum fuisse ab argenti siclo, ut habuerit ponderis non 14,55 sed 16,37 grammata.

v. 25 « *Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum a viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus et quingentis quinquaginta* [*armatorum*] », quam extremam vocem inseruit *Vulg.* bis vertens חמושים. Ceterum misere truncatum esse *Vulgatae* textum, et comparatis reliquis textibus patet et ab omnibus agnoscitur interpretibus. Dum sc. v. 24 agebat *de auro*, v. 25 agit de *argento*, et quidem collecto methodo 30,12-16 descripto. *Hebr. : Et argentum numeratorum ecclesiae fuit 100 talenta et 1775 sicli, de siclis sanctuarii ;* v. 26 *dimidium viritim, dimidium sicli de siclis sanctuarii, omnibus transeuntibus ad recensitos, a viginti annis sursum, sexcentis et tribus millibus quingentis et quinquaginta.* I. e., omnibus his viris dimidium singulis siclum pendentibus, effecta sunt 100 talenta et 1775 sicli. Qui numerus porro per partes explicatur, ut v. 26 sq., qui versus uni v. 27 apud *Hebr.* respondent, quid e centum talentis, v. 28 quid e 1775 siclis effectum sit demonstret. v. 26 « *Fuerunt* [*praeterea*] », quod adverbium minus feliciter *Vulg.* inseruit, « *centum talenta argenti, e quibus conflatae sunt bases sanctuarii et* [*introitus, ubi*] *velum* [*pendet*] ». Simplicius *Hebr. : et bases veli*, sc. columnarum, e quibus velum dependebat. v. 27 « *Centum bases* [*factae sunt*] *de talentis centum, singulis talentis per bases singulas* [*supputatis*] ». Reapse 26,19. 21. 25.32 habentur bases interioris sanctuarii argenteae 40 + 40 + 16 + 4 = 100. v. 28 « *De mille autem septingentis et septuaginta quinque* » — *siclis* merito supplet *LXX* — « *fecit capita columnarum* » seu verius hamos, « *quas et ipsas vestivit argento* », laminis argenteis, quae cum sicut hami longe essent basibus tenuiores, minor longe argenti copia in ea insumebatur.

Admirationem illud facit, solum h. l. recenseri argentum, quod ritu 30,12-16 descripto a singulis sit exactum, non illud vero, quod 25,3 ; 35,5. 24 sponte fuerat oblatum. Solum autem recensetur, cum Hebr. v. 25 sq. omnia ad hemisiclos census revocentur ; et omnia, quae Deus ex argento confici iusserat, ex hoc argento ex hemisiclis collecto conficiuntur, ut alteri argenti summae sponte collatae non sit locus. Dicendum ergo est, unicam tum factam esse per modum census argenti collectionem, eamque simul fuisse spontaneam, quod singuli festinaverint (30,12) se a plagis redimere. Aut dicas, quae primum a Deo hominum voluntati permissa esset argenti collectio, eam mox divina lege esse circumscriptam, sive quod in spontaneis donis Hebraei invenirentur tardiores, sive, quod textui 30,16 ; 36,6 magis consonat, ne argenti essent nimium prodigi.

Aeris tandem summa adscribitur. v. 29 « *Aeris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra sicli* ». Erravit hac in re Hieronymi calamus (cf. *Verc.*) : vertendum erat *70 talenta et 2400 sicli*. Ceterum ex hoc etiam textu patet, talentum habuisse plus 2400 siclis, sc. siclos 3000. v. 30 « *Ex quibus fusae sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare aeneum cum craticula sua, omniaque vasa quae ad usum eius pertinent* », v. 31 « *et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu eius, et paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum* ». Omittitur labrum aeneum, quod reapse ex aere (38,8) aliunde petito neque in hoc computo incluso confectum est.

i. Vestes sacrae Ex. 39,1-30.

Cap. XXXIX. 38,21-31 utique praecedenti narrationi adnexum est, quae 39,1 resumitur : narrata sanctuarii structura vestium sacrarum confectio describitur. יבין התכלת non est primitus scriptum (*Dillm.*), ut post metallorum computum textilia item computarentur : metallorum quippe in computo nomina v. 24. 25 (Hebr.). 29 absolute scribebantur, nulla praefixa praepositione. v. 1 « *De hyacintho vero et purpura, vermiculo ac bysso* » — ultimum nomen sola habet *Vulg.*, debuitque primitus ישש esse in textu, potuitque sat facile excidere inter duas voces breves et literam ש habentes, sc. השני et עשו — « *fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis, sicut praecepit Dominus Moysi* ». Res vero secundum Domini praeceptum factas esse, etiam v. 5. 7. 19 (21). 24 (26). 31 inculcatur. Ceterum explicitior est *Hebr. : De hyacintho etc. fecerunt vestes sacras* (cf. 31,10) *ad ministrandum in sanctuario*. Post quam generalem sententiam, transitur ad vestes soli Aaroni destinatas, dum de reliquis pauca v. 25 sqq. subiiciuntur : *Et fecerunt vestes sanctuarii pro Aaron, sicut mandaverat Iahve Moysi*. Mox sequitur verbum forma singulari, sed subiectum intelligitur idem.

α. Ephod pontificis Ex. 39,2-7.

v. 2 « *Fecit igitur superhumerale* », i. e. ephod, « *de auro, hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta* ». Hic versus idem est atque 28,6; sed novus inseritur v. 3, quo docemur, qua ratione tela texi consueverit « *opere polymitario* », quas duas voces reliqui textus non initio, sed aptius habent extremo v. 3 : « *inciditque bracteas aureas, et extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine* ». *Hebr. : et extendit bracteas aureas*, i. e. auri lami-

nas seu folia, *et discidit fila, ut introducerentur inter hyacinthum et purpuram et coccum et byssum, opere polymitario.* Hoc ergo erat polymitarii opus, ut auro primum in tenues laminas extenuato ac dein in fila discisso, haec fila cum filis hyacinthi etc. contexerentur. v. 4 « *Duasque oras* », sc., scapularis partem anteriorem et posteriorem (cf. quae diximus ad 28,7), « *sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum* »; v. 5 « *et balteum ex eisdem coloribus, sicut praeceperat Dominus Moysi* ». *Hebr. : et fascia ephodi, quae in ipso est eique coniuncta, eiusdem atque illud operis : aurum, hyacinthum etc.* Cf. quae diximus 28,8. v. 6 « *Paravit et duos lapides onychinos, adstrictos et inclusos auro* », — *Hebr. circumdatos capsis aureis* (cf. 28,11-13) — « *et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel* ». Hic versus compendio repetit 28,9-11. v. 7 « *Posuitque eos in lateribus superhumeralis in monimentum filiorum Israel, sicut praeceperat Dominus Moysi* ». Cf. 28,12. Quae autem 28,13 sq. habebantur, h. l. desunt.

β. Rationale pontificis Ex. 39,8-19.

v. 8 « *Fecit et rationale* » — 28,15 addit *iudicii* — « *opere polymito iuxta opus superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta* », v. 9 « *quadrangulum* » seu verius quadratum, « *duplex, mensurae palmi* ». Cf. 28,16. v. 10 « *Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus* ». v. 11 « *In secundo carbunculus, sapphirus et iaspis* ». v. 12 « *In tertio ligurius, achates et amethystus* ». v. 13 « *In quarto chrysolithus, onychinus et beryllus, circumdati et inclusi auro per ordines suos* ». v. 14 « *Ipsique lapides duodecim sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum* ». Cf. 28,17-21. v. 15 « *Fecerunt in rationali et catenulas sibi invicem cohaerentes, de auro purissimo* » (cf. 28,22), v. 16 « *et duos uncinos* » (cf. 28,13) « *totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis* »; v. 17 « *e quibus penderent duae catenae aureae, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant* ». v. 18 « *Haec et ante et retro ita conveniebant sibi, ut superhumerale et rationale mutuo necterentur* », v. 19 « *stricta ad balteum et annulis fortius copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent et a se invicem moverentur, sicut praecepit Dominus Moysi* ». Cf. 28,23-28. Quae autem 28,29 sq. habentur, h. l. desunt.

γ. Tunica pontificis Ex. 39,20-24.

v. 20 « *Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam* », cf. 28,31 ; et *Hebr.* ex 28,32 inserit *opere textoris*. v. 21 « *Et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem* ». *Hebr.* propius accedit ad 28,32 : *Et capitium tunicae in medio eius, sicut apertura thoracis* (?) ; *ora erat margini eius in circuitu, ne rumperetur*. v. 22 « *Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo ac bysso retorta* » ; v. 23 » *et tintinnabula de auro purissimo, quae posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicae per gyrum* » ; v. 24 « *tintinnabulum autem aureum et malum punicum, [quibus ornatus incedebat pontifex], quando ministerio fungebatur, sicut praeceperat Dominus Moysi* ». Cf. 28,33-35. Quod sequitur 28,36 sqq. de lamina fronti pontificis imponenda, habes infra v. 29 sq.

δ. Tunica aliaeque simplicium sacerdotum vestes Ex. 39,25-28.

Quae 28,40 succincte enumerabantur, h. l. paucis describuntur. v. 25 « *Fecerunt et tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis eius* », v. 26 « *et mitras cum coronulis suis ex bysso* » ; sed *Hebr. : et tiaram* (pontificis, cf. 28,39) *byssinam, et decus tiararum* (sacerdotum ; pro מגבעית לתבארת, h. l. באדי המגבעת ; cf. *Chald.*) *byssinum ;* v. 27 « *feminalia quoque linea byssina* », *Hebr. e bysso retorta ;* v. 28 « *cingulum vero de bysso retorta, hyacintho, purpura ac vermiculo bis tincto, arte plumaria, sicut praeceperat Dominus Moysi* ».

ε. Diadema pontificis Ex. 39,29 sq.

v. 29 « *Fecerunt et laminam sacrae venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario : Sanctum Domini* » ; v. 30 « *et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut praeceperat Dominus Moysi* ».

j. Opus universum Moysi oblatum et ab eo benedictum Ex. 39,31-43.

Traduntur tandem omnia Moysi, brevi rursus catalogo recensita. Ubi illa, *perfectum* esse omne opus (v. 31), *vidisse* Moysen omnia esse completa, ac tandem populo *benedixisse* (v. 43), allusionem aliquam videntur habere ad Cosmogoniam Gen. 1. v. 31 « *Perfectum est igitur omne opus tabernaculi et tecti testimonii* », — *Hebr. habitaculi tabernaculi*

testimonii — « *feceruntque filii Israel cuncta, quae praeceperat Dominus Moysi* ». v. 32 « *Et obtulerunt tabernaculum et tectum* » — sed *Hebr. : Et obtulerunt habitaculum Moysi*, quam universalem expressionem excipit enumeratio partium : *tabernaculum et omnia vasa eius, annulos eius et trabes eius*, ubi voces קרסיו קרשיו imprimis ob formae similitudinem iunguntur inter se — « *et universam supellectilem, annulos, tabulas, vestes, columnas ac bases* », v. 33 « *opertorium de pellibus arietum rubricatis, et aliud operimentum de ianthinis pellibus* », v. 34 « *velum, arcam, vectes, propitiatorium* », v. 35 « *mensam cum vasis suis et propositionis panibus* », v. 36 « *candelabrum, lucernas et utensilia earum cum oleo* », v. 37 « *altare aureum et unguentum et thymiama ex aromatibus* », v. 38 « *et tentorium in introitu tabernaculi* », v. 39 « *altare aeneum, retiaculum, vectes et vasa eius omnia : labrum cum basi sua ; tentoria atrii et columnas cum basibus suis* » ; v. 40 « *tentorium in introitu atrii funiculosque illius et paxillos. Nihil ex vasis defuit, quae in ministerium tabernaculi et in tectum foederis iussa sunt fieri* ». *Hebr.* pergit in eadem constructione, generali expressione claudens enumerationem : *omnia vasa cultus habitaculi, pro tabernaculo testimonii*. v. 41 « *Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in sanctuario, Aaron sc. et filii eius* », v. 42 « *obtulerunt filii Israel, sicut praeceperat Dominus* ». v. 43 « *Quae postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis* ». *Hebr. : Et vidit Moyses omne opus, et ecce fecerant illud, sicut mandaverat Iahve : et benedixit eis Moyses.*

2. *Sanctuarii erectio* Ex. 40.

Arg. — Divinum v. 1-14 enarratur erigendi sanctuarii et consecrandorum sacerdotum mandatum, quod, quo tempore editum sit, non edocemur. v. 15-31 erectum narrat sanctuarium. v. 32-36 nubem sanctuario incubantem demonstrat.

Cap. XL. Res v. 1-8 enumerantur, quo ordine erigendae vel inferendae erant : tabernaculum, arca, velum tabernaculi interius, mensa propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, velum tabernaculi exterius, altare holocaustorum, labrum aeneum, atrium atriique velum. Omnibus suis locis dispositis, unguntur res et etiam sacerdotes v. 9-13.

v. 3 omnes legunt פרכת *velum*, exceptis *Sam.* et *Ps. Ion.* כפרת *propitiatorium*. Voces sunt inter se simillimae. Tamen priorem lectionem confirmat v. 19 (21), ubi omnes habent פרכת, v. 18 (20) autem כפרת. Ergo v. 3 propitiatorii non habetur mentio, sed illud voce *arcae*, inclusum subintelligitur. Ubi primum arca, utique pro-

pitiatorio operta, in loco suo erat collocata, velo interposito ab hominum obtutibus removebatur.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Mense primo, prima die mensis* », « anno ab egressu ex Aegypto fere completo, demptis quatuordecim diebus » (*Bonfr.*), « *eriges tabernaculum testimonii* ». v. 3 « *Et pones in eo arcam, dimittesque ante illam velum* » v. 4 « *et, illata mensa, pones super eam, quae rite praecepta sunt* ». *Hebr.* : *instrues instructionem eius;* quod recte *LXX* explicant *proponeS propositionem eius*, propositionis panes in mensa dispones. « *Candelabrum stabit cum lucernis suis* », v. 5 « *et altare aureum, in quo adoletur incensum, coram arca testimonii* ». Verbis transitivis Hebr. loquitur : *et pones in eo candelabrum, et elevabis lampades eius, et collocabis altare etc.* « *Tentorium in introitu tabernaculi pones* », v. 6 « *et ante illud altare holocausti* » *pones, ante ostium habitaculi tabernaculi conventus;* v. 7 « *labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua* ». v. 8 « *Circumdabisque atrium tentoriis et ingressum eius* ». Cf. *Hebr.* v. 9 « *Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum* » *omnibus* « *vasis suis, ut sanctificentur* ». *Hebr.* : *et sanctificabis illud cum omnibus vasis suis, et sanctum erit.* v. 10 « *Altare holocausti et omnia vasa eius* » *unges, et sanctificabis altare, et erit altare sanctum sanctorum,* cf. 30,26 sqq.; v. 11 *et unges* « *labrum cum basi sua* » *et sanctificabis illud.* Quae ex Hebr. supplevimus verba tandem sequenti formula *Vulg.* reddit : « *omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum* ». Ad sequentia cf. 29,4-9. v. 12 « *Applicabisque Aaron et filios eius ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua* » v. 13 « *indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi.* ». Sed *Hebr.* unctionem Aaron ab unctione filiorum discernit : *et indues Aaron sanctis vestibus et unges eum et sanctificabis eum, ut sacerdotio fungatur mihi; et filios eius applicabis et indues tunicis et unges eos, sicut unxisti patrem eorum, ut sacerdotes sint mihi, et erit, ut sit ipsis unctio eorum in sacerdotium sempiternum in generationibus suis;* seu, quod habet *Vulg.* : « *et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat* ». E textu hoc solo non satis perspicitur, an unctio in singulis generationibus fuerit repetenda, an semel data Aaroni et filiis usque perseveraverit. Monet *Dillm.*, sacerdotium h. l. e sola unctione, 29,9 potius e vestium collatione repeti : respondeas, eundem ritum concipi posse mox ut unctionem, aliis tamen ceremoniis vestitam, mox ut vestium sacrarum impositionem, adnexam habentem unctionem. Ceterum sacerdotum consecratio h. l. per transennam attingitur, fusius describenda Lev. 8 sq. v. 14 « *Fecitque Moyses omnia, quae praeceperat Dominus* ».

v. 15 « *Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum* ». v. 16 « *Erexitque Moyses illud, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas* », v. 17 « *et expandit tectum super tabernaculum* », — *Hebr. : tabernaculum super habitaculum :* compacto e tabulis habitaculo, supra illud expandit tabernaculum — « *imposito desuper operimento* », quod 26,7-14 describebatur, « *sicut Dominus imperaverat* », quae formula inde a v. 15 septies adnectitur (*Dillm.*). v. 18 « *Posuit et testimonium in arca* », « legis tabulas » (*Bonfr.*), « *subditis infra vectibus, et oraculum desuper* ». Adnotat *Cai.,* neque ubi confectum narretur tabernaculum, neque ubi collocari iubeatur, mentionem haberi propitiatorii aut Cherubim, indeque perspici non omnia in s. textu exprimi. Reticentur haec etiam fortasse ob reverentiam, futurum quippe erat propitiatorium sacrosanctus numinis thronus; neque Cherubim fictarum imaginum mentio repetebatur. v. 19 « *Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini iussionem* » (cf. v. 3). v. 20 « *Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum* », v. 21 « *ordinatis coram propositionis panibus, sicut praeceperat Dominus Moysi* ». v. 22 « *Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensae in parte australi* », v. 23 « *locatis* [*per ordinem*] *lucernis iuxta praeceptum Domini* ». v. 24 « *Posuit et altare aureum sub tecto* », i. e. tabernaculo, « *testimonii contra velum* », v. 25 « *et adolevit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi* ». v. 26 « *Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii* », v. 27 « *et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum et sacrificia, ut Dominus imperaverat* ». v. 28 « *Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua* » ; v. 29 « *laveruntque Moyses et Aaron ac filii eius manus suas et pedes* », v. 30 « *cum ingrederentur tectum foederis et accederent ad altare, sicut praeceperat Dominus Moysi* ». v. 31 « *Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris, ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia perfecta sunt* », — *Hebr.* absolute : *et perfecit Moyses opus. Masor.* signant paraschaṃ minorem.

Perfectum opus, quale a Domino fuerat mandatum, approbat Deus v. 32 : « *operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud* ». Non est ratio duplicis cum *Cai.* portenti distinguendi, ut nubes tabernaculum involverit extrinsecus, fulgida lux impleverit intrinsecus : sed idem est *gloria,* quod *nubes.* Vere tamen idem auctor monet, portentum hoc fuisse eius « divinae praesentiae signum », quam Deus populo 25,8. 22; 29,43 sqq. promiserat, sed post adora-

tum vitulum aureum 33,3 revocaverat. Vere *Bonfr.* nubem ait e minore illo 33,7 sqq. tabernaculo in novum nunc tabernaculum transmigrasse, quo « prodigio ostendit sibi Deus placere tabernaculum recens constructum, in eoque velle habitare ». v. 33 « *Nec poterat* » (cf. 3 Reg. 8,10 sq.) « *Moyses ingredi tectum foederis, nube operiente* [*omnia*] *et maiestate Domini coruscante* », — *Hebr.* uti v. 32 *implente habitaculum* — « [*quia cuncta nubes operuerat*] ». Monet *Bonfr.*, illud *nec poterat* idem sonare atque *non audebat*, non agi de physica impossibilitate : si conferas 19,20, suspicaberis Moysen primum ingredi non esse ausum, postea « vocante Deo » sumpsisse animum.

Descripta nubis post completum sanctuarium apparitione, eius postmodum perpetuum officium declaratur. v. 34 « *Si quando nubes tabernaculum deserebat* », — *Hebr.* : ab illo *elevabatur* — « *proficiscebantur filii Israel per turmas suas* » ; sed *Hebr.* eandem atque v. 36 expressionem habet *per cunctas stationes suas* ; v. 35 « *si pendebat desuper* », — *Hebr.* : *si non elevabatur* — « *manebant in eodem loco* ». v. 36 « *Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas* ».

3. *Thora sacrificiorum* Lev. 1-7.

Secundum Ex. 40,12 sq. erectionem sanctuarii debebat excipere narratio consecrationis Aaron Lev. 8 sq. : inseruntur vero Lev. 1-7 varia *de sacrificiis* documenta. Saltem ad cap. 1-3 referuntur verba 1,1 prolocutum ea esse lahven « de tabernaculo testimonii », sane non de veteri tabernaculo Ex. 33,7 sed de novo Ex. 40 erecto : pro novi quippe tabernaculi cultu hae sacrificiorum leges h. l. inseruntur; credideriмque a Moyse promulgatas esse ante Aaronis consecrationem, quod in ea plura secundum ritum ib. traditum essent offerenda sacrificia. Merito igitur affirmat *Sylv.*, cap. 1-3 immediate continuare libri Exodi narrationem. Libri ideo divisi sunt, inquit *Hesych.* (*M.* 93. 793), « ne fastidium legentibus libri faceret amplitudo ». Certe utriusque libri narratio continua est. Sed non est ratio verborum 1,1 ad sola cap. 1-3 restringendorum. Eodem tempore, licet successivis eloquiis, credideriм promulgatum esse 4,1-5,13 de sacrificio pro peccato, cum 9,8 habeatur sacrificium pro peccato pontificis (cf. 4,3); itemque 6,8-7,38, quod esset fere de rebus inde a primo die quotidie observandis. Reapse, in tota thora Lev. 1-7 non est quidquam, quod non convenientissime asseratur inter sanctuarii aedificationem et Aaronis consecrationem a Deo per Moysen esse promulgatum. Imo idipsum videntur

enuntiare verba 7,38 thoram concludentia, omnes leges Lev. 1-7 latas esse a Iahve in monte Sinai, « quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Iahve in deserto Sinai ». Eiusmodi generale mandatum praecise tum promulgavit Deus, quando novo exstructo sanctuario iugem in illo cultum instituit.

Dicimus hanc thoram tum *nomine Iahve promulgatam* esse, non negamus eius initia esse aevo Moysis longe antiquiora. Sc. ante Moysen non erat lex ceremonialis ab ipso Deo lata, sed ritus sacros patriarchae, Deo utique providente sed non revelante, instituerant; has religionis primitivae cultores observaverant; easdem gentes, ubi a religione primitiva paulatim ad superstitionem et idololatriam deflexerant, partim retinuerant, partim deformaverant. Hos ritus, qui apud Hebraeos quoque perseveraverant, sed quibusdam fortasse superstitionibus (cf. Ios. 24,2. 14 sq.) fuerant foedati, iam Moyses collectos et expurgatos nomine Iahve promulgat, e lege humana in legem divinam mutat.

Quare ne mireris, in his ritibus reperiri plura, quae aliarum antiquarum gentium ritibus consonent : iidem sc. ritus, origine puri et sancti, et apud gentem electam et apud reliquas gentes sacri erant.

Eloquia divina (« Locutus est Iahve etc. ») numero sacro habes ter tria seu *novem*, longiora et breviora. Quorum quatuor Moyses proloqui iubetur « ad filios Israel » (Lev. 1-3; 4,1-5,13; 7,22-27. 28-36), duo « ad Aaron et filios eius » (6,8-18; 6,24-7,21), dum tria nemini inscribuntur, erant tamen Moysi utique proloquenda ad eosdem, ad quos eloquium immediate praecedens dirigebatur. Ergo 5,14-19 et 6,1-7 ad filios Israel, ad quos sermo de sacrificiis pro delicto aeque atque praecedens sermo 4,1-5,13 de sacrificio pro peccato dirigatur oportet, et 6,19-23 ad sacerdotes, quorum quotidianam definit oblationem. Habes igitur eloquia quatuor 1,1-6,7 ad populum, et eloquia tria 6,8-7,21 ad sacerdotes directa, ergo eloquia numero rursum sacro omnino *septem;* quibus accedunt 7,22-36 eloquia duo rursum ad populum directa, sed quae appendicum rationem obtinere infra ostendemus. Habentur igitur duae *eloquiorum series*, una ad populum (1,1-6,7) et altera ad sacerdotes directa (6,8-7,21), uti, quod mox demonstrabimus, habentur duae *legum series* suis initiis distinctae.

Legum quidem numerus non est idem atque eloquiorum, cum primum eloquium tres leges (cap. 1, cap. 2, cap. 3) complectatur, eloquium quintum duas (6,8-13. 14-18), et eloquium septimum tres (6,24-30; 7,1-10. 11-21), suis initiis distinctas, dum appendices 7,22-36 ab eiusmodi formulis non ordiuntur.

Leges priores (excepta 3,1) ordiuntur formula נפש כי, « Si quis » (2,1; 4,2; 5,1. 15; 6,2) vel אדם כי (1,2), dum subordinata orationis membra voce אב inchoantur (1,3. 10. 14; 2,14; 3,6. 12; 4,3. 13. 27), semel voce כי (2,4) et semel voce אשר (4,22). Leges posteriores praefixam habent (6,9. 14. 25; 7,1. 11) expressionem זאת תורת, « Haec est lex », semel (6,20) זאת קרבן האהרן, « Haec est oblatio Aaron ». Formula conditionata non singularum legum initiis semel tantum adscribitur, sed 5,1. 2. 4, ubi tria peccata efferuntur, scribitur ter; 5,15. 17 item bis; ita ut ea universim numero sacro legatur *novies*. Formula item praeceptiva, cum in subscriptione generali 7,37 sq., quae Moyse utique non est antiquior, repetatur, numero item sacro habetur omnino *septies* (6,8. 14. 20, 24; 7,1. 11).

Porro, si duas illas legum series conferas inter se, deprehendes sacrificia utrobique eodem se ordine excipere : holocausta, minchas, sacrificia pro peccato et pro delicto. Quam tamen *symmetriam* pacifica perturbant, cum priori seriei mediae inserantur, posteriori ad calcem adiiciantur. Insignis praeterea symmetria in *clausulis* paragraphorum deprehenditur.

In priore serie habentur clausulae duae, quarum una sacrificii *genus*, altera *sacrificii speciem* exprimit. Formula sc. אשה ריח ניחוח ליהוה, « combustio suavis odoris Iahve » (1,9. 13. 17; 2,2. 9. 16; 3,5. 16), seu formula brevior אשה ליהוה, « combustio Iahve » (3,11), singulis paragraphis legis holocaustorum, mincharum et etiam pacificorum adscribitur, non vero legi sacrificiorum pro peccato et delicto, licet in his sacrificiis eaedem victimae partes atque in pacificis *comburerentur*. Omissionis rationem cernimus in structura Lev. 3 eadem atque Lev. 1 sq., tria quippe haec capita varias ex ordine victimarum seu oblationum species pertractant, dum structura 4,1-5,13 primitus erat prorsus diversa (v. infra). Ceterum cum etiam effectum omissio nanciscitur, ut illa formula iam legatur numero sacro *novies* (=3 × 3). — Altera formula sacrificii speciem exprimens *ternariis* distributa conspicitur, ergo rursum numeris sacris. Singulis holocaustorum speciebus adscribuntur 1,9 (*Sam.*). 13. 17 verba עולה הוא, « Hoc est holocaustum »; singulis mincharum speciebus 2,1. 6. 15 מנחה הוא, « Haec est mincha »; pacificis nihil adscribitur, licet singulis paragraphis merito affingi potuerit formula שלמים הוא, « Hoc est sacrificium pacificum »; sacrificiis vero pro peccato formula חטאת הוא, « Hoc est sacrificium pro peccato », nequaquam extremis quibusque paragraphis (non 4,12. 35), sed ter tantum (4,21. 24; 5,12) adscribitur. In brevi 5,14-19 de sacrificiis pro delicto tractatu non erat formulae אשם הוא, « Hoc est sacrificium pro delicto », *ter* repetendae locus; sed semel 5,19 scribitur formula *ter* vocem אשם habens : אשם הוא אשם אשם ליהוה, « Hoc est sacrificium pro delicto : delinquendo quippe deliquit quoad Iahve ». Vides, quam studiose ubique numeri sacri observentur. — Duae, quas recensebamus, clausulae id certe efficiebant ut, quid sacrificii nomine veniret, accuratius circumscriberent. Cum enim varii illi religionis actus non uno omnes tempore videantur esse invecti, idque non divina auctoritate sed humano usu, poterant aliqui ante Moysen ab omnibus agnosci esse sacrificia, alii non. Minime ante Moysen videtur apud omnes constitisse, mactationes quaslibet boum, ovium aut caprarum debere esse sacras, seu omnia שלמים esse sacrificia. Definiunt porro illae clausulae, non sola holocausta et minchas, sed victimas item pacificas, pro peccato et pro delicto veri nominis esse sacrificia. Unde intulerim illas clausulas, si non omnes at

certe earum aliquas, ipsis legibus esse recentiores : prius quippe lex fertur, postea accuratius definitur.

Convertimur ad alteram legum seriem, quae habet clausulam קדש קדשים הוא, « sacrosanctum est istud ». Ea refertur ad eas sacrificiorum partes, quae solis sacerdotibus cedebant. Cuiusmodi non erant in holocaustis neque in mincha quotidiana sacerdotum (6,19-23), quae tota comburebantur ideoque hac formula non insigniuntur. Adscribitur ea semel minchae quotidianae populi, bis sacrificiis pro peccato, item bis sacrificiis pro delicto (6,17. 25. 29; 7,1. 6). Non poterat adscribi pacificis 7,11-21, quorum carnes etiam a laicis hominibus manducabantur ideoque non erant « sacrosanctae ». Ergo formulae vix saepius quam *quinquies* in secunda serie scribendae locus erat. Adscribitur ea quidem bis in priore serie minchis (2,3. 10), forma parum mutata קדש קדשים מאשי יהוה. Tamen id fortuitum esse potuit, neque audemus affirmare eam etiam formulam septies, i. e. numero sacro, textui distinguendo esse adhibitam. Efficit ea, ut neque sacerdotes aequo plus sibi arrogent, neque non sacerdotes sacrosancta usurpent. Suggerebamus, Moysen, dum antiquas leges nomine Iahve colligeret, easdem simul expurgasse. Cuius rei h. l. habetur fortasse exemplum. Etenim veri simillimum est, sacerdotes praemosaicos a superstitione ad rapinam progressos (cf. 1 Reg. 2,12 sqq.) plus aequo sibi de victimarum carnibus arrogasse, quam praxin tacite h. l. Moyses correxerit.

Sane *numeri sacri*, quos supra deprehendebamus (in numero eloquiorum, in legum inscriptionibus et clausulis), nequeunt supponi casu omnes in textum irrepsisse; neque superstitione aliqua, sed sapienti consilio textui adhibiti fuere. Quo tempore pauci admodum legendi artem callerent, textus sacri e memoria potius quam e scripto recitarentur, praefixa illa et affixa, formulae et clausulae, certo ordine insertae, certis numeris usque potissimum sacris repetitae, plurimum *memoriam* iuvabant in sacro textu accurate recitando. — Crediderim equidem hos numeros sacros non tot, quot nunc in textu leguntur, in ipso iam sermone Iahve Moysen alloquentis adfuisse, sed partim certe ad eum, quem dicebamus, finem ab aliquo, fortasse ab ipso Moyse, textui esse adhibitos. Dubitaverit quis, an ipse Deus, alio a priore alloquio diverso sermone Moysen alloquens, artificiose dictis inseruerit clausulas 4,21 etc., quibus ea, sed specie tenus solummodo (v. infra), viderentur diversas ex ordine victimas uti in priore eloquio pertractare. Quis demonstrabit, debuisse Moysen divina effata, imprimis ea quae longiora erant, nullo mutato verbo scriptis mandare? Quis ei vitio vertat, quod formulam aliquam, qua Deus vere usus fuerat, iteret ad distinguendum textum recitantiumque memoriam iuvandam?

Tempus est, ut ab hisce legum additamentis ad ipsas *leges* convertamus animum. Ubi axioma ut nobis concedatur postulamus, quod ex his quidem legibus satis probabiliter eruitur, at ex Lev. 11 sqq. firmius tandem stabilietur : ita has antiquas leges augeri consuevisse, ut, quae addenda deinceps viderentur, non textui legis insererentur, sed eidem extremo adscriberentur. Ipsa lex sacra habebatur, quam attingere nefas esset. Id in his quoque legibus universim servabatur, licet ob rationem superius statutam Moyses in his legibus liberiore etiam calamo quaedam mutaverit.

Igitur *prioris seriei* lex prima de *holocaustis* Lev. 1 omnino est una,

varias ex ordine *victimas* recenset: boves, oves vel capras, aves. Eodem ordine procedit lex de *minchis* Lev. 2, recensens similam crudam, opus pistorium, primitias frugum. Tamen ante primitias inseritur v. 11-13 monitum, quod non solum opus pistorium sed *omnem* mincham respicit, de fermento, et melle a sacrificiis excludendis, sale vero semper adhibendo. Si advertas porro, azymorum religionem Moyse antiquiorem esse non demonstrari, assidue vero ab eodem inculcari, poteris defendere legem de minchis primitus duas solum novisse oblationes, similam crudam opusque pistorium; ei legi Moysen monitum adscripsisse v. 11-13 de fermento etc.; tandem tamquam tertium minchae genus subiecisse frugum primitias v. 14-16, quarum oblatio fortasse eousque a pluribus haberetur donarium (v. 12) potius quam sacrificium; quam opinionem eo etiam confoderit Moyses, quod v. 15 formulas adscripserit: « Haec est mincha ».

Progredimur ad *sacrificia pro peccato* 4,1-5,13, quae pericope e duabus utique legibus primitus distinctis coaluit. Lex cap. 4 non victimarum sed *peccantium* ordinem sequitur: pontificis, populi, principis, plebeii. Lex 5,1-13 neutri ordini adhaeret, sed agit de tribus *peccatis*, quae praeter victimam luenda sint confessione. Crediderim has leges primitus a legibus de holocaustis et minchis exstitisse distinctas et separatas. Licet vero non victimarum potissimum ordinem illae leges sequerentur, erat tamen in illis etiam victimarum discrimen, ut pontificis populive peccatum vitulo, principis peccatum hirco, plebeii peccatum illaque tria peccata capra aut ove luerentur. Offerebatur hic occasio harum legum legibus Lev. 1 sq. conformandarum, adscripta 4.21. 24 et 5,12, minime vero 4,12. 31. 35, formula « Hoc est sacrificium pro peccato ».

Dubitari potest, utrum tota simul nata sit pericope 5,1-13, an non potius v. 7-13, qui indulgentiam *pauperibus* concedunt, ei postea accreverint: consuevere primum decerni poenae generales, dein pro pauperibus reperiuntur esse graviores. Nota etiam alias pauperibus concedi indulgentias (cf. p. 23), et recole leges Ex. 21,1-11. 26 sq.; 22,25-27; 12,48 et, quae p. 12 dicebamus de rationibus, quas ipse Moyses habebat, pauperum sibi devinciendorum.

Una erat *sacrificiorum pro delicto* victima, aries; iis igitur ad calcem sacrificiorum pro peccato adscriptis, continuabatur illa, quae clausulis 4,21. 24; 5,12 artificiose in textum fuerat introducta, ratio variorum sacrificiorum recensendorum ordine victimarum seu oblationum. Ceterum videtur primum exstitisse sacrificiorum pro delicto una brevis lex 5,14-19, suam solemnem v. 19 habens clausulam, eademque legis 5,1-6 perquam affinis. Statuebat ea pro quibusdam in

sacris delictis, praeter victimam, etiam restitutionem seu mulctam. Visa postmodum est similis lex statuenda de quibusdam in profanis delictis; quare ad calcem adscribebatur 6,1-7, nulla addita clausula.

Quaeres, cur victimis pro peccato et pro delicto non fuerit adscripta formula « combustiones etc. », quarum tantum quantum pacificorum in altari cremaretur; et cf. 4,31. Fortasse, qui has leges in unum collegit, ea traditi textus reverentia tenebatur, ut non plura adiiceret, quam quae memoriae recitantium iuvandae sufficerent.

Venio tandem ad ea, quae modo transmittebam, *pacifica* Lev. 3. Recensentur ex ordine victimae : bos, ovis, capra, adamussim uti Lev. 1 sq.; singulis paragraphis item adscribitur formula « combustiones etc. ». Uti 2,11-13 Moysis, quod crediderim, manu adscribebatur monitum de fermento etc., ita 3,16 sq. adscribitur monitum de adipe et sanguine Iahve reservandis (cf. Gen. monitum 9,4). Quod rursum est e numero eorum, quae Moyses saepe inculcat. Sane, si has leges Moyses non antiquitus traditas collegisset, sed primus ipse scripsisset, ea quae sibi prae ceteris cordi erant (2,11-13; 3,16 sq.), non temere veluti orationi assuisset, sed totam orationem ita disposuisset, ut principem illis locum assignaret. — Dum autem in aliis Lev. 3 imitatur Lev. 1 sq., tam a praecedentibus quam a sequentibus discrepat eo, quod non ordiatur a vocibus זבח כי vel similibus, neque adscriptam habeat formulam זה שלמים, « Hoc est sacrificium pacificum ». Illud inde fluxerit, quod noluerit, qui has leges colligebat, earum expressionum numerum sacrum obscurare : essent enim decem, non novem numero, si 3,1 ea expressio legeretur. Alterum discrimen inde explico, legem Lev. 3 primum exstitisse a Lev. 1 sq. separatam, eaque tum clausula caruisse. Quam is, qui has leges in unum compegit, reverentia textus traditi non adscripsit. Cur vero idem legem Lev. 3 inseruit ante, non post leges de sacrificiis pro peccato et pro delicto? Fortasse quod, exceptis duobus quae supra notabamus, eius legis structura adamussim imitaretur structuram legum Lev. 1 sq., quam non ita imitarentur leges 4,1-6,7.

Ergo documentum Lev. 1, 1-6, 7 his fere coniiciat quis incrementis gradatim esse auctum. Concrevere primum lex de holocaustis Lev. 1 et lex de minchis brevior 2,1-10. Quibus adscriptum 2, 11-13 fermenti vetitum, ac rursum v. 14-16 oblatio primarum frugum tamquam tertia mincharum species. Toti huic de holocaustis et minchis tractatui addita porro est lex de pacificis Lev. 3, iam antea exsistens iamque adnexam habens v. 16 sq. adipis et sanguinis ad profanos usus prohibitionem. — Interim seorsim habebantur leges quaedam de sacrificiis pro peccato et pro delicto.

Lex Lev. 4 non victimarum (uti Lev. 1-3) sed peccantium sequebatur ordinem. Erat item altera lex 5, 1-6 de tribus peccatis adnexam habentibus confessionem, cui accreverat v. 7-13 duplex pauperibus concessa indulgentia, qua victimam minoris pretii proferre permittebantur. Erat tertia lex brevior 5, 14-19, eius quae immediate praecedebat (v. 1-6) haud absimilis, de sacrificiis pro delicto. Hae tres leges (4, 1-5, 19) dispositis formulis 4, 21. 24; 5, 12. 19 ita simul uniebantur et distinguebantur, ut ipsae quoque, similiter atque Lev. 1-3 diversis victimis seu oblationibus enumerandis accommodari viderentur, ac tandem cum tractatu de holocaustis, minchis et pacificis (Lev. 1-3) in unum documentum congerebantur. Legi 5, 14-19 de delicto in re sacra commisso visa est adnectenda altera 6, 1-7, fortasse traditione accepta, de delicto commisso in re non sacra. — Leges has vix non omnes concesserim Moyse fuisse antiquiores; eundem Deo adspirante eas in unum collegisse, aut certe eis colligendis ultimam manum admovisse; ipsi imprimis adscripta tribuerim 2, 11-13; 14-16; 3, 16 sq. et formulas 4, 21. 24; 5, 12. 19 aut omnes aut aliquas. Plura fortasse, quae iis legibus in Aegypto accreverant, quod minus sancta essent, expunxit. In textu cultum divinum proxime attingente substituit nomen Iahve nomini divino antiquiori, pro « sacerdotes » saepe scripsit « filii Aaron ». Unum liceat notare, quamvis an quidquam inde consequatur non videam, expressionem « filii Aaron » ab universo tam 4, 1-6, 7 quam 6, 24-7, 10 sermone de sacrificiis pro peccato et pro delicto exsulare, excepto ultimo versu 7,10, cuius ultima verba a Moyse vel ab alio adscribi potuere.

In *secunda serie* habentur ternarii legum duo 6,8-23 et 6,24-7,21 et duo appendices 7,22-36 cum subscriptione 7,37 sq.

Ternarius primus est de *sacrificio quotidiano* : holocausto 6,8-13; mincha populi 6,14-18; mincha sacerdotum 6,19-23. Non intendit hic ternarius, quod alter ternarius habet, quid eius sacrificii sacerdotibus obtingat recensere, cum id perquam exiguum sit (6,16), in holocausto autem praecise illud unum, pellis (7,8) omittatur, quod sacerdotem contingebat. Ternarius priores leges, etiam Ex. 29,38 sqq. supponit, non repetit; supplet autem pro sacerdotibus quaedam : holocaustum et ignem esse perpetuum; minchae communis quid comburatur, quidve sacerdotibus cedat; quam mincham sacerdotes ipsi persolvere debeant.

Nihil haec series de aliis holocaustis et minchis, praeter quotidiana, habet, sed illico *ternario secundo* de reliquis sacrificiorum classibus agit : de sacrificio pro peccato 6,24-30, de sacrificio pro delicto 7,1-10, de sacrificio pacifico 7,11-21. Eiusmodi certe non iubebantur offerri *quotidie*. Quae priore serie de his sacrificiis tradebantur, h. l. supponuntur, non repetuntur. Tamen pro sacrificiis pro peccato et pro delicto *locus*, ubi immolentur, accuratius definitur (6,25; 7,2; cf. 4,4.

14. 24. 29. 33), non vero locus sacrificii pacifici (cf. 3,2). Sacrificii pro delicto *ritus* 7,1-5. 7 describitur, qui 5,15 sqq. vix attingebatur. Potissimum hae leges in eo sunt, ut eorum sacrificiorum *sanctitatem* inculcent; ea vero sanctitas illud imprimis efficit, ut victimarum pro peccato et pro delicto certae partes solis sacerdotibus obtingant. 6,25. 29 et 7,1.6 textus formula « sacrosanctum est » inchoatur et clauditur.

Thorae pacificorum 7,11-21 adnectuntur *appendices* duae. Sermone sc. habito de pacificis, quorum pars maxima a fidelibus comedebatur, redit oratio 7,22-27 ad vetitum comedendi adipis et sanguinis, non tamen pacificorum tantum. 7,28-36 recenset eas pacificorum partes, quae sacerdotibus omnibus et sacerdoti sacrificatori obtingant, tamquam *donum* eius, qui victimam produxit. Subscriptio 7,37 sq. certe affirmat, totam Thoram Sacrificiorum a Moyse adspirante Deo esse promulgatam.

Habuerintne Hebraei in Aegypto sacrificium quotidianum ignemve perpetuum, ignoramus. Aliquid nomine etiam suo sacerdotes ad sacrificia contulisse, satis probabile est, uti etiam de oblationibus aliorum eos aliqua sibi vindicasse; erat quippe justum, ut qui pro aliis in altari sacra faceret, de altari etiam viveret. De oblationibus populi crediderim aequo plus illos sibi haud raro arrogasse. Ergo hujus secundae seriei longe plura, quam prioris, credendus est Moyses de novo statuisse. Series uno calamo scripta deprehenditur : partes non, uti prioris seriei partes, sunt invicem assutae; non habentur inserta additamenta, uti 2, 11-13, et 3, 16 sq.; sed appendices extremae legi, quam unam spectant, adscribuntur. Ipsa sex legum inscriptio « Thora » his legibus auctoritatem vindicare videtur eam, quam prioris seriei leges e veneranda traditione, etiam sine inscriptione, nanciscebantur. Tandem, quod tota altera series priorem supponat ejusque sit *complementum*, id serius natam esse prodit.

Thorae Sacrificiorum series prior Lev. 1,1-6,7.

a. Leges de holocaustis, minchis, pacificis Lev. 1-3.

Putat *Dillm.* cap. 1 et 3 primitus individue cohaesisse, unum fuisse de sacrificiis *cruentis* tractatum, cui cap. 2 postmodum fuerit *insertum*. Verum sacrificiorum incruentorum longe frequentiorem antiquitus fuisse usum, suo loco ostendemus: sacrificiorum igitur incruentorum tractatus non in secundum locum serius irrepsit, sed dignitatis ordine sacrificia primitus recensebantur, ideoque sacrificio incruento medius locus tribuebatur.

Textum esse recusum atque ideo (?) cap. 2 serius esse insertum inde etiam infert *Dillm.*, quod a tertia verbi persona (v. 1 sq. 8) ad secundam (v. 5-15) fiat transitus.

Mutationis ratio haec assignari potest. Dum 1,2 scribebatur אדם vox generis masculini, 2,1 scribitur נפש, quae vox generis quidem est communis, sed frequentius genere feminino construi consuevit. Hinc 2,1. 4 habes verbum 3 pers. sing. fem. תקריב. At 3 pers. sing. fem. temporis imperfecti eiusdem omnino est formae atque 2 sing. masc. Pronum igitur erat, ut sequentibus a 3 pers. sing. fem. ad 2 pers. sing. masc. fieret transitus. Quod fieri potuit vel ab ipso primo legislatore vel a posteriore aliquo amanuensi. Minime indidem inferre fas est diversa in unum coaluisse documenta. — Urget *Dillm.*, tam 1,3 quam 3,1, post descriptum sacrificii nomen pergi adhibita praepositione מן, quae eadem 2,1 non habeatur. Respondeo, tam cap. 1 quam cap. 3 describenda fuisse victimarum diversa genera, idque fieri adhibita praepositione מן : מן הבקר etc. At sacrificia incruenta omnia e tenui farina סלת, sive cruda sive cocta, fiebant; ergo praepositioni non erat locus. — De formula אשה etc. v. p. 357; voci ריח 3,16 praefigitur ל.

α. Holocaustum Lev. 1.

Arg. — Lex enumerat diversas victimas modumque immolationis breviter recenset. Victima erit aut pecus v. 2 aut avis v. 14; si pecus, erit aut bos v. 3-9, aut ovis sive capra (צאן) v. 10-13; si avis, erit columba vel turtur v. 14-17. Singulae paragraphi v. 9. 13. 17 claudantur formula עולה היא, nam vox הוא cum *Sam. LXX* et quibusdam codicibus hebraeis, item cum *Ps. Ion.*, v. 9 omnino est restituenda. Victima semper est masculus, dum pacificorum victima femina etiam 3,1 admittitur.

« E *piscibus* nullus fuit ad eam rem assumptus, tum quod pisces communem cum hominibus vitam non agant, tum quod difficulter vivi ad templum immolandi adduci possent. Porro quinque illae animantium species ad usum sacrificiorum adlectae sunt, tum quod haec mansuetissima sunt animalia, tum quod minore difficultate haberi possint, tum quod maxime apta, ut essent rerum futurarum symbola, maxime vero Christi et passionis ipsius » (*Bonfr.*).

Cap. I v. 1 « *Vocavit autem Moysen et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens* » : — probabilius de propitiatorio (*Bonfr.*), id enim Ex. 25,22 Deus promiserat — v. 2 « *Loquere filiis Israel, et dices ad eos* » : — Populum alloquitur, quod sacrificii victimas, tempora, causas etc. ab omnibus sciri oporteat; nec officit, aliqua huic sermoni intermisceri, quae solos sacerdotes spectent — « *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, de pecoribus*, [*i. e.*] *de bobus et ovibus* » (צאן, quae vox capras includit) « *offerens victimas* ». Recte *Masor. Chald. LXX Syr.* sententiae distinguunt prodosin et apodosin. Sed *Masor. Chald.* voces *de pecoribus* ad apodosin trahentes ea, quae immediate sequuntur, fere cum *Vulg.* (« i. e. ») pro appositione accipere debent. At sic sententia evadit minus vera, cum praeter pecora aves etiam sacrificio adhiberi queant. Ergo cum *LXX Syr.* construe : *qui obtulerit*

ex vobis hostiam Domino de pecoribus, offerat hostiam suam de bobus et de ovibus (seu capris). Principium est generale, quod valet pro cuiusvis generis sacrificiis : pecora, praeter boves et oves (caprasve), ad sacrificium admittuntur nulla.

קרבן (etiam 2,1; 3,1) sonat *oblationem* et generatim designat omnis generis sacrificia; unde v. 3 dicitur : « si holocaustum fuerit eius oblatio ». *Sacrificii* natura h. l., uti in toto V. T., nota praesupponitur (*Dillm.*), cum inde ab Abelis aevo, et imprimis ante Moysen apud Hebraeos sacrificia haberentur. Sacrificium antiquitus vocabatur מנחה *donum* : Gen. 4,3-5; Num. 16,15; 1 Reg. 2,17; 26,19; attentis porro duobus supremis textibus, etiam 1 Reg. 2,29; 3,14 זבח ומנחה accipi potest tamquam ἓν διὰ δυοῖν sermone poetico usurpatum. Tamen iam Moysis tempore (cf. Lev. 2,1 et 3,1) מנחה sacrificiis potius incruentis designandis adhibebatur, dum cruenta scribebantur זבח (cf. *Knabenbauer* ad Mal. 1,10) et holocaustum עלה.

א. *Holocaustum bovis* Lev. 1,3-9.

v. 3 « *Si holocaustum fuerit eius oblatio* [*ac*] *de armento, masculum immaculatum* » (cf. Ex. 12,5), « *offeret ad ostium tabernaculi testimonii ad placandum sibi Dominum* ». *Hebr. : ad complacentiam sui coram Domino*, quae expressio eodem sensu atque Ex. 28,38 explicanda est, non vero cum *Cai.* : quocumque tempore ei placuerit. Conditio « Si holocaustum fuerit eius oblatio » respondet alteri 3,1 conditioni « Si hostia pacificorum fuerit eius oblatio » (cf. 2,1). Cui apte, inserta copula *ac*, adnexuit *Vulg.* voces *de armento*, quae alteram conditionem exprimunt priori subordinatam, et coordinatam conditionibus v. 10. 14. Cum קרב de se non significet *sacrificare*, et actio sacrificalis v. 5 recenseatur, ergo illud *offeret* idem est atque *adducet*. v. 4 « *Ponetque manum super caput hostiae* » (cf. Ex. 29,10. 15. 19), « *et acceptabilis erit atque in expiationem eius proficiens* ». Is moralis effectus impositarum manuum : quo ritu tradebatur hostia ab offerente, tradita autem fiebat *acceptabilis pro ipso ad expiationem ipsius*. v. 5 « *Immolabitque vitulum coram Domino* ». *Hebr. filium armenti*, ergo aut vitulum aut taurum (*Calm.*), sed utique animal masculum.

Sensu obvio idem immolat, qui manum capiti imponebat; idemque v. 6 animal excoriat (*Cai., Calm.*). Sacerdotum vero acta et verbis exprimuntur numero plurali, et subiectum enuntiatur v. 5. 7. *Ps. Ion.*, h. l. subiectum supplens, non scribit sacerdotem, sed *lanionem*. Habent quidem h. l. et v. 11; 4,24. 29. 33 *LXX* pluralem : sed lectio correctionem sapit, ignoratur a *Ios.* III. 9. 1 et a *Philone* (De Victimis § 5), qui subiectum supplet numero non plurali, sed singulari (τις τῶν ἱερέων). Non officit Ex. 29,11 (*Malc.*), ubi Moyses sacrificator victimam mactat : agitur quippe ibi de sacrificio omnino exceptionali. Cum enim secus vir unus victimam suppeditet, producat, ei manum imponat mortemque inferat, et alter vir sacerdos sanguinem altari aspergat ritumque compleat : ibi Moyses victimam suppeditat v. 1, producit

v. 10, mactat v. 11 et reliqua omnia peragit uno excepto, ut sc. Aaron et filii manus imponant. Neque officit, posteriori aevo 2 Par. 29,22. 24. 35 sacerdotes victimas mactasse : etenim, quod ibi de sacrificiis publicis traditur, non necessario idem de sacrificiis privatis affirmare oportet; potissimum vero potuit, quod etiam apud christianos factum est, lex ceremonialis decursu temporum fieri strictior. Proprium est ordinis sacerdotalis cuiusque, ut decursu temporum plura sibi reservet, quae laicis primitus licuissent. Oportet igitur interpretem valde caute uti testimoniis recentiorum V. T. librorum, et magis etiam Iosephi, in legibus Levitici explicandis.

« *Et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi* ». Hiphil verbi קרב eundem h. l. atque v. 3 sensum habeat oportet; ergo sanguis collectus (cf. 2 Par. 29,22; 30,16), utique « in vasis » (*Ps. Ion.*), non elevabatur (*Cai.*), sed afferebatur ad altare. v. 6 « *Detractaque pelle hostiae, artus in frusta concident* ». Ita *Sam. LXX* : sed reliqui verba habent numero singulari, quam lectionem confirmat v. 7 subiectum numero plurali *filii Aaron sacerdotis* explicite scriptum. Ex 2 Par. 29,34 illud indubie colligitur, potuisse etiam non sacerdotes decoriandis victimis adhiberi. v. 7 « *Et subiicient in altari ignem, strue lignorum* [*ante*] *composita* ». Infeliciter *Vulg.* vocem inseruit. *Hebr.* : *Et ponent filii Aaron sacerdotis ignem super altare, et ordinabunt ligna super ignem.* Ignis sc. sacer nunquam exstinguebatur, illi strues imponebatur et reliqua (*Calm.*). v. 8 « *Et membra, quae sunt caesa* », — *Hebr.* : *frusta* (v. 6) — « *desuper ordinantes, caput* [*videlicet*] *et* [*cuncta*], *quae adhaerent iecori* », v. 9 « *intestinis et pedibus lotis aqua* ». פדר 8,20 discernitur et a capite et a frustis : ergo merito a Rabbinis vertitur *adeps*. Adeps utique prope iecur reperitur, sed non ibi solum : iecur in textu non est. Pro *videlicet* melius scribebatur *etiam* (*Bonfr.*). Frustis universim expressis, recensentur ea, quorum subducendorum aliqua apparere potuit ratio : caput, quod Aegyptii a sacrificiis eximebant (*Herod.* II. 39; *Plutarch.* Isid. 31); adeps, quae nullius frusti videbatur necessaria pars, eratque ad usus profanos maxime in votis; intestina et crura a genibus ad pedes, quae, cum sordidiora ceteris essent, poterant religione quadam ab altari excludi (*Sylv.*). « *Adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino* ».

הקטיר, « dictio a thure quidem deducta, sed translata ad significandum cremare ad instar thuris » (*Cai.*), de quibusvis sacrificiis comburendis praedicari consuevit (cf. 2,2. 9; 3,5. 11; 4,10; 19,6. 8 etc.). Adiicitur המזבחה, *altare versus*, quod alias etiam legitur (v. 13. 15. 17; 2,2. 9 etc.); pro quo 6,8 scribitur המזבח, et 9,13. 17 על המזבח. Cf. *Dillm.* — *Hebr.* : adolebit *hoc totum*, etiam caput etc. Et adiicitur veluti ratio *holocaustum est* et, post hanc specialem capitis nostri clausulam, adscribitur clausula generalior *combustio Iahve* (oblata) *in odorem suavissimum*.

ב. *Holocaustum ovis vel caprae* Lev. 1,10-13.

v. 10 « *Quodsi de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret* », v. 11 « *immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem, coram Domino, sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron* » *sacerdotes* « *per circuitum* », v. 12 « *dividentque* » — *Hebr. Chald. Syr.* verbum scribunt numero singulari — « *membra, caput et* [*omnia*], *quae adhaerent iecori* » (cf. v. 8), « *et ponent super ligna, quibus subiiciendus est ignis* ». *Hebr.* uti v. 8 : *quae sunt super ignem, qui est super altare. LXX ponent sacerdotes; Hebr. Syr. ponet sacerdos; Sam. Chald. ponet.* v. 13 « *Intestina vero et pedes lavabunt aqua* ». *Hebr. Sam. Chald. Syr. lavabit.* « *Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino* ».

Merito advertit *Hesych.*, « eadem nunc paucis immutatis dici », quae v. 3-9 dicebantur de bobus. Omittitur illud de imponendis manibus (cf. *LXX*) et de excorianda victima, quae tamen h. l. etiam esse supplenda prudenter monent interpretes. Novum est illud, faciendam esse immolationem *ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem.* Sed e 4,24. 29. 33; 6,25 (18); 7,2 et imprimis e 14,13 efficitur, *eodem loco* immolandas fuisse omnes victimas pro peccato, ubi immolarentur holocausta, non utique solarum ovium et caprarum, sed cuiusvis generis. Ergo haec omnia immolabantur ad latus altaris septentrionale. De hostiis pacificis vide ad 3,2. Ratio porro, cur latus septentrionale assignetur, maxime obvia haec est, id fuisse commodius, et quidem ob causam ab *Hesych.* assignatam, sicut labrum aeneum, ita etiam holocaustorum altare non fuisse praecise e regione sanctuarii, eius accessum et aspectum obstruens, sed parum ad sinistram intuentis tabernaculum, i. e. austrum versus remotum. Ergo victimae e regione ipsius tabernaculi, *coram Domino* iugulabantur.

ג. *Holocaustum avis* Lev. 1,11-17.

v. 14 « *Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbae* » *offerat*, non de aliis avium speciebus. Sicut v. 5 *filius bovis* significat animal masculum, sed non necessario tenerae aetatis, ita h. l. *filius columbae* non necessario designat animal tenerae aetatis (*pullus*), sed utique designat masculum. *LXX* vocem omittunt. v. 15 « *Offeret eam sacerdos ad altare et, retorto* [*ad collum*] *capite* [*ac rupto vulneris loco*] » — Rabbinorum potius explicationem quam textum *Vulg.* reddit. *Hebr. : et avellet caput eius, adolebitque in altari.* Caput avulsum non abiicietur, sed cum reliquis (v. 13) incendetur.

מלק non est *retorquere* aut *partim avellere* (*Kn.*), ut caput adhuc cum collo co-

haereat, sed « *avellere* a reliquo corpore » (*Vat.*). Ita *LXX* ἀποκνίσει, *Ps. Ion.*; itemque *Syr.* usus verbo גילג, quod idem Deut. 23,25 (26) scribit pro hebraeo קטף. *rellere* : cf. Iob 30,4; Ez. 17,4. 22. Ex eo, quod Lev. 5,8 verbo מלק addatur *et non separetur*, inferre licet verbum de se non edicere partialem tantum avulsionem; secus enim illud additum abundaret. Solum, si plena h. l. avulsio intelligatur, intelligitur sequens incisum *adolebitque in altari*, utique non ante reliqua v. 17. *LXX* expressere actum, qui combustionem praecedere debet : ἐπιθήσει. *Syr.* verbum adhibet anceps וגסק, quod et *imponere* et *sacrificare* sonat.

« *Decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris* ». קיר est *murus*, ergo *paries* (*Chald.*), non vero *basis* (*LXX Vulg. Syr.*). Cum sanguis aviculae non sufficeret, qui toti (v. 5) altari per circuitum affunderetur, satis erat, ut alicubi in altaris latere decurreret (*Cai.*), atque ad eum finem *exprimebatur* (*Hebr.*). v. 16 « *Vesiculam vero gutturis et plumas proiiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent* ».

Duo versus habet ἅπαξ λεγόμενα. בראה *Vulg. LXX Chald.* intellexerunt *vesicam gutturis* seu *strumam*. Sed sola coniectura ea voci significatio affigitur. Columbae pleraeque exiguam habent vesicam, difficile avellendam; ea secus non adnumeratur animalis partibus minus puris, multoque minus fimum continet, si ita alteram vocem reddere placeat. Apud Chald. Deut. 32,33 בורא (Hebr. מוררה) designat *fel*; *Syr.* et *Targ. Hier.* h. l. קורקבנה *stomachus*, unde fortasse corruptione natum est *Ps. Ion.* וריקביה (?), eundemque sensum suggerunt *Aq.* τὴν σιτίζουσαν et *Symm. Theod.* τὴν φύσαν. Sane *stomachus* aut generatim *intestina* h. l. praetermitti in textu vix poterant. — נצה *LXX Vulg. Symm. Theod.* interpretabantur *plumam*, urgetque *Dillm.* debuisse victimae plumas ante sacrificium evelli; quodsi fiebat, potuit tamen h. l. silentio praeteriri, uti v. 11 excoriatio. *Cibum* vertere *Chald. Syr.*, hucque fortasse revocandum est *Ps. Ion.* לקטא i. e. id. quod colligitur, ergo *fimus*; et *Targ. Hier.* גמשא. — Verte igitur *intestina cum fimo suo*. Intestina vero haec non lavantur (cf. v. 9), sed, quod tam exigua sint, proiiciuntur.

v. 17 « *Confringetque ascellas eius, et non* [*secabit neque ferro*] *dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino* ».

Hebr. : dilacerabit eam in alis suis (cf. Iud. 14,6); i. e. vel *quoad* alas (*Vulg.*), ergo dilacerabit alas; vel *cum* alis, ergo non solas alas. *Syr.* durius vertit *inter* alas, ergo ipsis alis servatis intactis. Planior Vulgatae versio. « Sacerdos frangebat alas », inquit *Tost.*, « convertens ad posteriora quasi ad torrendum pararet, et sic imponebat super ignem altaris ». Et *Men.* : « Id fiebat ad congruam victimae compositionem, sic enim altilium alae componuntur, cum assanda sunt ». Sed, num *componere* est idem atque *dilacerare*? Suggerit *Kn.*, ideo laceratas esse alas, ut aves etiam, sicut alia v. 6 animalia, in frusta quaedam discernerentur; tamen alas non esse penitus avulsas, quod nimis exiguae essent, quae seorsim Deo proponerentur, maxime cum vix carnis quidquam illis adhaereret. Subtilior ratio, contra quam merito invocatur Gen. 15,10 demonstrans, usum avium non dividendarum esse Moyse longe antiquiorem.

β. Sacrificium incruentum seu mincha Lev. 2.

Arg. — Tres h. l. classes recensentur : alia sacrificia constabant simila, i. e. tenuissima farina v. 1-3 ; alia opere pistorio ex eadem farina confecto v. 4-10 ; alia primitiis frugum v. 14-16. Unicuique classi, non tamen singulis eodem loco, emphatice adscribuntur verba מנחה הוא, correspondentia clausulae cp. 1 עלה הוא : sc. extremo v. 1 *Sam. LXX*, et v. 6. 15 textus omnes. Inseruntur porro v. 11-13 aliqua omnes sacrificiorum incruentorum classes spectantia.

Extrema prima et secunda classe v. 2. 9, antequam v. 3. 10 quid de *reliquo* faciendum sit subiungatur, adscribitur clausula esse *combustionem odoris suavissimi Iahve* oblatam; cui expressioni v. 16 substituitur altera brevior *combustio Iahve*. Quae eadem habetur in prohibitione v. 11, eiusque loco v. 12 alia brevior formula *in odorem suavissimum*. Tandem v. 3. 10 id, quod *reliquum* fuerit illorum sacrificiorum, tribuitur Aaroni et filiis tamquam *sacrosanctum de combustione Iahve*. Quae expressiones tam solemnes, frequentiores etiam cap. 2 quam cap. 3, illud nobis insinuant, Moysis aevo sacrificia incruenta non minoris quam pacifica fuisse momenti, imo secundum, quem eis haec capita tribuunt, dignitatis locum obtinuisse. Verum quidem est sacrificia incruenta solummodo *praescribi* pro die unctionis sacerdotum 6,19 sqq. et pro sacrificiis zelotypiae Num. 5.15 sqq. Permittuntur pauperibus Lev. 5,11 sqq. tamquam sacrificia pro peccato. Trahendi huc esse videntur manipuli primitiarum Lev. 23.10 sq. paschali tempore, et panes 23.16 sq. tempore Pentecostes offerendi. Cf. *Dillm.* Tamen nostrum caput suggerit fuisse primitus longe frequentiora; idipsum confirmat sacrificium Cain et Melchisedech, suggerit typica ratio ad sacrificium servatoris cruentum et incruentum. At, quod raro illa sacrificia iniungerentur, quodque vulgi aestimatione cruentis haberentur minus pretiosa minusque essent in votis, effectum esse videtur, ut multo rarius postmodum adhiberentur.

N. *Sacrificium similae* Lev. 2,1-3.

v. 1 « *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii* » *incruenti* « *Domino*, *simila erit eius oblatio* ». Limitatur materia, uti cap. 1 holocausti materia ad aliqua restringebatur animalia (*Cai.*). De סלת cf. Gen. 18,6 ; Ex. 29,2.40. Erat farina tenuissima, delicatior illa, quae קמח audiebat (cf. Gen. 18,6 ; Num. 5,15 ; 3 Reg. 4,22, apud Hebr. 5,2). Non videtur סלת necessario conficiendum fuisse e tritico. « *Fundetque super eam oleum, et ponet thus* » : *haec est mincha* (*Sam. LXX*). « Sicut nos in cibis nostris ea, quae delicatiora et sapidiora sunt, inquirimus, ita et Deus volebat sibi eadem offerri ; et sicut panis coctus cum oleo panibus simpliciter coctis sapidior est, ita et farina, quando *oleo* conspergitur, gratior est » (*Tost.*). Indidem autem patet, debuisse observari aliquam proportionis quantitatem oleum inter et

similam, affinem fortasse eius, quae Num. 15 scribitur : etenim farina nimio oleo saturata non iam est sapida. v. 2 « *Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes; quorum unus tollet pugillum plenum similae et olei, ac totum thus, et ponet* » — *Hebr. adolebit* tamquam — « *memoriale super altare* », *combustionem* « *in odorem suavissimum Domino* ». v. 3 « *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini* », cf. Ex. 29,37, quod profanis nefas erit attingere, et quidem quia *de combustionibus Domini* provenit. Etiam secus reliquum sacerdotibus reservatur : 2,10; 5,13; 6,16; 7,9 sq.

אזכרה nomen evasit (2,9. 16; 5,12; 6,15 [8]; 24,7 etc.) eius sacrificii incruenti partis, quae comburebatur; non tamen eius solius, cum 24,7 de panibus propositionis, quorum nihil comburebatur, praedicetur. *LXX Vulg. Chald. Syr.* vertunt *memoriale*, sc. id, quod Deo sacrificantem in memoriam revocat, Deum eidem placatum efficit. Haec significatio utique praeferenda est alteri, quam *Vat.* suggerit : *odor*, a verbi significatione primitiva *pungere*. Quae nullo nititur teste, atque pleonasmum efficit cum sequenti expressione *combustionem odoris suavissimi*. — v. 2 subiectum *sacerdos* nonnisi ante verbum *adolebit* scribitur. Suggerit *Dillm.*, sententiam a וקבץ ad לבנתה serius esse adscriptam tamquam sequentis vocis אזכרתה interpretamentum aliquod.

ב. *Sacrificium operis pistorii* Lev. 2,4-10.

Non mera tantum farina, sed opus item pistorium offerri poterat, coctum sive in furno, sive in sartagine, sive in craticula. Cuius accurate et forma, et materia et condimentum describitur. v. 4 « *Cum autem obtuleris sacrificium* » — *pro dono mincham* — « *coctum in clibano* » seu olla coquinaria, « *de simila* » offeres, « *panes sc.* » seu placentas (cf. Ex. 29,2) « *absque fermento, conspersos oleo, et lagana* » (cf. ib.) « *azyma oleo lita* ». v. 5 « *Si oblatio tua fuerit de sartagine* », esto « *similae conspersae oleo et absque fermento* ». v. 6 « *Divides eam minutatim* », seu verius *in buccellas* ad esum veluti iamiam paratas, non quo facilius oleum imbibatur (*Men.*), « *et fundes super eam oleum* ». v. 7 « *Sin autem* » *mincha* « *de craticula fuerit sacrificium* » seu verius *oblatio tua*, « *aeque simila oleo conspergetur* ». *Haec est mincha :* his tantum conditionibus observatis habetur legitima mincha. v. 8-10 porro refertur ad omnia v. 4-7 genera operis pistorii. v. 8 « *Quam offerens Domino, trades* [*manibus*] *sacerdotis* ». Accuratius ritum *Hebr.* describit : *et deferes mincham, quae confecta est ex illis rebus, Domino;* etenim extra sanctuarium illam confici oportebat; *tradeturque sacerdoti, qui admovebit eam altari.* v. 9 « *Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio* », *elevabit de mincha memoriale* (*Hebr.*), ritu qui dicitur תרומה, « *et adolebit super altare in odorem suavitatis*

Domino ». v. 10 « *Quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini* ». Cf. v. 3.

תנור utique est *clibanus :* cf. Gen. 15,17; Ex. 8,3 (7,28). מרחשת *Vulg. LXX Syr.* vertere *craticulam*, sed *Chald.* (pro דרתא corrige ירדתא) *sartaginem* (*germ.* Pfanne, *angl.* pan, *gall.* chaudière). Quae altera significatio videtur praeferenda ob radicis sensum *moveri*, hinc *ebullire :* quae vero in craticula coquitur placenta, non movetur, non ebullit. מחבת vi etymi significat instrumentum, quo vel in quo coquitur opus pistorium (חבתים). Quod *LXX Vulg. Syr.* et etiam *Chald.* (מסריתא; cf. hebr. בישרת 2 Reg. 13,9) vertunt *sartaginem.* Poterit ergo quis defendere, duo h. l. sartaginum genera enumerari. Monet *Kn.*, ob praefixum עַל intelligi oportere instrumentum planum; Arabes etiamnum massam coquere laminis ferreis impositam, quae super ignem collocentur. Excludere autem videtur s. textus eas coquendi panis rationes, quibus immundum quid admisceri poterat : panem subcinericium aut in craticula coctum. — v. 8 והקריבה, *aliquis offert*, ob mutatam verbi personam admirationem utique facit. Serius insertam vocem suggerit *Dillm.*

Regulae de fermento, sale et melle, pro sacrificiis incruentis omnibus Lev. 2,11-13.

Arg. — Fermentum a mincha excluditur, sal semper adhibendum. Illud vero e generaliori aliquo, quod omnibus notum esse supponitur, principio deducitur, fermentum et mel excludi a combustionibus sacris.

v. 11 « *Omnis oblatio* » seu mincha, « *quae offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam* » — *Hebr. quia nihil* — « *fermenti ac mellis adolebitur* » — *Sam. LXX* et *Targ. Hier. apponetur* — « *in sacrificio Domino* ». « Fermentum ex corruptione fit » (*Bonfr.*), massamque corrumpit (Gal. 5,9; cf. 1 Cor. 5,8). Praeterea azyma constanter in memoriam revocabant liberationem ex Aegypto factam (*Sylv.*). Mel ideo sane excludebatur, quod de intestinis insectorum procedens aliquid censeretur habere immunditiei : lex haec primarie utique respiciebat mel apum, licet ab Hebraeis sine dubio quoad alias etiam mellis species observabatur. Tamen a solis sacrificiis in altari comburendis haec excludebantur, non a donariis sacris, quae in usum cederent sacerdotum : v. 12 « *Primitias tantum eorum offeretis* [*ac*] *munera* ». *Hebr. : tamquam donum primitiarum afferetis ea Domino.* « *Super altare vero non imponentur in odorem suavitatis* ».

v. 13 « *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui* » — pro אלהיך LXX יהוה — « *de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal* ». *Hebr.* primum loquitur de *oblatione minchae tuae*, deinde de *mincha tua*, tandem de *omni oblatione tua.* Priores duae expressiones ad solam mincham restringuntur, non vero tertia. Hinc censet *Cai.*, ultima expressione extendi praeceptum adhibendi salis ad omnia sacrificia, etiam cruenta : unde dicatur Marc. 9,48 « om-

nis victima (θυσία) sale salietur », et Ez. 43,24 legatur sal sacrificio cruento impositum. Tamen admitti etiam potest opinio *Calm.*, tertiam expressionem, licet explicite non restringatur, sensu tamen similiter atque praecedentem restringi, totumque versum esse de solis minchis; quod vero de minchis praescribatur, id Hebraeos, et iure quidem, ad reliqua sacrificia extendisse, eumque usum extentum respicere duos textus laudatos. Ratio adhibiti salis praecipua ea sane est, « quod nullum convivium absque sale agitari soleat, ob idque nec decebat sacrificia seu Dei convivia sine eo apparari » (*Bonfr.*). Hinc Iob. 6,6 : « aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? » Praeterea sal, quod impediat corruptionem (*S. Thom.* 1ª 2ae q. 102 a. 3 ad 14), oblationes diutius puras praeservabat.

Nihil compertum habemus de sale antiquitus Aegyptiorum sacrificiis adhibito. A Graecis et Romanis illud adhibebatur, sed tempore Moyse longe recentiore. Nullus suadet textus. Deum ante Moysen sal adhibendum Hebraeis solemnius inculcasse, veluti foederis partem, licet facile concedamus illud ab Hebraeis adhiberi consuevisse. 2 Par. 13,5 novit *foedus salis* : « An ignoratis, quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi et filiis eius, in *pactum salis?* » Et Num. 18,19 primitiae scribuntur esse sacerdotibus concessae « ordinatione perpetua, *foedus salis* perpetuum ». Quibus in textibus idem videtur esse foedus salis, atque foedus perpetuum. Aptumque perpetuitatis symbolum est sal, quod corruptionem arcet. Apud Arabes, qui una vescuntur pane et sale, amici censentur; eo ritu amicitiae iunguntur, paces feriuntur; foedus inituri sal ensibus impositum gustant; sacrum praeprimis habetur foedus salis (cf. *Kn.*). Neque est ratio, cur Hebraeos antiquitus eiusmodi foedera salis habuisse negemus. Porro, ubi sunt foedera salis, adsit etiam *sal foederis* necesse est. Sacrificia, uti reliqui actus religionis omnes, apud Hebraeos vi foederis cum Deo initi peragebantur, erantque eius actualis veluti renovatio : hinc sal sacrificiis adhibitum erat *sal foederis*, ipsaque sacrificia erant *pactum salis*, sal foederis divini perpetuitatem demonstrabat.

ג. *Sacrificium primarum frugum* Lev. 2,14-16.

v. 14 « *Si autem obtuleris munus* » seu *mincham* « *primarum frugum tuarum Domino, de spicis* [*adhuc virentibus*], *torrebis igne, et confringes in modum farris, et sic offeres primitias tuas* [*Domino*] », — *Hebr. : mincham primitiarum tuarum*, — v. 15 « *fundens supra oleum et thus imponens,* [*quia*] *oblatio Domini est* ». *Hebr.*, uti v. 1.6 : *mincha est.* v. 16 « *De qua adolebit sacerdos* [*in*] *memoriam* [*muneris*] » — *Hebr. memoriale*, cf. quae ad v. 2 dicebamus de voce אזכרה — « *partem farris fracti et olei, ac totum thus* », *combustionem Domino* (cf. v. 11).

Hebr. v. 14 voci *Domino* priori subscribit athnach, et materiam oblationis primi-

tiarum exprimit quinque vocibus אביב קלוי באש גרש כרמל. Priores tres voces verte *spicas tostas igne*; et קלי, quod a constructione quidem dissonans *Sam.* habet, significat frumentum tostum (23,14; 1 Reg. 25,18; 2 Reg. 17,28; Ruth 2,14). אביב per se non videtur solas spicas *adhuc virentes* designare; tamen ita intellexere etiam *LXX* νέα, et reapse spicas, quae pro primitiis offerebantur, oportebat fere esse adhuc virentes. De *Aq. Symm. Theod.* cf. *Field* eorum, quae h. l. recensentur, versiones ad sequentes voces remittentem. Quae per modum appositionis, sine copula adscribuntur : גרש כרמל. Deut. 33.14 Masorethae vocem גרש punctant litera *schin*, ut significationem induat *germen, fructus* a radice *pellere, propellere, germinare*. Hic vero punctant litera *sin*, derivandam a radice aliqua גרשׂ, quae in V. T. non occurrit quidem, sed in forma גרם significatione *comminuendi* exstat apud neohebraeos. Cf. arab.; et chald. גרוסיא, *alica* seu polenta in granula comminuta. Cui derivationi accedunt *Vulg. confringes*, *LXX* χίφρα, *Chald.* פריכא et *Syr.* ܦܪܝܟܬܐ a radice פרך *confringere*. *Theod.* πίονα *pinguem* vel νήπιον *stultum* (ככל pro כרמל? — cf. *Field*), quis explicet? — Vocem כרמל *Vulg.* vertit *far*, *LXX* ἑριτά i. e. in granula comminuta. *Chald.* רכיך utique sonat *tener* : sed adverte, quam facile lectio corruptione oriri potuerit ex דכיך, *comminutus*, quam radicem reapse habet *Syr.* ܒܕܟܝܗܐ. *Theod.* ἅλφιτα i. e. alica ex hordeo. Ceterum etiam *Aq. Symm.* habent ἁπαλόν vel ἁπαλά, *tener* : an forte e significatione *comminui* derivabatur altera significatio *tenerum esse*? Ergo versiones conspirant fere in tribuenda voci כרמל significatione frumenti comminuti seu *alicae*, licet quomodo ea significatio vi etymi competat voci כרמל haud perspiciatur. Hinc vero habes eundem esse sensum vocum גרש et כרמל : prior illa fortasse in textum irrepsit, quo tempore altera esset obsoleta et difficile intelligeretur. Ergo materia oblationis primitiarum frumenti alica est, quae, cum spicae sint virides adhuc et molles, non potest nisi tostis antea granis comparari : *spicas tostas igne, in alicam redactas.*

γ. Sacrificium pacificorum Lev. 3.

Arg. — Eorum victima erat aut bos v. 1-5, aut minus aliquod quadrupedum, et quidem aut ovis v. 6-11, aut capra v. 12-16. Aves, quae 1,14 holocaustis adhibebantur, a pacificis excluduntur, quae in tres dividendae erant partes Deo, sacerdoti, fidelibus tribuendas; vix autem decenter dividi poterant tam exigua animalia (*Bonfr.*). v. 16 sq. adnectit regulam generalem pro sacrificiis pacificorum. Dum soli mares holocaustis adhibebantur, femellae etiam v. 1.6 tamquam hostiae pacificorum offerebantur. At semper (v. 1.6; 1.3. 10) « immaculata » hostia requirebatur (*Cai.*). Ceterum, non tota de hostiis pacificorum h. l. doctrina traditur, sed alia 7,11 sqq. subiunguntur.

זבח *mactatio*, nomen quandoque sacrificia cruenta omnia designans, sed potissimum aliquod perantiquum sacrificiorum genus, et ab holocaustis diversum : Gen. 31,54; 46,1; Ex. 10,25; 18,12. Illud Ex. 20,24; 32,6 solo nomine שלמים appellatur, itemque saepius postea. Sed plenum nomen est זבח שלמים. Nomen plures derivant a piel verbi שלם, ergo sacrificium redintegrationis, restitutionis, hinc *gratiarum actionis*, χαριστηρίους (*Ios.*). Adverte tamen, שלמים offerri consuevisse non solum ad gratias agendum pro beneficiis acceptis, sed etiam ad impetranda acci-

pienda (Iud. 20,26; 21,4; 1 Reg. 13,9; 2 Reg. 24,25) seu, ut dicit *S. Thom.* (1ª 2ae q. 102 a. 3 ad 8), « ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti ». Neque ad gratiarum actionem hoc sacrificiorum genus eo restringitur, quod pleniore nomine זבח תודת שלמים appelletur (Lev. 7,13. 15), vel זבח תודה (22,29; Ps. 49 [50], 14), vel תודה (Ps. 55,12 [56,13]). Licet enim sacrificia, quae hoc nomine veniunt, etiam ad gratiarum actionem offerantur, tamen תודה vi etymi non gratiarum actionem sonat, sed agnitionem, laudem. Et Lev. 7,12. 16 hostiae pacificorum dividuntur in eas, quae offeruntur על תודה, et eas, quae offeruntur נדר או בדבה, i. e. *voto aut voluntarie*: ergo prior expressio videtur respicere hostias, quae pertinent ad cultum non extraordinarium sed ordinarium, et ipsa lege divina praescribebantur, apteque vertitur *cultus*. Neque ita expressio זבח תודה fit pleonastica. Cum enim זבח de se mactationem exprimat sive profanam sive sacram, adiectum תודה indicat agi de mactatione sacra, ad cultum pertinente. — Alii igitur ad verbi שלם significationem kal recurrunt: *integrum, salvum esse, pace frui*. Hinc *LXX* σωτηρίου, *Vulg. pacificorum*, *Syr. salutis*, *Chald. sanctificationis*. — Ceterum nota, ipsum nomen esse antiquissimum, cum vel ipsi Phoenices genus sacrificiorum noverint שלם כלל (passim in inscriptione sacra Massiliensi), cuius tamen quae fuerit indoles ignoramus. Ceterum eiusmodi nomina non semper totam et intimam rei indolem pandunt: sane apud nos Eucharistia non est merum gratiarum actionis sacrificium.

א. *Sacrificium bovis* Lev. 3,1-5.

Cap. III v. 1 « *Quodsi hostia pacificorum fuerit eius oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino* », maculata dedecent Dominum. Constructio ואם ...קרבנו utique correspondet constructioni 1,3, quin sequatur (*Dillm.*), cap. 2 primitus inter cap. 1 et 3 non intercessisse: nam aliunde invicem correspondent constructiones 1,2 אדם כי יקריב et 2,1 ונפש כי תקרב. Cf. quae diximus p. 362. v. 2 « *Ponetque manum super caput victimae suae* » (cf. 1,4), « *quae immolabitur in introitu tabernaculi testimonii* ». Expressio non est ita praecisa, atque altera 1,11; tamen secundum ibi explicata idem locus videtur intelligi: ibi e regione tabernaculi immolabantur victimae, h. l. ante eius ostium; quibus unus idemque locus commode designari potest. » *Fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum* » (cf. 1,5). v. 3 « *Et offerent de hostia pacificorum in oblationem* », combustionem (cf. 2,11. 16) « *Domino, adipem qui operit vitalia* », קרב intestina ventris, non pectoris (cf. ad Ex. 29,13), « *et quidquid pinguedinis est intrinsecus* », est super eadem intestina, non solum ea obvolvit, sed eis quomodovis accrescit; v. 4 « *duos renes* » (Ex. 29,13. 22) « *cum adipe, quo teguntur ilia, et reticulum iecoris cum renunculis* »; v. 5 « *adolebuntque ea* » *filii Aaron* « *super altare in holocaustum, lignis igne supposito* » (cf. 1,12), « *in oblationem suavissimi odoris Domino* » (cf. 2,2. 9).

v. 2 וזרקו, ubi *Vulg. immolabitur*; v. 3 והקריב, sola *Vulg. LXX* pluralem habent.

— *Renes* dicuntur *removendi cum adipe, quae eis adhaeret, quae est in lumbis.* כסלים cf. v. 10. 15; 4,9; 7,4; Iob 15,27; Ps. 37 (38), 8. Intelligitur adeps, quae est inter summos lumbos et inter renes. De *residua adipe super iecur, supra renes* cf. Ex. 29,13. — Haec porro omnia comburenda sunt non *in* holocaustum, sed *super* (*LXX*) holocaustum iuge (*Cai.*) : cf. 6,12 (5). Auctor sc. h. l. notum supponit id, quod nonnisi 6,8-13 (1-6) explicite tractat : fortasse idem ritus pacificorum super holocausta adolendorum iam ante exodum inter Hebraeos vigebat.

ב. *Sacrificium pacificum ovis* Lev. 3,6-11.

v. 6 « *Si vero de ovibus* » — צאן, quae vox tam oves quam capras complectitur : v. 6 quippe refertur tam ad v. 7-11, quam ad v. 12-17 — « *fuerit eius oblatio et pacificorum hostia, sive masculum obtulerit sive feminam, immaculata erunt* ». Cf. v. 1.

v. 7 « *Si agnum obtulerit coram Domino* », v. 8 « *ponet manum suam super caput victimae suae, quae immolabitur in vestibulo* » — *Hebr. coram*, sane eodem atque v. 2 loco (*LXX Syr.*) — « *tabernaculi testimonii; fundentque filii Aaron sanguinem eius per circuitum altaris* ». v. 9 « *Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino : adipem et caudam totam* » *inde a spina removebunt* (*Hebr. Chald. Sam. Syr.*), loco eius, quod *Vulg. LXX* habent, *cum renibus*, — v. 10 « *cum renibus, et pinguedinem quae operit ventrem atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe, qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis* », — omnia haec *Hebr.* verbotenus ita habet, uti v. 3 sq. leguntur — v. 11 « *et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis* [*et oblationis*] *Domini* ». *Panis* est combustio Domino, uti alias est *suavis odor* (*LXX*).

Uti v. 2, ita v. 8 *Vulg.* ושחטו accipit indeterminate : *immolabitur;* et v. 9 הקריב plurali vertit : *offerent.* — Pro חלבו v. 9 (*Hebr. Sam. Chald.*) omnino cum *LXX Vulg.* legendum חלב ו, aut cum *Syr.* חלבו ו. — *Cauda* agni etiam reservatur Domino, quia est pinguissima.

ג. *Sacrificium pacificum caprae* Lev. 3,12-16.

v. 12 « *Si capra fuerit eius oblatio, et obtulerit eam Domino* », v. 13 « *ponet manum suam super caput eius, immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii* ». — cf. v. 2; sed *Hebr. Sam. Chald. Syr.*, uti v. 8, *coram*, dum *LXX* utramque lectionem confundunt — « *Et fundent filii Aaron sanguinem eius per altaris circuitum* ». v. 14 « *Tollentque ex ea in pastum ignis dominici* » — reliqui : *oblationem, combustionem Domino.* Sequentia rursum verbotenus consonant cum v. 3 sq. — « *adipem, qui operit ventrem et qui tegit universa vitalia* », v. 15 « *duos renunculos cum reticulo, quod est super eos iuxta ilia,*

et arvinam iecoris cum renunculis »; v. 16 « *adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis et suavissimi odoris* ». Merito in hoc versu *Sam. LXX* repetunt vocem יהוה : *panem combustionis in odorem suavitatis Domino*. Cf. v. 11.

v. 13 *Vulg.* וישחט non reddit plurali; quod tamen *LXX* faciunt. v. 14 והקריב *Vulg.* rursum plurali exprimit.

Regula de adipe Iahve reservanda Lev. 3,16 sq.

Arg. — Adscribitur, certe non quoad solas capras (cf. v. 4. 9 sq.) sed quoad sacrificia pacifica omnia, regula de tota adipe Iahve reservanda. Quae inculcata fuerat 1,9 quoad holocausta (את הכל) et inculcatur nunc quoad pacifica, et primum quidem positive : « omnis adeps Iahve erit » ; dein negative : « nec sanguinem nec adipem omnino comedetis », sc. in sacrificiis pacificis. Ergo licet exsistat generalis sanguinis comedendi prohibitio, non sequitur ex hoc textu aeque generalis prohibitio adipis comedendi, v. g. eorum purorum animalium, quae in victimas assumere nefas erat. Cf. 7,22-27.

« *Omnis adeps Domini erit* ». Etiam 2,11-13 inserebantur eiusmodi generales leges. v. 17 « *Iure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris* », ergo semper et ubique, « *nec sanguinem nec adipem omnino comedetis* ». Cum porro lex sanguinis non comedendi sit perantiqua (cf. Gen. 9,4), probabile apparet adipem quoque pacificorum iure antiquo reservatam esse Domino.

b. Leges de quarto sacrificiorum genere, quod est pro peccato et pro delicto Lev. 4,1-6,7.

Demonstrabamus p. 359 sqq., adscriptis clausulis 4,21. 24; 5,12. 19 pericopen specie tenus conformatam esse praecedentibus legibus, quae victimarum seu oblationum ordinem sequuntur; sed reapse e pluribus coaluisse legibus primitus discretis inter se : lege sc. una de sacrificiis pro peccato Lev. 4, quae peccantium classes distinguat; altera 5,1-13, quae sit de tribus peccatis annexam habentibus confessionem; tertia tandem lege 5,14-6,7, quae sit de sacrificiis pro delicto. Profecto huic nativo documentorum ordini textum explicaturi adhaerebimus.

Antequam textum explanandum aggredimur, expedienda nobis est quaestio, quidnam intersit inter *peccatum* et *delictum*, חטאה et אשם. Has voces quadamtenus *confundi* inter se, collige e 4,3. 13. 22. 27, ubi utraque voce singula peccata exprimuntur, e 5,1-5, ubi, quae singula verbo אשם exprimuntur, v. 1. 5 omnia verbo חטא resumuntur. Verum item 6,4 (5,23), ubi de sacrificio pro *delicto* agitur, adhibetur una

utrumque verbum. Videtur ea, quae primitus sine dubio obtinebat, significationum diversitas usu quadamtenus esse obliterata, ut voces factae sint fere synonymae et per modum ἐν διὰ δυοῖν iungerentur. Tamen significationes exstitisse primitus diversas, per se patet; eas in nostra etiam pericope adhiberi sensu quandoque *diverso*, perspicies ex emphatica clausula 5,19 cum clausulis 4,21 etc. comparata; item e collatis inter se 6,25 (18) et 7,1.

Discrimen inter illa duo vocabula vel apud Iudaeos obscuratum est : dum enim *Philo* (de Victimis § 11) *peccata* dicat, quae fiant in Deum et sacra, *delicta* vero, quae fiant in homines, *Ios.* (Ant. III. 9. 3) *peccata* describit transgressiones illas, quarum sibi homo conscius non sit, *delicta* illas, quarum sibi conscius quidem sit, sed testem non habeat. Alia duo suggerit *Aug.* : « Fortassis ergo *peccatum* est perpetratio mali, *delictum* autem desertio boni... Potest etiam videri illud esse *delictum*, quod imprudenter i. e. ignoranter, illud *peccatum*, quod ab sciente committitur ». Haec omnia sunt arbitraria. Contra Philonem demonstrat 5,15, peccata etiam in sacra minime excludi ab אשם. Committi etiam חטאה « per errorem » textus diserte et iterato affirmat. Prior illa Aug. expositio distinguens inter peccatum commissionis et omissionis, seu verius inter peccatum contra legem negativam et positivam (cf. quae mox dicemus), pluribus placuit. Cf. *Greg. M.* Homil. in Ez. II. 9; *M.* 76. 1043 : « Peccatum est mala facere, delictum vero est bona derelinquere, quae summopere sunt tenenda ». Incredibile videbatur, transgressiones legum positivarum seu aliquid fieri iubentium omni apud Hebraeos piaculo caruisse. Verum adverte, mandata graviora omnia etiam negative in V. T. fuisse enuntiata, v. g. ea quae 6,2 sq. (5,21 sq.) attinguntur.

Sensum vocis אשם eruere conabimur ex iis locis, qui de אשם agunt in *oppositione* ad חטא : sc. e 5,14-19 (cf. v. 19) et e 6,1-7 5,20-26, ubi victima v. 6 praescribitur *aries*, qui nullibi pro peccato חטאה, verum 7,2 (cf. ib. dicenda itemque 5,15) pro delicto אשם immolandus iniungitur. Igitur tam 5,15 quam 6,2 adscribitur expressio rarior בעל, תבעל בעלה, quae de חטאה nunquam usuvenit. Porro בעל de *gravioribus* quibusdam peccatis scribitur : Ios. 7,1; 22,20; 1 Par. 2,7 de peccato Achan exsecratorum aliquid apud se retinentis; 1 Par. 10,13 de peccato Saul exsecrationem Amalec ignorantis; 2 Par. 12,2 et Dan. 9,7 de peccatis, ob quae Iudaei in exsilium fuere electi; Deut. 32,51 de Moysis diffidentia; 1 Par. 5,25 expressio fere est synonyma cum « fornicari post deos alienos ». Tamen non solas *sacrorum* profanationes exprimi, praeter Deut. 32,51; 2 Par. 12,2 et Dan. 9,7 indubie colligitur e peccatis 6,2 sq. recensitis. Videtur igitur בעל *graviores* transgressiones designare (*Vulg. praevaricans*, *contempto Domino*) et, dum חטאה peccatum universim exprimit, אשם 5,15 et 6,2 edicere peccatum gravius non quodlibet, sed sive in sacra sive contra iustitiam perpetratum. Clarius etiam idem colligitur e contextu Lev. 5,14-6,7.

Ubi praeter victimam pro sacrificio offerendam habet אשם, sive in re sacra sive in re profana commissum sit, annexam *restitutionem* seu *muletam*. Iam vides, cuius generis graviores transgressiones eo nomine venerint.

Dices : quomodo peccatum gravius interpretemur illud, quod 5,15 dicitur « per errorem » esse commissum? Sed adverte, omnem hunc sermonem esse de peccato non moraliter sed *legaliter* spectato. Quod coram lege tamdiu praesumebatur esse *indeliberatum* aut certe non plane deliberatum, quamdiu perfectae deliberationis coram lege non habebatur plena probatio. In quo casu contemptae legis reus graviori sine dubio poena quam unius bestiolae mactatione mulctabatur. Quare vix non ubique peccato adscribitur vox בשגגה, quam *Vulg.* vertit *per ignorantiam, LXX* ἀκουσίως, *Aq. Symm.* ἐν ἀγνοίᾳ. Qua cum *Cai.* poteris dicere excludi « peccatum commissum non errore sed studiose, h. e. a sciente et volente », dummodo illud « studiose » intelligas de studio non mere interno, sed externis argumentis plene et certe probato. Ergo etiam ea peccata, quae erant ex specie sua, imo ex intentione agentis gravia, legaliter saepe poterant et debebant censeri commissa « per errorem ».

Sed adhuc superest nobis indiganda *nativa* vocis אשם significatio. Igitur in nostra pericope frequens est haec loquendi ratio : *Si quis peccaverit* (חטא) *per errorem, et si res*, i. e. peccatum, *latuerit peccantem* (4,13; 5,2. 3. 4; cf. Num. 5,13; et pro נעלם Lev. 5,17 scribit לא ידע), *et si postea* (adverbium merito *Vulg.* supplet) *cognoverit eam* rem seu peccatum (4,14. 23. 28; 5,3 sq.) *et deliquerit* (אשם : quae vox 4,13. 22. 27 ante, 5,3 sq. 17 post formam verbi ידע, 5,23 et 6,2 sine illa scribitur) *etc.* Illud *si latuerit... et postea cognoverit* peccatum denotat *inadvertenter* commissum, cuius postea homo conscius fiat. Unde infert *Dillm.*, illud *per errorem*, quod modo explicabamus, nequaquam per se omnem excludere conscientiam. Porro in illis sententiis חטא semper habetur *initio*, et אשם *in fine* sententiae; אשם desideratur solummodo 4,2 sq., ubi concinnior oratio, et 5,15, ubi certissime agitur de אשם proprie dicto, et 5,1, ubi in eius locum subintrat expressio *portabit iniquitatem suam*. Haec toto contextu demonstratur esse synonyma vocis אשם, eritque accipienda uti Lev. 22,16 sensu *iniquitate se onerabit*, ergo *reatum subibit*. 5,17 utraque expressio coniungitur. Quodsi tandem ipsum verborum etymon rimemur, sequentia reperimus.

חטא dicitur de sagittario, qui a scopo aberrat (Iud. 20,16), de gradiente, cuius pes fallitur (Prov. 20,2) : ad actus igitur humanos translatum designat actionem a recti norma deviantem. De nativa verbi אשם significatione silent lexica. Unum praesto est e *M. de Calasio* (Concordantiae ss. bibliorum hebr., Londini 1747) depromptum, confundi אשם cum radice שמם, *desolare*. Cf. Ier. 2,3 כל אכליו יאשמו, omnes devorantes eum desolabuntur; Ez. 6,6 ויאשמו במותיכם, et devastabuntur arae vestrae; etc. Cf. *I. K. Zenner S. I.* in Hab. 1,9. 11 : Zeitschrift für Kath. Theologie, Innsbruck 1895, p. 581. Ergo, dum חטא *motus* notionem habet, אשם potius videtur culpae *permanentem reatum* designare, videturque formula ונפש כי תחטא ואשם fere hunc induere sensum : *si quis delinquens reatum contraxerit.*

4.2. 13. 22. 27; 5,17 peccata hac universali formula describuntur : *facere unum de omnibus mandatis Domini, quae non sunt facienda.* Intelliguntur *mandata* aut ipsae *leges :* sed de nulla lege divina dici potest eam *non esse faciendam;* aut *res* legibus sive praescriptae sive prohibitae, quarum illae sunt faciendae, hae vero non sunt faciendae. Merito igitur *Cai., Vat.* expressionem intellexere de solis mandatis negative enuntiatis seu prohibentibus seu, ut alii minus accurate dixerunt, de solis peccatis commissionis ; licet enim lex prohibens solo peccato commissionis laedi queat, at lex imperans laeditur peccato non solum omissionis sed etiam commissionis. Porro dissentiunt auctores, utrum sola intelligantur mandata moralia (*Bonfr.*), i. e. quae proximum respiciant, an item ceremonialia et naturalia (*Men.*). Ex eo, quod ceremoniae in altero 5,15 documento diserte efferantur, audacius h. l. includi negantur. Quoad naturalia, adverte agi de mandatis *a Iahve*, i. e. ab eo tempore, quo Deus Iahve nomine gentis Hebraeorum peculiaris Deus agnosci voluit, editis. Quod factum est Moysis aevo. Verum, cum Iahve in decalogo et alibi leges etiam naturales inculcet, eae quoque nostro textu exprimuntur.

α. Lex de sacrificio pro peccato prior Lev. 4.

Cap. IV v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel : Anima, quae peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quae praecepit, ut non fierent* », i. e. de praeceptis negativis seu prohibitionibus, « *quippiam fecerit* » : — hic versus generalem thesin statuit, cuius dein partes seorsim discutiuntur : peccatum pontificis v. 3-12, universae plebis v. 13-21, principis v. 22-26, hominis privati v. 27-35.

א. *Pro peccato pontificis* Lev. 4,3-12.

v. 3 « *Si sacerdos, qui unctus est* », — i. e. *summus pontifex* (*LXX Chald.;* cf. quae diximus ad Ex. 29,7); sacerdotes reliqui non aliter habebantur in hac re atque homines privati v. 27 sqq. — « *peccaverit delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino* ». בן בקר v. 4 synonymum habetur cum פר, *bos :* intelligitur animal non necessario tenellum, certe masculum. לאשמת העם potest verti *in reatum populi* (*LXX Aq.*). Verum hoc non est idem, atque pontificem *exemplo* inducere populum, ut et ipse peccet (*Malv.*); sed reatus e pontificis actu peccaminoso profluens non solum pontificem afficit, sed universum populum. Quod *Cai.* videtur extendere ad quaelibet pontificis peccata; verius *Ps. Ion.* restringit ad peccata, quae pontifex committit ut pontifex et populi coram Deo veluti partes agens. Secundum haec, quoad privata sua peccata, dicendus erit pontifex fuisse aequiparatus reliquis hominibus privatis v. 27 sqq. Sed illa expressio aeque commode verti potest *secundum* (*modum*) *peccati populi* (*Arabs*) : i. e. quandocumque pontifex unum ex illis peccatis committit, quae

homines privati v. 28 oblatione caprae expiant, expiabit ipse oblato bove. Quibus pulchre exprimitur, quantum deceat pontificem puritate vitae reliquos omnes antecellere. Collige etiam e *Ps. Ion.* (ad 9,2), quam apte pontifici et universo populo pro peccato iniungatur *vitulus,* qui vitulum aureum antea conflaverint.

v. 4 « *Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput eius, et immolabit eum Domino* ». v. 5 « *Hauriet quoque* » — reliqui addunt *pontifex;* non alius pro pontifice sacerdos — « *de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii* ». In oblationibus pro peccato pontificis vel populi (cf. v. 16) sanguis in tabernaculum inferebatur : in aliis (v. 25. 30), uti in holocaustis (1,5), altari circumfundebatur. Cf. etiam 16,14-19 et Ex. 30,10. v. 6 « *Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino* », i. e. ante sanctum sanctorum, « *contra velum sanctuarii* » ; non ita ut sanguis velo illi pretioso adhaereret, sed את פני, quod recte vertunt *LXX* κατά, *Chald.* קדם, *Syr.* לאפי i. e. *versus.* v. 7 « *Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii; omnem autem* [*reliquum*] *sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi* ». v. 8 « *Et* » *omnem* « *adipem vituli auferet pro peccato* », — clarius voces hoc ordine collocantur : *adipem bovis pro peccato elevabit* (cf. 2,9) — « *tam eum qui vitalia* » seu intestina « *operit, quam omnia quae intrinsecus sunt* », seu *omnemque adipem quae adhaeret intestinis,* utique intrinsecus, nam quod extrinsecus est, illa operit; v. 9 « *duos renunculos et reticulum, quod est super eos iuxta ilia, et adipem iecoris cum renunculis* », — *Hebr. : duosque renes et adipem, qui in illis, qui est in lumbis, et maiorem lobum hepatis cum renibus tollent.* Expressiones vide 2,3 sq. ; Ex. 29,13 — v. 10 « *sicut aufertur de vitulo hostiae pacificorum* » (3,3 sq.), « *et adolebit ea super altare holocausti* ». v. 11 « *Pellem vero et omnes carnes cum capite et pedibus* », seu potius *cruribus,* a genibus deorsum, « *et intestinis, et fimo* » v, 12 « *et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum* [*struem*], *quae in loco effusorum cinerum cremabuntur* ». Non perspicitur, quid corporis sit *reliquum* demptis, quae v. 11 enumerabantur, partibus. Clarius *Hebr. : et efferes totum bovem,* dempto utique adipe.

Hinc patet huius sacrificii a reliquis sacrificiis differentia : non consumitur totum super altare, uti holocausta; non habet annexum epulum sacrum, uti pacifica. Item pauperes, qui loco victimae 5,11 similam offerunt, non addunt oleum et thus (cf. Num. 5,15).

ב. *Pro peccato universi populi* Lev. 4,13-21.

v. 13 « *Quodsi omnis turba Israel ignoraverit* », — i. e. *per errorem egerit. Hebr.* עדה, *congregatio*, uti v. 15; postea v. 13 eadem exprimitur voce קהל — « *et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est* »; v. 14 « *et postea intellexerit peccatum suum* » : — *Hebr. : et latuerit res in oculis ecclesiae, et fecerint unum de mandatis Domini, quae non sunt facienda* », i. e. peccaverint contra unum mandatorum negativorum, *et reatum contraxerint, et innotuerit* postea *peccatum, quod peccaverunt contra illud* — « *offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi* », v. 15 « *et ponent seniores populi* », nomine omnium (*Tost.*), « *manus super caput eius coram Domino* ». Ritus est idem atque v. 3 sq., unde etiam habent *Sam. LXX* vocem תמים, *immaculatum*. Seniores postmodum adhibebantur « duodecim » (*Ps. Ion.*), in memoriam totidem tribuum Israel. Sequens verbum *Hebr.* scribit impersonale : *immolabit* (aliquis). « *Immolatoque vitulo in conspectu Domini* », v. 16 « *inferet sacerdos, qui unctus est* », i. e. pontifex (cf. v. 3), « *de sanguine eius in tabernaculum testimonii* », v. 17 « *tincto digito aspergens septies contra* », i. e. versus « *velum* ». v. 18 « *Ponetque de* [*eodem*] *sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii* », sc. altaris thymiamatis ; *totum* « [*reliquum*] *autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii* ». v. 19 « *Omnemque eius adipem tollet, et adolebit super altare* », v. 20 « *sic faciens et de hoc vitulo, quomodo fecit et prius* » (v. 8-10). « *Et rogante pro eis sacerdote* », i. e. pontifice (v. 16), « *propitius erit eis Dominus* ». *Hebr. : et expiabit eos sacerdos, et remittetur eis.* Verborum sensus reapse is esse videtur, aliquam pontificem precationis formulam (*Vulg.*) adhibuisse, fortasse antiquitus receptam, ideoque h. l. non explicite tradendam. Expiat imprimis ipse Deus Ps. 64 (65), 4 ; 77 (78), 38 ; Ier. 18,23 etc. ; dein, uti h. l., sacerdos Dei vice fungens. Ceterum sicut toto hoc contextu sermo est de peccatis non moralibus sed ceremonialibus, ita etiam expiatio intelligitur mere legalis (*Sylv.*). v. 21 « *Ipsum autem vitulum efferet extra castra atque comburet, sicut et priorem vitulum : quia est pro peccato multitudinis* ». Intelligebat nexum causalem *Vulg.* ; sed cum *Vat.* verba accipi possunt tamquam huius paragraphi clausula : Haec est (oblatio) pro peccato populi. Cf. v. 24.

Pulchre *Theodoret.* cum hoc ignorantiae peccato populi comparat crucifixionem servatoris ab universo populo tam instanter expetitam ; pro quibus orabat servator dicens : « Pater, dimitte illis ; non enim sciunt, quid faciunt » (Luc. 23,34).

ב. *Pro peccato principis* Lev. 4,22-26.

v. 22 « *Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur* », v. 23 « *et* [*postea*] *intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum* ». v. 24 « *Ponetque manum suam super caput eius; eumque immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est* » (cf. v. 21), v. 25 « *tinget sacerdos digitum in sanguine hostiae pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim eius* ». v. 26 « *Adipem vero* » totum « *adolebit supra* », i. e. *in altari* (*Hebr.*), « *sicut in victimis pacificorum fieri solet; rogabitque pro eo sacerdos* [*et*] *pro peccato eius, et dimittetur ei* ».

אי v. 23. 28 recte utique vertere *LXX Vulg. et, Syr. si* : is enim omnino vocis in hoc contextu sensus esse debet. Cf. « Sin autem » Ex. 21,36. In peccato *principis* minor exigitur victima, non bos sed hircus; minor dignitate minister sacer, non pontifex sed sacerdos; sanguine liniuntur sola altaris holocaustorum cornua; caro non crematur, sed sacerdotibus comedenda conceditur 6,26. 29 (19. 22). Idem valet de sacrificiis pro plebeiorum peccatis.

ג. *Pro peccato viri plebeii* Lev. 4,27-35.

v. 27 « *Quodsi peccaverit anima* » *una* « *per ignorantiam de populo terrae, ut faciat quidquam de his, quae Domini lege prohibentur, atque delinquat* », i. e. *reatum contrahat*, v. 28 « *et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam* » *femellam*. Dicitur anima *una*, in oppositione ad universum v. 13 populum; dicitur anima *de plebe*, in oppositione ad v. 3.22 pontificem vel principem (*Cai.*). v. 29 « *Ponetque manum super caput hostiae, quae pro peccato est, et immolabit eam in loco holocausti* »; v. 30 « *tolletque sacerdos de sanguine in digito suo et, tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius* ». v. 31 « *Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino; rogabitque pro eo, et dimittetur ei* ».

Sed privatis loco caprae etiam agna permittitur. v. 32 « *Sin autem de pecoribus* », i. e. *agnis*, « *obtulerit victimam pro peccato, ovem sc. immaculatam* », *Hebr. femellam offeret immaculatam*. v. 33 *Et* « *ponet manum super caput eius, et immolabit eam in loco, ubi solent caedi holocaustorum hostiae* ». v. 34 « *Sumetque sacerdos de sanguine eius digito suo et, tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius* ». v. 35 « *Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri*

solet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini ». Sed *Hebr. : super combustiones Domini*, quod recte *LXX Chald. Syr.* interpretantur de *holocaustis* iam in altari collocatis. « *Rogabitque pro eo* » *sacerdos* « [*et*] *pro peccato eius, et dimittetur ei* ».

β. Lex de sacrificio pro peccato posterior Lev. 5,1-13.

Arg. — Tria prodosis v. 1-4 enumerat peccata, pro quibus apodosis v. 5 sqq. primum indicit *confessionem* sacerdoti faciendam, dein vero expiationem infimam e cap. 4 descriptis, eamque pro pauperibus mitigandam.

Agitur de *peccatis* eodem sensu atque cap. 4 intellectis. Nam נפש כי תחטא 5,1 resumit eandem 4,2 expressionem; 5,6 easdem victimas atque 4,28. 32 habet; utrobique agitur de oblationibus pro peccato. Obiiciunt substantivum אשם 5,7 sq.; item peccatum 5,2 descriptum non esse de numero eorum, quae ex ignorantia (4,2) committantur : de quibus obiectionibus dicemus infra. Cap. 4 agebat de sacrificiis pro peccato diversis pro diversitate personarum offendentium : 5,1-13 agit de *tribus* peccatis, ad quorum remissionem (legalem) obtinendam statuitur conditio onerosa, at simul pauperibus specialis indulgentia conceditur. Quae duo nullo iure quis ad universa cap. 4 peccata extenderit. Conditio vero illa onerosa est *confessio*, quam 5,5 omnes praeter Vulg. textus exprimunt. Cur autem quoad haec tria prae ceteris peccata talis conditio et indulgentia statuatur, nihil certi dicere possumus. Fortasse haec lex Moyse erat antiquior, quam ipse revocandam non censuit; aut hominum pauperiorum tum animi in ea peccata erant proniora, unde simul et severior confessione exigebatur poenitentia, et exilior requirebatur victima.

Ceterum 5,1-13 idem adverte, quod Ex. 12 monebamus. Textui decursu temporum adiecta esse videntur casuistica, ut ita dicam, additamenta. v. 1 testes respicit : sed, ut omne praecludatur effugium, testes statuuntur intelligi non immediati solum sed etiam mediati. v. 2 sq. proscribit contaminationem per contactum rerum immundarum : verum, quo laxior omnis excludatur interpretatio, monemur contaminationem induci posse contactu cadaveris tam ferae quam pecoris aut reptilis, et cuiusvis immunditiae hominis, quae vox non solum cadaver hominis, sed item fluxum sanguinis et similia complectitur. Idem in v. 4 apparet, qui vana proscribit iuramenta : ubi monemur, proscribi etiam iuramenta vana de re *bona* facienda, et generatim *de omnibus, in quibus vane loqui potest homo cum iuramento*. Sic omne tandem effugium praecluditur.

Cap. V v. 1 « *Si peccaverit anima* », — et sequentibus, de quo iam peccato agatur, exponitur — « *et audierit vocem iurantis testisque fuerit, quod aut ipse vidit aut conscius est* », — *aut* alia via *didicit* : i. e. si testis fuerit sive immediatus sive mediatus — « *nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam* ». Collatis sequentibus versibus patet idem esse h. l. *iniquitatem portare*, atque *reatum contrahere*, אשם. Apodosin *LXX Vulg.* a *nisi* ordiuntur, alii communem pro v. 1-4 apodosin e v. 5 repetunt (*Cai.*), quod intuitu sequentium versuum est

praeferendum. Sed quid est קול אלה, *vox iuramenti? Ps. Ion.* cogitabat de periurio proximi, quod quis ad iudicem deferre negligat. Verum אלה *iuramentum* dicit, aut etiam *imprecationem*, quae iuramentis pactorum sanciendorum adnectebatur, at nequaquam *periurium*. Neque ea voci significatio accrescit praefixa voce קול. Inde a *Syr.* plures expressionem interpretati sunt de voce iudicis adiurantis quemlibet, qui aliquid nosset ad causam pertinens, ut testificaretur. At gratuito eiusmodi consuetudo fingitur; non consonat moribus populorum orientis; non est iudicis producere testes, sed partium litigantium. Cum nostro textu omnino conferendus est alter Prov. 29,24 : « Qui cum fure participat, odit animam suam; adiurantem audit, et non indicat ». En tibi modum, quo socius furti efficiaris, si audias אלה, neque tamen furtum indices. Ea vero *imprecatio* profertur non a iudice sed ab illo, qui furto iniuriam passus est. Habesque rei exemplum Iud. 17,2 (cf. quae ibi diximus), ubi mulier, cui furto pecuniae summa ablata fuerat, ea iudiciali exsecratione utebatur. Adscribitur porro h. l. vox קיל, quod non de qualibet exsecratione agatur, sed de ea quae publice et alta veluti voce proferatur. Porro, *non indicare* non est idem atque iudice postulante testimonium detrectari (*Tost.*); sed h. l. potius idem sonat, atque non sponte se testem sistere. Quod non necessario fit e malitia, sed ex inadvertentia, negligentia vel « timiditate » (*Cai.*). Potest igitur hic versus, uti totum caput praecedens, intelligi de peccato בשגגה commisso. Agitur de teste, qui non sciatur fuisse testis : qui enim scitur facti testis fuisse, mox ab alterutra parte in iudicium arcessitur.

Iam illius *si peccaverit anima* (v. 1) altera v. 2 sq. applicatio proponitur : *aut* « *anima, quae tetigerit aliquid immundum* », eiusque rei immundae variae recensentur species : « *sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile* ». Planius *Hebr.* : *sive cadaver ferae impurum, sive cadaver pecoris impurum, sive cadaver reptilis impurum.* Sequentia *LXX* ignorat : « *et oblita fuerit immunditiae suae, rea est et deliquit* ». *Hebr.* : *et latuit eam, et ipsa immunda, et contraxit reatum.* Haec vero merito ignorari sapienter suggerit *Dillm.* : videntur e v. 3 extremo huc esse delapsa, et שבוא h. l. ortum e corrupto ibi ידע. v. 3 « *Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit* [*postea*], *subiacebit delicto* ». Vel, ultimum incisum trahens ad prodosin, vertas : *et reatum contraxerit.*

Alia rursum sequitur applicatio v. 4 : *aut* « *anima, quae iuraverit et protulerit labiis suis* », — illud *et protulerit* recidit in lectionem *LXX* : ἡ ψυχὴ ἡ ἄνομος (ἄλλος· παραβᾷ) ἡ διαστέλλουσα, quae derivata vide-

tur e textu corrupto : או נפש כי תהמא לבבא (cf. Ps. 105,33 et Is. 33,14). Sed vertendum est *anima, quae iuraverit in vaniloquio labiorum*, quae « temere, subito » (*Vat.*) iuraverit — « *ut vel male quid faceret vel bene, et idipsum iuramento et sermone firmaverit* », — sed haec ultima *Hebraeo* vix respondent : *in omnibus, in quibus vane loqui potest homo cum iuramento* — « *oblitaque* [*postea*] *intellexerit delictum situm* », — *Hebr. : et latuit eam, et recordatur, et reatum contraxit in una harum rerum,* sc. vel earum, quae v. 4 exprimebantur, iuramenti faciendae rei sive bonae sive malae, vel universim earum, quae v. 1-4 recensebantur; hunc que sensum v. 5 postulat. Vox *postea,* quam merito supplet *Vulg.,* uti 4,14. 23 trahenda est ad sequens *intellexerit,* non vero cum *Bonfr.* ad praecedens *oblitaque :* « si postea per oblivionem fecerit contra votum suum ». Agitur, ut alias, de peccato ignoranter, inadvertenter commisso, de iuramento, cuius postea homo recordatur, sed cuius implendi nullam unquam seriam habuit voluntatem.

Sequitur apodosis v. 5 : « *agat poenitentiam pro peccato* ». Hoc inaccurate redditum est. *LXX Vulg.* omittunt verba immediate praecedentibus utique simillima : *et erit, quia reatum contraxit in una istarum rerum,* qua formula apodosis a prodosi clarius secernitur. Inde pergitur : *confiteatur, quod peccavit in ea re.* Ergo quoad tria peccata v. 1-4 requiritur, quod in reliquis non requirebatur, praevia sacrificio peccati confessio. v. 6 « *Et offerat* » *sacrificium Domino pro peccato suo, quod peccavit,* « *de gregibus agnam sive capram* » *pro peccato,* « *orabitque pro ea sacerdos* [*et*] *pro peccato eius* » (cf. 4,20. 26.35).

Oblatio, quae secus tantummodo חטאה dicebatur, v. 6 sq. etiam אשם scribitur. Quare coniicit *Dillm.,* pericopen 5,1-13 natam esse, quo tempore discrimen inter illas duas voces nondum fuerit accuratius definitum. At inanis coniectura. Nonne toto praecedente capite inculcabatur, quamlibet lege divina prohibitam actionem et peccatum esse in actu (חטאה), et tamquam *reatum* in homine permanere (אשם)? Oblatio vero ab homine prolata tam actui illi expiando quam reatui removendo destinatur : ergo apte et חטאה scribitur et אשם.

Quaerat aliquis, an in materia trium peccatorum confitendorum eadem in victimis diversitas, atque cap. 4, observanda fuerit, ut aliam pontifex et universus populus, aliam princeps, aliam privatus offerret. Textus utique supponit, haec peccata inter pauperes longe esse frequentiora. Certe non poterant ab universo populo committi; neque facile a pontifice aut principibus, qui et cultiores essent moribus, et servos habebant, quo remotius v. g. evadebat periculum cadaveris cuiusdam attingendi. Ergo crediderim, victimas v. 6 sqq. pro quorumvis ordinum hominibus assignari.

v. 7 « *Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures*

vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato et alterum in holocaustum ». Eadem purificationis oblatio 12,8 pauperibus indicitur, ita tamen ut offerendum scribatur « unum in holocaustum et alterum pro peccato ». Audacius ex solo verborum ordine infert *Aug.*, in purificatione praecessisse holocaustum sacrificium pro peccato, nostro vero loco subsecutum esse. v. 8 « *Dabitque eos sacerdoti, qui primum offerens* » *illum, qui est* « *pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas* », — *Hebr. : avellet caput eius e regione cervicis*, cf. quae dicebamus ad 1,14 sqq. — « *ita ut* [*collo haereat, et*] *non* [*penitus*] *abrumpatur* ». v. 9 « *Et asperget de sanguine eius parietem altaris; quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius*, [*quia*] *pro peccato est* »; vel *hoc est* (sacrificium) *pro peccato*, cf. 4,21. 24. v. 10 « *Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet* », ritu 1,15 sqq. descripto; « *rogabitque pro eo sacerdos* [*et*] *pro peccato eius, et dimittetur ei* ».

v. 11 « *Quod si non quiverit manus eius duos offerre turtures aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similae partem ephi decimam* » *pro peccato.* « *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est* ». Haec siquidem a sacrificiis pro peccato excludebantur, cf. Num. 5,15. v. 12 « *Tradetque eam sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monimentum eius,* [*qui obtulerit*] », i. e. *tamquam ascaram*, cf. 2,2, *super combustiones Domini : hoc est pro peccato;* v. 13 « *rogans pro illo* [*et expians*] » *pro peccato eius, quod peccavit contra unum ex istis.* « *Reliquam vero partem ipse habebit in munere* », seu *tamquam mincham*, cf. 2, 3.

γ. Lex de sacrificio pro delicto Lev. 5,14-6,7.

Agi, uti praecedentibus, de *sacrificiis* expressiones produnt utrobique eaedem : « anima quae peccaverit » (5,15. 17; 6,2), « per errorem » (5,15), « feceritque unum etc. » (5,17), « portabit iniquitatem » (5,17; cf. 5,1), יהביא (5,15. 18; 6,6); tandem cum 5,16. 18; 6,7 conferas 4,20. 26. 31. 35; 5,6. 10. 13. Immolationis ritus, qui neque 5,6 describebatur, h. l. tanto minus describitur, quod secundum 7,7 fuerit adamussim idem atque ritus sacrificii pro peccato. Illud hae leges proprium habent, additam 5,16 et 6,5 *restitutionem*, illud item, victimam non simpliciter praescribi arietem, sed addi בערכך 5,15. 18; 6,6.

Nomen ערך omnino sonat *aestimationem, pretium* (cf. 27,3 sqq.), et ita reddunt versiones, sed suffixum ך constanter ignorant. Videtur illud reapse cum nomine ita coaluisse, ut nativam significationem penitus amiserit : cf. similem expressionem

באכה Gen. 13,10 et alibi. Secus vix posset explicari constructio 27,12 בערכך הכהן, « secundum sacerdotis aestimationem ». Cf. etiam *Levy :* Neuhebr. u. Chald. Wörterbuch, ad vocem ערך. Ergo illud בערכך vertendum est *pretio* vel *secundum aestimationem*. Explicat *Vulg.* 5,18 et 6.6 *secundum aestimationem peccati*, ut ergo pro gravioribus peccatis opimior penderetur aries. Id non satis consonat 5,15, ubi aries praescribitur non pro diversis peccatis diversi pretii, sed universim duorum siclorum. Et merito monet *Dillm.*, non tantam esse arietum inter se discrepantiam, ut peccatorum gravitatis gradus pro portione repraesentare queant. 5,15 eandem expressionem Vulg. aliter interpretatur, sc. de pretio arietis.

Iam illud בערכך 5,15 additam habet explicationem, ut sensus sit : *pretio duorum* (nam cum *Vulg.* omnino punctandus est dualis) *siclorum argenti, pondere sanctuarii*. Illa explicatio potuit primitus versui 15 adscribi, ac dein 5,18 et 6,6 brevitatis causa omitti; vel potuit serius adiici. Illud haud placet; Hebraei aevi pastoralis arietes, ut plurimum, non emebant argento, sed e grege desumebant, animalis moles non pretio, sed aetate exprimebatur (aries unius anni etc.). Suspicor igitur, primitus solam vocem בערכך in textu fuisse. Cuius sensus is erat, eum arietem non esse pro lubitu offerentis, sed sacerdotis iudicio seligendum, ne tenuiora offerrentur animalia. Postmodum, quo tempore iam pastorali vitae minus addicti essent Hebraei et res argenti pretio aestimarent, additae sunt voces *duo sicli argenti, pondere sanctuarii*, quibus et pretium definiretur et sacerdotum exactionibus figeretur limes.

א. *Pro delicto commisso in re sacra* Lev. 5,14-19.

Arg. — Qui in sacris gravius deliquit, arietem offerat immolandum. Si damnum praeterea intulit, illud sarciat addita quinta parte.

5,15 uti 4,1; 5,1; 6,1 orditur verbis נפש כי; v. 17 habet formulam complexam אם נפש כי (cf. 4,27).

v. 14 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 15 « *Anima si praevaricans* [*ceremonias*] *per errorem in his, quae Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarii* » (cf. Ex. 30,13). Infelicius *ceremonias* inseruit *Vulg.* Exinde, quod v. 16 restitutionem iniungat, patet *sancta Domini* intelligi res, donaria, decimas, quae sacerdotibus vel sanctuario iure obvenerint (*Aug.*). Praescribitur animal masculum, quod dignius est; nullum principum aut privatorum statuitur discrimen; nulla pauperibus conceditur indulgentia, qui fortasse vix unquam hoc delicti genus committerent. v. 16 « *Ipsumque, quod intulit damni, restituet, et quintam partem ponet supra* », superaddet, ut igitur praeter arietem sex quintas reddat damni illati, « *tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem* » *pro reatu, et* « *dimittetur ei* ».

v. 17 sqq. apparentem habet contradictionem cum 4,27 sqq. Utrobique de iisdem peccatis sermo esse videtur, et ibi offerenda praescribi capra vel agna, hic vero

aries. Perspexit vero iam *Aug.* hanc legem, uti praecedentem v. 15 sq., restringi ad *sancta Domini*, ad delicta sc. in sanctuarium, personas et res sacras admissa, quae restitutionem quidem non exigebant; nam de hac v. 15 sq. agebatur. Talium delictorum reis haud puto insuper sacrificium 4,27 sqq. offerendum fuisse. Porro, legem restringi ad sancta Domini, colligimus ex intimo nexu cum v. 15 sq., et ex clausula v. 19, quae non solum uti v. 13 etc. sonat : « haec est oblatio pro peccato », sed : « haec est oblatio pro delicto, delicti quippe reatum contraxit *quoad Dominum* » (*Cai.*).

v. 17 « *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quae Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam* », — *Hebr.* consuetas habet formulas : *et nesciverit, et reatum contraxerit, et portaverit iniquitatem suam.* Duae ultimae expressiones (cf. 5,1 cum 4,13 etc.) synonymae sunt : hic copulantur ad maiorem gravitatem sermoni addendam, qui est de peccatis in sacris admissis — v. 18 « *offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti iuxta mensuram [aestimationemque] peccati; qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, et dimittetur ei* », v. 19 « *quia per errorem deliquit in Dominum* ». Multo solemnius *Hebr. : Haec est (oblatio) pro delicto : delicti quippe reatum contraxit quoad Dominum.*

ב. *Pro delicto commisso in re profana* Lev. 6,1-7.

Arg. — Qui gravius in popularem deliquit contra iustitiam, damnum sarciat addita quinta parte, et arietem offerat immolandum. Restitutio hic (cf. 5,15 sq.) exigitur primo loco; ab arietis oblatione facilius eximebatur damnificator pauper (cf. 5,7 sqq.).

Haec peccata non affirmantur *ex ignorantia* esse commissa. *Cap. VI* v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Anima, quae peccaverit et contempto Domino negaverit proximo suo* » — עמיתו, *populari suo :* vox item legitur 18,20; 19,11. 15. 17; 24,19; 25,14 sq. 17. Solum de iniustitia Hebraeo illata facienda erat reparatio coram sacerdote Iahve. Neque tamen hoc habet approbationem iniustitiarum non Hebraeis infligendarum — « *depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit* », v. 3 « *sive rem perditam invenerit, et inficians insuper peieraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines* », — haec omnia prodosis sunt. Agitur de illo, qui proximo aliquid *negaverit*, aut eum aliqua in re *fefellerit* (*LXX* ψεύσηται), atque hinc laeserit. פקדון Gen. 41,36 est *depositum*. תשובת יד, ἅπαξ λεγόμενον, vi etymi est aliquid in manu positum, *creditum in manu*, fortasse quomodocumque alteri commissum, ut illud aliquo ferat, aliud eo coemat etc. Minus feliciter *LXX* (cf. *Chald. Syr.*) κοινωνίας. גזל (cf. Gen. 21,25) dicit rem

possessori vi subtractam, ergo *rapinam.* עשק non dicit calumniam, sed *opprimere, fraudare.* Carpitur dein ille, *qui rem perditam invenerit et negaverit,* eamque retinuerit; tandem is, *qui iuraverit super mendacium,* mendacium iuramento firmaverit, *quoad unum ex omnibus illis, quae facere potest homo, ut peccet in illis;* et semper intellige periurium, quod proximo damnum intulerit. Iam haec clausula ad recensitas damnificationis species extenditur, non quasi de solis damnificationibus, quae adiectum periurium habeant, agatur; sed copula in ונשבע induit vim intensivam : *et imo qui iuraverit.*

Dices, inter se pugnare hinc 5,16 et 6,5, inde Ex. 22. Ibi sc. pro pecudibus maioribus reddendum scribebatur quintuplum, pro minoribus quadruplum, pro reliquis duplum : hic cuiuslibet rei ablatae sex quintae restituendae praescribuntur. Verum adverte, ibi agi de mulcta furi, qui non sponte fateatur crimen, a iudice imponenda; hic vero de mulcta furi, qui poenitens sponte fateatur iniustitiam (Num. 5,7), persolvenda. Hunc mitius tractari quam illum, aequum erat; itaque inducebantur homines ad damna aliis inflicta sponte reparanda.

v. 4 « *Convicta delicti* » — *Hebr.* his resumit prodosin : *et erit quia peccavit et reatum contraxit;* sequitur v. 5 apodosis, quam compendio *Vulg.* expressit — v. 5 « *reddet omnia, quae per fraudem voluit obtinere, integra, et quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat* ». *Hebr. : cuius est, ei dabit in die sacrificii sui pro delicto;* eodem fere tempore, quo arietem offert sacerdoti, restitutionem praestabit possessori. בראשו *in summa,* cf. Ex. 30,12. Pro qua voce *Syr.* habet בקרנא ; et notat *Levy,* קרנא apud neohebraeos dicere caput pecuniae (*gall.* le capital), quatenus usurae opponitur. v. 6 « *Pro peccato autem* », i. e. *sacrificium pro delicto,* « *offeret* » *Domino,* « *arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, iuxta aestimationem* [*mensuramque*] *delicti* » (cf. 5,15. 18). v. 7 « *Qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis, quae faciendo peccavit* ».

Legum series altera, prioris complementum Lev. 6,8 (1)-7,39.

a. De sacrificio quotidiano leges tres Lev. 6,8-32 (1-16).

Prima lex v. 8-13 omnino supponit legem Ex. 29,38 sqq. eamque non repetit, sed complet, praecipiens holocaustum quotidianum noctibus etiam continuari et ignem perpetuum esse oportere. — Item v. 14-18 agit de mincha quotidiana et ib. dicta (cf. Num. 28,3-8) complet statuens, quae eius minchae pars sacerdotibus cedat. Quod vini (Ex. 29,40) h. l. mentio desideretur, inferimus nullam eius partem sacerdotibus cessisse, sed totum libatione esse effusum. Ceterum non erat ea mincha, uti holocaustum, perpetua. Unus similae pugillus

mane aut vespere iniectus in ignem non, uti agni frusta, tota die aut tota nocte, sed tempore longe breviori consumebatur. — Dum haec mincha uti holocaustum, nomine totius populi profertur, altera mincha (v. 19-23; cf. v. 20) erat specialis *oblatio sacerdotum* (v. 20). Erat offerenda *in die unctionis* Aaron. Quae cum integro septiduo (8,33; Ex. 29,35) producenda fuerit, *Tost.* intelligit primum, *Lyr.* octavum diem, arbitrarie ambo : erit potius, uti alias frequenter, expressioni *in die* tribuendus sensus latior, ut idem sonet atque *in tempore*. Illa igitur oblatio proferenda primum erat septiduo consecrationis Aaron, quotidie : at non tum solum, sed etiam postmodum quotidie, dicitur quippe v. 20 « mincha perpetua » et v. 22 offerenda non a solo Aarone, sed a pontificibus item ab ipso progignendis. Uti populi holocaustum, ita haec sacerdotum mincha adolebatur tam mane quam vespere, nihil eius pro epulo sacro reservabatur.

α. De holocausto quotidiano Lev. 6,8-13 (1-6).

Arg. — Praeter holocaustum quotidianum matutinum, quod interdiu sicut et aliae victimae consumitur, holocaustum vespertinum per totam noctem producendum est. Ignis in altari, quandocumque id erectum fuerit, semper ardebit.

v. 8 « *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens* » : — vide, quae dicebamus p. 356 — v. 9 « *Praecipe Aaron et filiis eius : Haec est lex holocausti* ». Sicuti Ex. 29,39, ita etiam h. l. v. 20 oblatio matutina praemittitur vespertinae. Ratio vero, cur v. 9 tacito holocausto diurno illico sermo sit de holocausto vespertino, ea videtur esse, solum respectu noctis potuisse oriri dubium, deberetne continuo aliqua victimae pars in altari consumi. Interdiu id certe fiebat, non tam quod agnus matutinus aeque lente atque vespertinus crematur (*Bonfr.*), sed quod non deficerent pacifica (v. 12), alia holocausta et victimae pro peccato (*Sylv.*). At noctu sacrificia alia non offerebantur, quare agnum vespertinum oportebat lente comburi : « *Crematur in altari tota nocte usque mane* ». *Hebr.* post העלה legit על מוקדה, quod ἄπαξ λεγόμενον erit *in loco combustionis; LXX* על מוקדי; *Sam.* cum articulo על המוקדה. Adverte על ה non esse nisi repetitionem praecedentis עלה, et מוקדה cum *Vulg. Chald. Syr.* verte *flagrans* seu *crematur*. « *Ignis ex* [*eodem*] *altari erit* ». *Hebr.* : *et ignis altaris flagrabit in eo*, quod recte explicant *LXX* : *et non exstinguetur* (cf. v. 12). v. 10 *Mane facto*, « *vestietur tunica* » *linea* « *sacerdos et feminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorans ignis excussit et, ponens iuxta altare* », v. 11 « *spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis efferet eos extra*

castra, [et] in loco mundissimo [usque ad favillam consumi faciet] ». Cf. 4,12. Holocausti dignitas illustratur, cum non levita sed sacerdos, isque vestes sacras indutus, cineres extrahat; idem sacerdos, vestes quidem habens communes, cineres extra castra deferat (*Cai.*). v. 12 « *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos [subiiciens] ligna mane per singulos dies* ». Haec immediate nectuntur prioribus : sacerdos cineres removens non tamen permittet ignem exstingui sed, lignis suppositis, incendet holocaustum agni matutini, et cum eo hostias pacificorum. « *Et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum* ». v. 13 « *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari* ». *Hebr. : Ignis perpetuus flagrabit in altari, non exstinguetur.* Flagrabit in altari, quamdiu altare fixum stabit, nam quando illud involucris opertum in itinere portabatur, non flagrabat in illo ignis, licet ignis in aliquo vase portaretur.

β. De mincha quotidiana Lev. 6,14-18 (7-11).

Arg. — Minchae, quae utrumque (Ex. 29,40 sq.) holocaustum quotidianum comitabatur, pars in altari comburetur, reliquum sacerdotibus comedendum permittetur.

v. 14 « *Haec est lex sacrificii [et libamentorum]* », — *Hebr. minchae* — « *quae offerent filii Aaron coram Domino [et] coram altari* ». v. 15 « *Tollet [sacerdos] pugillum similae, quae conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monimentum odoris suavissimi Domino* »; v. 16 « *reliquam autem partem similae comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, et comedet in loco sancto atrii tabernaculi* ». Cui comedendum et ubi, quod cap. 2 non docebamur, definitur (*Sylv.*). v. 17 « *[Ideo autem] non fermentabitur* », — sententia non est necessario causalis; accipi potest ut repetitio prohibitionis, quae tanti momenti est, ne sc. fermentum ei similae *coquendae* admisceatur — « *[quia] pars eius in Domini offertur incensum* ». *Hebr. : partem eorum dedi eam de combustionibus meis.* Haec aut adiecta sunt ideo solum, ut excellentiam privilegii sacerdotibus collati illustrent, quos Deus suos admiserit convivas; aut ut rationem dent praecedentium : sacerdotum ille cibus azymus esse debet, quia non est nisi pars cibi Dei, qui etiam est azymus (*Ians.*). « *Sanctum sanctorum erit* », res sanctissima, a profanis non attingenda, « *sicut* » oblatio « *pro peccato atque* » oblatio pro « *delicto* ». v. 18 « *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud* »; et rationem efferunt *LXX* pro *stirpis Aaron* scribentes *sacerdotum :* decet prae ceteris sacerdotes, Dei veluti esse convivas. Pro *tantum* habet *Hebr. om-*

nes : omnes et solos certe postulat contextus ; « *legitimum* [*ac*] *sempiternum* [*erit*] *in generationibus vestris de sacrificiis Domini* ». Haec sunt appositio ad *comedent illud*. « *Omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur* », ablutione fungetur, antequam ad vitam profanam redeat. Cf. quae diximus ad Ex. 29,37 ; 30,29.

γ. De oblatione quotidiana sacerdotum Lev. 6,19-23 (12-19).

Arg. — Quotidie mane et vespere pontifex pro se universisque sacerdotibus mincham offeret, quae tota comburetur, cum non sit altior quisquam sacerdotibus ipsis, cui aliqua eius minchae pars assignari queat comedenda.

v. 19 «*Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 20 « *Haec est oblatio Aaron et filiorum eius, quam offerre debent Domino in die unctionis suae* ». Distinctius *eius* : solus quippe pontifex primitus ungebatur. Censebat *Cai.*, praepositionem ב h. l. accipiendam esse ad instar praepositionis מן : *inde a die*. Melius, uti supra monebamus, accipiatur sensu minime exclusivo : die unctionis et ita porro, *mincham aeternam*. Confirmat *Ios.* (Ant. III. 10. 7), hanc oblationem quotidie offerri consuevisse : « Sacerdos propriis sumptibus et quotidie bis offert Deo farinam oleo maceratam et modica coctione duratam : est autem farinae mensura assaron unus », i. e. decima pars ephi. « *Decimam partem ephi* », i. e. unum gomor (Ex. 16,36), « *offerent similae in sacrificio sempiterno* », *mincham sempiternam*, « *medium eius* » seu dimidium « *mane, et medium eius vespere* ». v. 21 « *Quae in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino* » v. 22 « *sacerdos, qui iure patri successerit, et tota cremabitur* [*in altari*] ». v. 23 « *Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo* ».

v. 21 מרבכת (cf. 7,12 ; 1 Par. 23,29) videtur derivandum a radice רבך *miscere* : hinc *LXX* πεφυραμένην. Ceterum sensus vocis ignoratur. *Aq.* ζεστήν consentit Vulgatae (*calidam*). Affine est *Chald. Symm. tenuem*, *Syr. recentem*. — Hanc vocem aliquae excipiunt a Vulg. ignoratae : תפיני מנחת תפים תקריב. Ἅπαξ λεγόμενον תפיני *LXX* vertunt ἑλικτά, *convolutum quid*, seu alia lectione ἐρικτά, *crassius comminutum* : ergo *convolvula* (?), *mincham buccellarum offeres*, opus pistorium in buccellas veluti redactum. Si advertas, תקריב et תביאנה esse voces synonymas, תפים et תפיני voces simillimas potuisse corruptione unam ex altera oriri, aliquam etiam deprehendi similitudinem inter מנחת et מרבכת, coniicies fortasse verba תפיני מנחת תפים תקריב corruptione orta esse ex תעשה מרבכת תביאנה. — Offerens v. 21 est pontifex, uti patet e v. 22, ubi reliqui habent *sacerdos unctus*. Ita enim v. 22 habet : *et sacerdos unctus, qui est post eum, de ipso* (natus), *idipsum offeret, statutum sempiternum Domino ; totum cremabitur*. v. 23 *Et omnis mincha sacerdotis*, qui h. l. fortasse rur-

sum intelligendus erit sacerdos unctus seu pontifex, *tota consumetur* (כליל, non עלה). *non manducabitur*.

b. De sacrificiis cruentis novellae tres Lev. 6,24 (17) — 7,21.

Dum tres de sacrificio quotidiano leges arctius cohaerebant inter se, sequentes tres novellae appenduntur appendicis instar ad praecedentem de sacrificiis tractatum.

α. Novella de sacrificio pro peccato Lev. 6,24-30 (17-23).

Arg. — Novella agit non tam de sacrificii pro peccato offerendi ritu, qui cap. 4 explicabatur, quam de eius sanctitate a *sacerdotibus* observanda. Quae sanctitas elucet e loco immolandae victimae pro peccato, qui est idem atque holocaustorum; e loco comedendarum carnium; e sanctificatione attingentium et subsequente lotione in loco sancto; e vasibus aut frangendis, aut defricandis et lavandis; e solis sacerdotibus ad epulum sacrum admissis.

v. 24 « *Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens* » : v. 25 « *Loquere Aaron et filiis eius : Ista est lex hostiae pro peccato : In loco, ubi offertur* » — *Hebr. immolatur* — « *holocaustum, immolabitur, coram Domino* ». Et redditur ratio (*Cai.*), quia « *sanctum sanctorum est* », seu sacrosanctum. v. 26 « *Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi* ». v. 27 « *Quidquid* » — seu rectius *quisquis*, πᾶς ὅ (LXX), nam statim de vestibus agitur, quibus sacerdos induitur, dum vasa v. 28 recensentur — « *tetigerit carnes eius* », i. e. victimae, « *sanctificabitur; si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto* ». v. 28 « *Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur* », quia eiusmodi vas aliquid iusculi imbibit (*Bonfr.*); « *quodsi vas aeneum fuerit, defricabitur et lavabitur aqua* ». v. 29 « *Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia sanctum sanctorum est* ». v. 30 « *Hostia enim* », seu verius *autem*, « *quae caeditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario* », ad peragandos ibidem ritus expiationis, « *non comedetur, sed comburetur igni* ». Agitur de oblatione pro peccato vel pontificis vel universi populi (*Cai.*), in quibus sanguis inferebatur in tabernaculum (Cap. 4).

Sententia v. 26 eundem necessario sensum habet atque altera 7,7 : « ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit »; idem quippe utrobique ritus describitur. Non ergo *factum* declaratur, illum unum sacerdotem brevi tempore totam illam carnium molem esse consumpturum; sed declaratur *ius* : ad eum pertinebit, manducabit per se vel per alios. v. 29 porro definit, quinam ab hoc sacerdote ad epulum sacrum

accersiri queant, sc. mares omnes sacerdotes, etiam nondum consecrati; ad solos quippe sacerdotes spectabat id, quod sanctum sanctorum erat. *Potuit* quidem 6,29 et similiter 7,6 declarationis gratia vel a Moyse adscribi legi antiquiori, vel a recentiore aliquo legi mosaicae; non tamen *debuit*.

β. Novella de sacrificio pro delicto Lev. 7,1-10.

Huius sacrificii cum sacrificio de peccato omnimoda 7,7 aequalitas affirmatur. Quae de eo traduntur, eandem confirmant. Utrumque sacrificium dicitur « sanctum sanctorum », eodemque loco immolatur (6,25; 7,1 sq.); in utroque tota adeps eademque partes altari imponuntur (4,8 sq. 19. 26. 31. 35; 7,3 sq.; cf. textum hebr.), dum reliquum cedit sacerdotibus (6,26. 29; 7,6). Cum igitur plena utriusque sacrificii aequalitas 7,7 statuatur, haud mirum aliqua mox ib. reticeri, facile ex ante dictis supplenda : sanguine victimae attingi cornua altaris (cf. 4,25. 30), manum ab offerente victimae imponi (4,4. 15. 24. 29). Diversitatem sibi visi sunt aliqui reperisse 7,2, ubi sanguis iubetur fundi per gyrum altaris, dum 4,7. 18. 25. 30 in basin altaris fundebatur. Sed, cum 7,2 *Hebr.* legat *super altare per gyrum*, et *LXX super basin altaris per gyrum*, reapse minime constat adesse diversitatem, imo comparatione 7,7 probabilior redditur lectio LXX diversitatem ignorans. Unica iam manet difficultas, non determinari cap. 7 victimam. Quae quidem e voce אליה 7,3 ovis esse indubie colligitur, cum ea vox pinguem quarumdam ovium caudam exprimat (Ex. 29,22; Lev. 3,9; 8,25; 9,19). At in lege hac sacrificali rem tanti momenti, quanti est ipsa victima, primitus indirecte tantum esse indicatam, non diserte expressam, credi nullatenus potest. Ergo praeferenda lectio *LXX* ante האשם v. 1 (cf. item v. 2) legentium האיל : *haec est lex arietis pro delicto*. Quae vox excidere potuit cum ob similitudinem cum האליה v. 3. tum quod in inscriptionibus 6.9. 14. 20. 25 nomen victimae non legeretur, ergo etiam ab inscriptione 7,1 censeretur debere exsulare. At falsa illatio, cum reliquis sacrificiis *diversa* adhiberentur pecorum genera, quae minus commode omnia in inscriptionibus enumerabantur; e contra sacrificiis pro delicto solus adhibebatur *aries*.

Cap. VII v. 1 « *Haec quoque lex* [*hostiae*] *pro delicto* » : — *LXX arietis pro delicto* — « *Sancta sanctorum est* », i. e. sacrosancta. v. 2 « [*Idcirco*], *ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto* ». Eadem, quae 6,25 dicuntur. « *Sanguis eius per gyrum altaris fundetur* ». Recole, quae de huius loci lectione modo dicebamus. v. 3 *Hebr.* primum offerendam scribit omnem adipem, dein eius adipis partes enumerat. « *Offerent ex ea caudam et adipem, qui operit vitalia* », v. 4 « *duos renunculos et pinguedinem, quae iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis* ». v. 5 « *Et adolebit ea sacerdos super altare : incensum est Domini pro delicto* ». *Hebr. : combustio Domini est, victima pro delicto est.* v. 6 « *Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur his* [*carnibus*] » (cf. 6,26. 29) — *ea*, sc. victima, ea victimae parte quae non adoletur, — « [*quia*] *sanctum sanctorum est* ». Affirmatur porro, totum hostiae pro delicto offerendae ritum eundem esse, atque ritum hostiae pro peccato : v. 7 « *Sicut pro peccato* [*offertur hostia*], *ita et pro delicto : utriusque hos-*

tiae lex una erit. Ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit », non ad reliquos sacerdotes.

Ultima verba occasionem praebent adnectendi huic pericopae aliqua, quae non spectant hostias pro delicto, sed sacerdotum in variis sacrificiis portiones. Recensentur primum eae, quae sacerdoti celebranti, dein eae quae omnibus una sacerdotibus obveniebant. v. 8 « *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius* » (cf. 1,6). v. 9 « *Et omne sacrificium* », omnis mincha « [*similae*], *quod coquitur in clibano* » (2,4; Ex. 8,3), « *et quidquid in craticula* » (Lev. 2,7) « *vel in sartagine* » (2,5; 6,21) » *praeparatur, eius erit sacerdotis, a quo offertur* ». v. 10 « *Sive oleo conspersa sive arida fuerint* », — *Hebr. : et omnis mincha conspersa oleo et sicca* — « *cunctis filiis Aaron mensura aequa per singulos dividetur* ». « Distinguit lex munus crudum a munere cocto » (*Cai.*), quod utique nobilius habebatur et erat.

γ. Novella de sacrificio pacificorum Lev. 7,11-21.

Arg. — Hostia pacifica *pro gratiarum actione* v. 11-15 ceteris hostiis pacificis videtur habita esse nobilior. Plures ad eiusmodi hostiam confluebant (v. 15) convivae. Erat fortasse Moyse etiam antiquior usus celebriori ritu pro gratiarum actione litandi. Addenda igitur praescribitur mincha v. 12, et praeterea v. 13 sq. panes fermentati, non utique tamquam sacrificii, sed tamquam epuli sequentis pars. Carnes ipsa die comedendae praecipiuntur.

v. 11 « *Haec est lex hostiae pacificorum, quae offertur Domino* ». Ultimum incisum intime iunge sequentibus : quae offertur Domino, sive pro gratiarum actione, sive ex voto aut sponte. Ex illo igitur immerito infert *Dillm.* fuisse praeter eas, quae Iahve offerebantur, hostias pacificas alias, quotiescunque sc. mactato pecore habebatur amicum convivium. Nihil de eiusmodi privatis mactationibus habet textus. v. 12 « *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana* » (Ex. 29,2. 23) « *azyma uncta oleo, coctamque* » — *Hebr. mixtam* (cf. 6,21) — « *similam, [et] collyridas* « seu placentas » *olei [admistione] conspersas* ». v. 13 « *Panes quoque fermentatos* » *offerent* « *cum hostia gratiarum, [quae immolatur] pro pacificis* ». v. 14 « *Ex quibus unus pro primitiis* », seu potius pro oblatione seu dono, « *offeretur Domino, et erit sacerdotis, qui fundet hostiae sanguinem* ». v. 15 « *Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane* », sed igne absumetur (cf. v. 17), « ut ista necessitate compulsi pauperes convivii sui socios haberent » (*Theodoret.*). Cf. dicenda ad 19,5 sqq.

v. 12 וסלת מרבכת חלת בלולת בשמן est constructio mire dura; *Vulg.* inseruit copulam : utrovis modo habetur fere repetitio praecedentis חלות מצות בלולת בשמן. Crediderim errore amanuensis tres voces esse bis descriptas.

Arg. — Hostiae pacificae, quae non in gratiarum actionem, offeruntur v. 16-21 vel ex obligatione voti vel omnino sponte. In iis, quod non ita solemniter et coram paucioribus immolentur, alter dies comedendae carni conceditur. Variae recensentur immunditiae, quae respectu illius carnis incurri queant.

v. 16 « *Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die; sed, etsi quid in crastinum remanserit, vesci licitum est* »; v. 17 « *quidquid autem* » *de carne victimae* — nam ad similam et panes hae leges explicite non extenduntur — « *tertius invenerit dies, ignis absumet* ». Post enuntiatam legem minae intentantur transgressoribus. v. 18 « *Si quis* », etiam alius ab offerente, « *de carnibus victimae pacificorum die tertio comederit* », *non placebit offerens illam* (*Hebr.*), et hinc « *irrita fiet oblatio* », *non reputabitur ei* (*Hebr.*), et hinc « *nec proderit offerenti* »; *corrupta erit* (*Hebr.*), quod *LXX* vertunt μίασμά ἐστιν : « [*quin potius*], *quaecunque anima tali se edulio contaminaverit, praevaricationis rea erit* », *Hebr. : portabit iniquitatem suam*, quod idem sonat, atque reatum contrahet. Severa sunt verba. Si hostia ex voto offeratur, erit repetenda; et semper ei, qui se contaminaverat, offerendum erit sacrificium pro peccato ad reatum removendum. — Imo neque duobus primis diebus fas est ea carne vesci, si illa contraxerit immunditiem : v. 19 « *Caro, quae aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni* ». — Obscurum est apud *Vulg. LXX* sequens incisum : « *Qui fuerit mundus, vescetur ex ea* ». *Hebr. Sam. :* (*et*) *caro*, ea sc. quae non fuerit foedata contactu rei immundae, *mundo cuique fas est de ea carne manducare.* v. 20 Sed « *anima polluta, quae ederit de carnibus hostiae pacificorum, quae oblata est Domino, peribit de populis suis* »; v. 21 « *et quae tetigerit immunditiam hominis vel iumenti sive omnis rei, quae polluere potest* », — *Hebr. : omnis abominationis immundae* — « *et comederit de huiuscemodi carnibus, interibit de populis suis* ». Locus, ubi comedenda caro, non enuntiatur : debuit is esse prope sanctuarium, ubi brevi ante epulum sacrum tempore victima mactabatur; non tamen ipsum sanctuarium, id enim uti 6,16 explicite sane statueretur.

c. Appendices duae Lev. 8,22-36.

Hebraeus post v. 21 non scribit parascham minorem : tamen v. 22-27 aeque ac v. 28-36 a praecedentibus dividuntur. Duo haec divina effata

rursum, pro subiecta materia, non ad sacerdotes sed ad « filios Israel » proferuntur. Non sunt « leges » (זאת תורת), sed praecedentium legum appendices.

α. De non comedendo adipe et sanguine Lev. 7,22-27.

Arg. — Neque adeps neque sanguis animalium sacrificalium unquam comedendus. Eorum tamen, qui casu aliquo interierint, adeps ad profanos usus conceditur. Oratio ab adipe victimarum pacificarum profecta, de quibus sunt immediate praecedentia et immediate sequentia (v. 11-21. 29-36), legem de adipe, quod tanti momenti sit, unico generali conspectu complectitur, indeque ad alteram legem item gravissimam de sanguine non comedendo transit.

v. 22 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 23 « *Loquere filiis Israel : Adipem ovis et bovis et caprae non comedetis* ». Columbarum et turturum non fit mentio, quod in eis vix adeps deprehendatur. v. 24 « *Adipem cadaveris morticini et eius animalis, quod* [*a bestia*] *captum est, habebitis in varios usus* », sed nequaquam comedetis illum. Agitur de iisdem atque supra animalium classibus. v. 25 « *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo* ». Sed aliter *Hebr. : Omnis edens adipem de pecoribus, de quibus sumuntur hostiae in combustiones Domini, peribit etc.* Quibus verbis non solus adeps altari imponendus, sed omnis adeps ovis, bovis et caprae interdicitur. Ab adipe ad sanguinem progressus legislator repetit sanguinis prohibitionem. v. 26 « *Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus* ». *Hebr. Et omnem sanguinem non manducabitis in omnibus habitaculis vestris, usque ad aves et iumenta;* neque publice, neque privatim (cf. 3,17; Ex. 12,20). Prohibitio haec ad *aves* extenditur, quia etiam illae sanguinem habent; ultra *aves et iumenta* non progreditur, quia tota est de solis victimis sacrificiorum. Sc. agens de sacrificiis auctor, leges generales de adipe et sanguine (3,16 sq.) non comedendis quoad sola sacrificiorum animalia repetit : non tamen ideo veniam concedit adipis aliorum animalium mundorum comedendae. v. 27 « *Omnis anima, quae ederit sanguinem, peribit de populis suis* ».

β. De portione pacificorum sacerdotibus obtingente Lev. 7,28-36.

Pericope v. 28-36, qualis nunc legitur, utique non est Moyse antiquior, cum Aaronis nomen ter habeat. Quo non excluditur aliqua vel omnia, quae ibi sacerdotibus Aaronicis danda praescribuntur, ante Moysen sacerdotibus dari consuevisse, non lege divina sed ordinatione humana; unde in ea etiam hypothesi potuerit vere dicere Deus v. 34 : « Dedi Aaron lege perpetua ». — Ceterum v. 29 *Sam. LXX* ver-

borum ordinem invertunt : ואל בני ישראל תדבר, « ad filios autem Israel loqueris ». Quae lectio suam habet probabilitatem suggeritque aliquem aliquando praecessisse textum, Moysis de eadem re verba ad Aaron eiusque filios directa referentem. Ceterum incertae lectioni firma conclusio superstrui nequit. Cf. *Dillm.*

Arg. — Quid minchae, quae hostiam pacificorum comitabatur, sacerdoti cederet, dicebamus v. 14 : iam docemur, quid ipsius hostiae pacificorum ad sacerdotem sacrificantem, quid ad sacerdotes universim spectaverit.

v. 28 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 29 « *Loquere filiis Israel dicens : Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat* [*simul et*] *sacrificium*, [*i. e. libamenta eius*] ». Textum conatus interpretari *Hier.* a vero sensu misere aberravit; nihil de *libamentis* textus habet. Apud *Hebr.* ita sonat apodosis : *afferet donum suum Domino de hostia pacificorum*, ubi recte *Ps. Ion.* supplet *ipse in persona* seu, quod habet v. 30, « suis manibus ». Non poterat id alteri demandare : aequum sc. erat, ut is, qui convivium hoc sacrum instruxerat. Deo *ipse* portionem offerret, non alius. Ex hoc igitur textu inferas, quando in re sacrificiorum non explicite affirmetur, offerentem aut sacerdotem *ipsos* aliquid efficere, non excludi vi textus, eos id efficere per alium aliquem. *LXX* copulam habent ante מזבח : hac supposita lectione, duae extremae v. 29 voces erunt trahendae ad versum sequentem. v. 30 « *Tenebit manibus adipem hostiae et* » — *Hebr. cum* (cf. 10,15) — « *pectusculum, cumque* [*ambo*] *oblata Domino consecraverit*, [*tradet*] *sacerdoti* ». *Hebr.* repetita voce *pectusculum* pergit : *quod separandum est tamquam portio* (תנופה, cf. Ex. 29,26 sqq.) *coram Domino*. v. 31 « *Qui adolebit adipem super altare; pectusculum autem erit Aaron et filiorum eius* », non unius tantum sacerdotis. v. 32 « *Armus* » — cf. quae ad Ex. 29,22 dicebamus — « *quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias* », seu verius *in portionem* « *sacerdotis* ». Et, qui sacerdos intelligatur, explicat v. 33 : « *Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron, ipse habebit et armum dexterum in portione sua* ». v. 34 « *Pectusculum enim elevationis et armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti et filiis eius lege perpetua, ab* [*omni*] *populo Israel* ». Verbum rediens ad primam pers. sing. et orationem connectens cum Dei eloquio v. 29 innuit eam, quae v. 28 inceperat, v. 34 terminari pericopen. Portio Aaroni et filiis assignata est a suprema Dei auctoritate, lege perpetua et universali : erit ergo fideliter et religiose ab omnibus pendenda.

v. 31 lectio *LXX Syr.* והקריב pro והקטיר originem duxit aut ex earum vocum similitudine, aut ex recentiori aliqua sacerdotum praxi

prolationem portionis sacrae sibi arrogantium. An ritus quoque, qui תנופה vocatur, ab offerente, uti *Vulg.* supponit, sit peractus, e v. 30 non indubie colligitur : sed 10,15 clare docemur, eum a sacerdote peractum esse. Tandem indubie secundum 7,31 sacerdotis erat adipem incendere.

v. 35 « *Haec est unctio Aaron et filiorum eius in ceremoniis Domini die, qua obtulit eos* [*Moyses*], *ut sacerdotio fungerentur* », — nihil de *ceremoniis Hebr.* habet : *de combustionibus Domini, in die quo promovit eos* (Deus), *ut sacerdotio fungerentur Domino.* במשחה, quod alia punctatione habetur item Num. 18,8, a *Syro* quidem vertitur *mensura* (portio), quem sensum radix apud Chald. Syr., nunquam vero apud Hebr. induit; debet porro eius nominis significatio affinis esse significationis vocis במשחו v. 36, quae minime ad mensurae notionem reducitur. *Vulg.* h. l. et Num. 18,8 et *LXX* Num. 18,8 vertunt *unctio* : non tamen ipsa unctio intelligitur, quae nequeat esse *de combustionibus Domini*, sed « merces, pars, pretium, stipendium » (*Malv.*), « fructus et proventus unctionis » (*Mar.*). Ad quem sensum revocatur *Chald. excellentia, Vulg.* Num. 18,8 *pro officio*, *LXX* ib. γέρας vel τίμη, et lectio *LXX* h. l. μεγαλειότης. Sed quomodo sermo est de *unctione filiorum Aaron*, cum simplices sacerdotes ungi tum non consueverint? Honorantur et unguntur omnes in suo capite et parente Aaron; et praeterea eorum plures reapse ungebantur, ii sc. qui parenti in pontificatu successere. *In die* h. l., uti 6,20 et fortasse etiam Gen. 2,4, sensum induit *ea die et deinceps*, seu *a die* (*Malv.*). v. 36 « [*Et*] *quae praecepit eis dari Dominus* » *in die, quo unxit eos*, « *a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis* ». Poteris etiam iungere *quo unxit eos de filiis Israel.* Perspicies porro, quid sibi velit v. 35 sq. Non est subscriptio ad omnia cap. 6 sq. de partibus sacerdotibus concedendis scripta, sed intime versui 34 iungitur ita, ut *haec* v. 35 referatur ad *pectusculum* et *armum* versui 34. Subscriptioni solemnitatem addit ter expressum nomen *Iahve*.

Subscriptio Thorae Sacrificiorum Lev. 7,37 sq.

v. 37 « *Ista est lex holocausti* » *et minchae* « *et sacrificii pro peccato atque delicto et pro consecratione et pacificorum victimis* », v. 38 « *quam* » — *LXX* vertunt ἓν τρόπον — « *constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando* » — *in die quo* — « *mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai* ». Ubi primum advertas, quomodo haec subscriptio tota sit efformata ad instar clausulae v. 35 sq. Initio זאת במשחת etc. correspondet alterum initium זאת

תורת etc. Secundum membrum utrobique orditur vocibus אשר ציה יהוה. Cum ביום צותו את בני ישראל confer ביום משחו אתם את בני ישראל; cum להקריב את קרבניהם ליהוה confer ביום הקריב אתם לכהן ליהוה. Ergo aut unus idemque auctor et v. 35 sq. scripsit et v. 37 sq. ad eius imitationem effinxit, aut recentior aliquis auctor v. 37 sq. imitatus est antiquioris v. 35 sq. auctoris stilum. Nota v. 35 a prima persona (*tuli*) transiri ad tertiam. Nota, quam impeditus tam v. 35 sq. quam v. 37 sq. sit stilus : ibi *tempus* duplici ביום describitur (cf. Gen. 2,4 et, quae ad Ex. 6,28 dicebamus p. 75 sq.), hic duplici expressione *locus* definitur, ut Moyses quidem ostendatur mandata divina accepisse *in monte Sinai*, populus vero illa exsecutus *in deserto Sinai*, fortasse quo ostendatur populi in divinam prohibitionem Ex. 19,12 obedientia.

Quaeritur, subscriptio v. 37 sq. pertineatne ad solam pericopen 6,8-7,36 (*Dillm.*), an ad omnes leges Lev. 1-7 (*Cai.*). Pro priore sententia affertur vox תורה v. 37, quae respiciat eandem vocem 6,9. 14. 25; 7,1. 11; item sacrificiorum v. 37 enumeratio, quae conformis sit ordini 6,8-7,36 (holocaustum, mincha, sacrificium pro peccato et pro delicto et pacificorum), discordet vero ab ordine 1,1-6,7 (holocaustum, mincha, pacifica, sacrificium pro peccato et pro delicto). Neutra ratio est efficax. Quorsum subscribatur vox תורה extremae pericopae 6,8-7,36, cuius singula membra eandem vocem iam frontibus inscriptam gerunt? At aptissime subscribitur collectioni documentorum Lev. 1-7. Scriptor sc. plures leges נפש כי, quae ad thorarum auctoritatem eousque nondum pertigerant, pluresque leges זאת תורת, quae thorae iam agnoscebantur, in unam collegit *thoram sacrificiorum*, aequam omnibus tribuens auctoritatem. — In enumerandis vero eius thorae maioris sacrificiis debebat scriptor, ni tertium et novum ordinem cudere mallet, ordinem sequi aut 6,8-7,36 aut 1,1-6,7 observatum. Si ordinem 1,1-6,7 secutus esset, non hinc tamen inferre liceret, subscriptionem 7,37 sq. ad solam illam priorem pericopen spectare : quomodo igitur ex retento enumerationis 6,8-7,36 ordine fas erit concludere, subscriptionem ad solam hanc posteriorem pericopen pertinere? — Sed perpendenda h. l. est vox מלואים v. 37, exprimens sacrificium in sacerdotum consecratione offerendum, de quo nihil habetur Lev. 1-7. Si porro subscriptio v. 37 sq. supponatur referri solum ad 6,8-7,36, haud perspicitur, quomodo ea vox h. l. irrepserit, cum ea pericope per se spectata a consecrationis ritu Ex. 29 explicato longo intervallo disiungatur. Aliter res habet, si subscriptionem referas ad totam pericopen Lev. 1-7. Scriptor *omnes* has de sacrificiis leges colligens, simulque memor alius cuiusdam de sacrificiis legis antea editae, eius quoque nomen inscriptioni inseruit. Quod eo sapientius adstrues, si supponas *eundem* virum et leges collegisse et collectas narrationi historicae contexuisse. Causaberis, talem agendi modum prodere collectoris calamum negligentem. Cui breviter repono, collectoris calamum reapse non fuisse aeque perpolitum, stilum non aeque ad omnem apicem exactum, sicut nostratum in academiis professorum calamos et stilum. Erat autem gravis ratio vocis מלואים v. 37 inserendae. Qua inserta efficiebatur, ut lex Ex. 29 tradita non iam pro sola Aaronis, sed pro omnium futurorum pontificum consecrationibus thorae perpetuo valiturae nancisceretur auctoritatem.

4. *Sacerdotum consecratio* Lev. 8-10.

Arg. — Aaron filiique ritu Ex. 28 sq. descripto sacerdotes ordinantur (Lev. 8). Absoluta octiduo ordinatione, postquam Aaron pro se et pro populo sacrificia obtulit, insigni miraculo eius sacerdotium confirmatur (Lev. 9). Nadab et Abiu, Aaronis filii, igne pro thuribulis usi non sacro, portento interimuntur (Lev. 10).

a. Sacerdotes Aaronici consecrantur Lev. 8.

Cum hoc caput ea potissimum exsecutioni mandet, quae Ex. 28 sq. fuerant praecepta, pleraque h. l. sine explicatione transmitti possunt.

α. Unctio et vestes sacrae Lev. 8,1-13.

Cap. VIII v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum* » — *LXX eius; Hebr.* suffixum non habet, sed e v. 13 collige, non de solius Aaronis vestibus agi — « *et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis* » (Ex. 29,1 sqq.), v. 3 « *et congregabis omnem coetum ad ostium tabernaculi* », sive Israelitas universos (*Sylv.*), sive selectos quosdam et veluti senatum, nam hunc etiam sensum verba non excludunt (*Cai.*). v. 4 « *Fecit Moyses, ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi* », v. 5 « *ait : Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri* ». Pluribus vel paucioribus verbis Dei de Aaronitis ad sacerdotium promovendis consilium exposuit. v. 6 « [*Statimque*] *obtulit*», accedere iussit « *Aaron et filios eius. Cumque lavisset eos* », et ipsi feminalia induissent (Ex. 28,42 sq.), quibus ipsos non octavo solum (cap. 9) die, sed praecedenti item septiduo indui profecto oportuit, v. 7 « *vestivit pontificem subucula* [*linea*] », i. e. tunica interiore, « *accingens eum balteo, et induens eum tunica* [*hyacinthina*], *et desuper humerale* » seu ephod « *imposuit* »; v. 8 « *Quod adstringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas* », Urim et Thummim. v. 9 « *Cidari quoque texit caput, et super eam, contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione* ». — *Hebr. coronam sanctitatis* — « *sicut praeceperat ei Dominus* ».

Sacrarum vestium impositionem sequitur unctio; et ex eo, quod Aaron unctus narretur, antequam filii sacris vestibus induti esse referantur, confirmatur, quod aliunde constat, filios Aaron seu simpli-

ces sacerdotes non esse unctos. v. 10 « *Tulit et unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua* »; v. 11 « *cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud et omnia vasa eius, labrumque cum basi sua sanctificavit* [*oleo*] ». v. 12 « *Quod fundens super caput Aaron, unxit eum et consecravit* ». Hebraeus, extremis tribus hisce versibus *consecrandi* verbum scribens distinctius effert, unctionis effectum primarium esse consecrationem, qua res seu persona ab usu profano removetur. Cf. Eccli. 45,7 sqq.

v. 13 « *Filios quoque eius oblatos* », seu accedere iussos, « *vestivit tunicis lineis, et cinxit balteis, imposuitque mitras, ut iusserat Dominus* ».

β. Consecrationis sacrificia Lev. 8,14-32.

א. *Vitulus pro peccato* Lev. 8,14-17.

v. 14 « *Obtulit et vitulum pro peccato; cumque super caput eius posuissent Aaron et filii eius manus suas* », v. 15 « *immolavit eum; hauriens sanguinem* [*et tincto*] *digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato et sanctificato fudit* [*reliquum*] *sanguinem ad fundamenta eius* ». Rursum *Vulg.* eius ceremoniae effectum obscurat. *Hebr.* : *et expiavit altare, et* (*reliquum*) *sanguinem fudit ad basin altaris, et consecravit illud ad expiationem faciendam super illud.* Primum altare oleo consecratur in usum cultus, dein idem sanguine consecratur ad specialem usum expiationis. Hinc clarius perspicies, quid sibi velit hinc pontifex oleo et sanguine consecratus, hinc sacerdotes solo sanguine consecrati. Solus ille semel in anno sanctum sanctorum ingreditur, quod est coelorum imago (Hebr. 9,7. 24). v. 16 « *Adipem vero* » *omnem*, « *qui erat super vitalia, et reticulum iecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis* » — sed reliqui *et adipem eorum* — « *adolevit super altare* », v. 17 « *vitulum cum pelle et carnibus et fimo cremans extra castra, sicut praeceperat Dominus* ». Carnes huius victimae pro peccato *cremantur*, quia non erat aequum sacerdotes eius victimae quid manducare, quae pro ipsorum peccatis offerretur; cremantur *extra castra*, quia carnes victimae pro peccato non erant comburendae in altari; cremantur sane eodem extra castra loco, ubi etiam alia quaedam cremabantur (cf. 4,12).

ב. *Aries in holocaustum* Lev. 8,18-21.

v. 18 « *Obtulit et arietem in holocaustum* »; — verte *holocausti* : hic aries vocatur *aries holocausti*, uti alter v. 22 *aries consecrationis*

— « *super cuius caput cum imposuissent Aaron et filii eius manus suas* », v. 19 « *immolavit eum, et fudit sanguinem eius per circuitum altaris* ». v. 20 « *Ipsumque arietem in frusta concidens, caput eius et artus* », i. e. frusta, « *et adipem adolevit* [*igni*] », v. 21 « *lotis prius intestinis et pedibus; totumque* [*simul*] *arietem incendit super altare,* [*eo quod*] *esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut praeceperat ei* ».

3. *Aries consecrationis* Lev. 8,22-32.

Sequitur victima pacificorum. v. 22 « *Obtulit et arietem secundum in consecratione* [*sacerdotum*] »; — *Hebr. : arietem consecrationis* — « *posueruntque super caput eius Aaron et filii eius manus suas* ». v. 23 « *Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine eius tetigit extremum auriculae dexterae Aaron, et pollicem manus eius dexterae, similiter et pedis* ». v. 24 « *Obtulit* », seu *accedere iussit,* « *et filios Aaron; cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculae singulorum dexterae, et pollices manus ac pedis dexteri,* [*reliquum*] *fudit super altare per circuitum* »; v. 25 « *adipem vero et caudam omnemque pinguedinem, quae operit intestina, reticulumque iecoris, et duos renes cum adipibus suis et armo dextero separavit* » — *Hebr. tulit.* v. 26 « *Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento* » *unum,* « *et collyridam conspersam oleo* » *unam,* « *laganumque* » *unum,* « *posuit super adipes et armum dexterum* », v. 27 « *tradens simul omnia Aaron et filiis eius. Qui postquam levaverunt ea* » *oblationem* « *coram Domino* », v. 28 « *rursum suscepta de manibus eorum adolevit super altare holocausti* », — *Hebr. : in altari super holocaustum,* holocausto imposita — « [*eo quod*] *consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis sacrificii Domino* ». Censet *Sylv.* ultima verba pandere rationem (*eo quod*), cur etiam armus dexter, praeter aliorum pacificorum ritum (cf. 7,32), fuerit combustus, sc. quia oblatio esset consecrationis. Ratio vera est, sed non exprimitur illis verbis, quae ab *armo dextero* v. 26 nimio intervallo separantur. In loco parallelo Ex. 29,22 brevis formula *eo quod sit aries consecrationis* coniunctione כי immediate affigitur verbis *armumque dexterum.* Ultima h. l. verba independenter construe : *Consecrationis est oblatio etc.*, quibus utique etiam ratio continetur combusti armi dexteri. v. 29 « *Tulitque pectusculum elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis, in partem suam, sicut praeceperat ei Dominus* ». v. 30 « *Assumensque unguentum* » *unctionis* « *et sanguinem, qui erat in altari, aspersit super Aaron et vestimenta eius, et super filios illius ac vestes eorum* »; pergitque *Hebr.* effectum eius

aspersionis clarius proponens : *et consecravit Aaron et vestimenta eius, et filios eius et vestimenta eorum cum eo.* v. 31 « *Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, praecepit eis dicens : Coquite carnes* », quae supersunt demptis iis, quae in altari cremabantur, et dempta Moysis parte (*Sylv.*), « *ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut praecepit mihi* [*Dominus*] *dicens : Aaron et filii eius comedent eos* ». Recte *LXX Vulg. Chald. Syr.* צִוִּיתִי *praeceptum est mihi*, loco *Masor.* צִוִּיתִי *praecipio ego.* v. 32 « *Quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet* ».

γ. Solemnitas septiduo continuanda Lev. 8,33-36.

v. 33 « *De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestrae ; septem enim diebus* [*finitur*] *consecratio* ». *Hebr. : implentur manus vestrae*, i. e. producitur vestra consecratio : et haec est ratio non excedendi tabernaculo, quia sc. consecrationis ritus nondum est absolutus. v. 34 « *Sicut et impraesentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur* ». *Hebr. : Sicut hac die factum est, praecepit Iahve ut fieret* reliquis diebus, *ad vos expiandum.* Ex. 29,36 sacrificium pro peccato singulis septidui diebus offerri iubetur : ex nostro versu inferre licet, etiam reliqua omnia esse repetita. v. 35 « *Die ac nocte* » *septiduo* « *manebitis in tabernaculo* » et non exibitis (v. 33), « *observantes custodias Domini* », — expressio petitur a militibus (4 Reg. 11,5 sq. ; Is. 21,8 : Hab. 2,1 etc.), atque illud certe exprimit, noctibus virum saltem unum vigilem esse oportere — « *ne moriamini : sic enim mihi praeceptum est* ». *Hebr. : et non moriemini.* Non dicuntur, si vigilias neglexerint, esse morituri : sed monentur, ne mortem vereantur, tam continuo manentes in sanctuario ; totam quippe rem Dei mandato fieri. v. 36 « *Feceruntque Aaron et filii eius cuncta, quae locutus est Dominus per manum Moysi* ».

b. Sacerdotum Aaronicorum prima sacrificia insigni miraculo honestantur Lev. 9.

α. Sacrificia indicuntur et miraculum praenuntiatur Lev. 9,1-7.

Cap. IX v. 1 « *Facto autem octavo die* », quem iure nescio quo *Ps. Ion.* facit primum diem Nisan ; absoluta sacerdotum consecratione, « cessat Moyses sacerdotio fungi, eandemque provinciam exinde tradit Aaroni » (*Proc.*) : « *vocavit Moyses Aaron et filios eius ac maiores natu Israel* », qui nomine totius populi victimas v. 3 producturi erant,

« *dixitque ad Aaron* » : v. 2 « *Tolle de armento vitulum* » — עגל, ergo h. l. revera tenerae aetatis animal, illudque masculum, quia *filius armenti* — « *pro peccato* », — et quidem *tuo*, ut contextus v. 7 sq. patefacit : « optimum principium, ut pontifex incipiat a sacrificio pro peccato proprio et a proprio holocausto » (*Cai.*). Colligitque hinc *Bonfr.*, non novum semper requiri peccatum pro nova peccati victima, sed has etiam offerri consuevisse pro iisdem iterato peccatis, pro peccatis ignoranter admissis et ignoratis, etc. — « *et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino* ». v. 3 « *Et ad filios Israel loqueris : Tollite hircum pro peccato, et vitulum atque agnum, anniculos et sine macula, in holocaustum* ». — animalia rursum mascula — v. 4 « *bovem et arietem pro pacificis* », — שור ex oppositione adעגל, videtur designare bovem non ita tenerae aetatis, tamen masculum, uti reliqua haec animalia omnia — « *et immolate eos coram Domino, [in sacrificio singulorum]* », quae mincham additam habere consueverant (ergo non victimarum pro peccato *Bonfr.*), « *similam conspersam oleo [offerentes]* ». Qua voce fortasse includuntur reliqua, quae 7,12. 16 recensentur, et fortasse etiam thus 6,15 (cf. *Sylv.*). Ratio autem tam solemnis sacrificii assignatur : « *hodie enim Dominus apparebit vobis* ». Pro peccato totius populi 4,13, quae expressio minime excludit pontificem, vitulus exigitur; pro peccato populi, qui h. l. a pontifice secernitur, hircus praescribitur (*Bonfr.*). Vel dicas, quando in unum sacrificium conspirabant et pontifex et populus, aequum esse visum, ut non eandem atque pontifex pro peccato populus victimam produceret, sed valoris paulo minoris.

v. 1 omnes legebant זקני; idem v. 3 *Sam. LXX* contra reliquos בני. Coniicit *Dillm.*, primitus utrumque versum habuisse בני. Lectio זקני v. 3 videtur nata esse ex admiratione, pro peccato populi offerri non bovem (4,14), sed hircum, qui 4,23 peccato principis attribuitur; videbantur autem senes v. 1 non immerito aequiparari posse principi. At lectionem בני v. 3 omnino confirmat v. 15.

v. 5 « *Tulerunt ergo cuncta, quae iusserat Moyses, ad ostium tabernaculi; ubi cum omnis multitudo adstaret* », non iam soli seniores, — sed solemnius *Hebr. : et accesserunt omnis congregatio, et steterunt coram Iahve* — v. 6 « *ait Moyses* » ad universum populum : « *Iste est sermo, quem praecepit Dominus : Facite* », i. e. sacrificate, « *et apparebit vobis gloria eius* ». v. 7 « *Et dixit ad Aaron : Accede ad altare, et immola pro peccato tuo, [offer] holocaustum* » *tuum* « *et deprecare pro te et pro populo* »; — sed *LXX et pro domo tua* — « *cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut praecepit Dominus* ».

חטאתך est *hostia tua pro peccato*, et intelligitur sane potissimum peccatum Aaronis et etiam filiorum eius. — Quaestionem movet *Aug.*, an hostia haec pro peccato

immolata fuerit *ante* holocaustum, cum tamen hostia pro peccato comburenda fuerit *super* holocaustum. Suggerit ipse, hanc regulam ad aliqua sacrificia non pertinuisse. Cum v. 17 (Hebr.) explicite commemoret holocaustum eius diei matutinum, ei sine dubio imponebatur hostia haec pro peccato.

β. Sacrificia offeruntur Lev. 9,8-22.

Sacrificia iam secundum ritum praevie statutum offeruntur. v. 8 « [*Statimque*] *Aaron accedens ad altare immolavit vitulum pro peccato suo* ». v. 9 « *Cuius sanguinem obtulerunt ei filii sui; in quo tingens digitum tetigit cornua altaris, et fudit* [*residuum*] *ad basim eius* ». (Cf. 4,7). Sacrificii ceremoniae aliunde notae nonnisi per compendium h. l. commemorantur; quod igitur aliquae ceremoniae cap. 4 descriptae h. l. non efferantur, non sequitur eas non esse observatas. v. 10 « *Adipemque et renunculos ac reticulum iecoris, quae sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut praeceperat Dominus Moysi* »; v. 11 « *carnes vero et pellem eius extra castra combussit igni* ». v. 12 « *Immolavit et holocausti victimam; obtuleruntque ei filii sui sanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum* »; v. 13 « *ipsam etiam hostiam* [*in frusta concisam*], *cum capite et membris* [*singulis*] », singulas partes successive, « *obtulerunt; quae omnia super altare cremavit igni* », v. 14 « *lotis aqua prius intestinis et pedibus* ». *Hebr.* addit : *cremavitque super holocaustum*, i. e. super reliqua frusta, *in altari*.

Expediuntur populi victimae. v. 15 « *Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum; expiatoque altari* », v. 16 « *fecit holocaustum* », v. 17 « *addens in sacrificio libamenta, quae pariter offeruntur, et adolens ea super altare, absque* [*ceremoniis*] *holocausti matutini* ». Oscitanti manu haec vertebat *Hier.* Ita habet *Hebr. : Et appropinquare fecit donum populi* (v. 3 sq.), *et sumpsit hircum pro peccato populi, et mactavit eum, et obtulit eum pro peccato, sicut antea.* Cf. hunc vocis sensum Gen. 13,4; 28,19. Mactavit hunc pro peccato hircum, sicut mactaverat v. 8 sqq. vitulum pro peccato suo. Ritus vero hic, uti prius, compendio tantum refertur; aliquid v. g. 10,16 suppletur. *Et appropinquare fecit holocaustum, et obtulit illud secundum praescriptum. Et appropinquare fecit mincham, et implevit manum suam de ea* (2,2 sqq.), *et combussit super altare, praeter holocaustum matutinum.* Non agitur de *ceremoniis :* sed sacrificium quotidianum Ex. 29,38 sqq. iam tum in altari erat. Cf. quae dicebamus ad v. 7. — v. 18 « *Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi; obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum* ». v. 19 « *Adipem autem bovis* » *et arietis,* « *et caudam* » utique solius « *arietis, renunculosque cum adipibus suis, et reticulum iecoris* » v. 20

« *posuerunt super pectora; cumque cremati essent adipes super altare* », v. 21 « *pectora eorum et armos dexteros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut praeceperat Moyses* ». Porro *cremati* in hac narratione intellige « ad crematiouem dispositi » (*Bonfr.*) seu in ignem, qui iam inde a sacrificio matutino aderat, positi et accensi. v. 22 « *Et extendens manus ad populum, benedixit ei* ». Qua solius sacerdotis benedictione crediderim omne sacrificium esse absolutum; forma autem benedictionis exstare videtur Num. 6,22 sqq. « *Sicque completis hostiis pro peccato et holocaustis et pacificis descendit* », non per gradus aliquos (Ex. 20,26), sed plano inclinato, quo ad praealtum accedebatur altare. Pro *completis* clarius *Hebr.: et descendit de faciendo:* ardebant iam in igne hostiae.

γ. Sacrificia igne divinitus immisso consumuntur Lev. 9,23 sq.

Tandem obtinet solemne miraculum, quo Deus approbat « initium legalis sacerdotii », ac simul misericordiam in Aaronem manifestat, qui in facto vituli aurei deliquerat (*Cai.*). v. 23 « *Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi benedixerunt populo* ». Certe in sancta (*Sylv.*) sunt ingressi; neque fas est supponere ingressos esse in sancta sanctorum. Quaerat quis, an intra tabernaculum iam viderint ipsi gloriam Dei. Nexus cum sequentibus obvius is est, *postquam* populo benedixissent, apparuisse populo gloriam Dei; gratuito igitur supponat quis, eandem illis duobus viris *antea* in sanctuario apparuisse. Gloriae apparitio tamquam datae benedictionis velut effectus aliquis aut certe sequela exhibetur. Quodsi vero Moyses et Aaron in sanctuario non viderunt gloriam Dei, cuius rei causa eo ingressi sunt? Vix ad accendendum thymiama (*Lyr.*), cuius eo tempore accendendi nulla erat lex. Probabilius suggerit idem *Lyr.*, ingressos esse ad supplicandum, ut Deus promissum miraculum concederet; beneque simul ingressi sunt et Moyses, cui, et Aaron, in cuius favorem miraculum fuerat promissum. Exemplum petitionis analogae habes 2 Par. 6,14 sqq., quae duo facta inter se comparabat traditio Iudaeorum recentior (2 Mach. 2,10), nostrum etiam miraculum concessum adscribens Moysis *orationi*. « *Apparuitque gloria Domini omni multitudini* », et quomodo ea apparuerit, illico v. 24 explicatur: « *et* [*ecce*] *egressus ignis a Domino devoravit holocaustum et adipes, qui erant super altare* », quae iam alio etiam igne devorabantur. *A Domino* egressus dicitur ignis, non solum quod Dei nutu, sed quod ab eo loco, ubi arca erat, processit (*Aug.*). Neque obest, 2 Mach. 2,10 eundem ignem scribi « descendisse de coelo ». Textus quippe (cf. 1,1) solum refert popularem opinionem eius aevi Iudaeorum. *Devorans*

ignis manifestat, grata habere Deum sacerdotium aaronicum eiusque oblata. « *Quod cum vidissent turbae, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas* ». In iubilum proruperunt; lectio aliqua *LXX* ἠλάλαξαν; lectio recepta ἐξέστη, in ecstasin abrepti sunt.

c. Sacerdotii Aaronici neglectus portento punitur Lev. 10.

Arg. — Nadab et Abiu, Aaronis filii, irreverentius ad altare accedentes igne interimuntur. Quo simul poenam fert Aaron suarum in vitulo aureo colendo partium, quem impunitum discedere recentiorum aliqui causantur. Moyses Aaronitas a lugendo fratrum interitu interdicit, Deus Aaroni temperantiae obligationem inculcat. Aaron iusto dolore oppressus a sacro epulo perficiendo abstinet, et in ea re a Moyse excusatus habetur.

Quae cap. 10 narrantur, acta esse ipso die (*Bonfr.*) solemnis sacrificii cap. 9 descripti, patet e 10,12 sqq. et speciatim ex eo, quod v. 16 sq. sermo sit de hirco pro peccato populi oblato : iamvero in eo solo sacrificio hircus offerebatur pro peccato populi, secus vitulus. Cf. quae ad 9,3 dicebamus. Acta sunt vespere eiusdem diei, cum solum mane et vespere (Ex. 30,7 sq.) ignis inferretur thuribulis ad altare thymiamatis (*Ians.*). Rationem, cur Nadab et Abiu (Ex. 6.23) igne usi sint alieno, sat probabilem affert *Men.*, « quod ad ignem illum de coelo lapsum accedere non auderent ». Id periculum non habere perspexissent, si aequis fuissent animis. At post *Rabbinos* sensere *Lyr.*, *Bonfr.* aliique plures, eos fuisse semiebrios, atque ob eam rationem v. 8 sqq. adiici praeceptum, ut intraturi tabernaculum a vino abstinerent. Solemne illud cap. 9 sacrificium excepisse aeque solemne convivium, aut in eo convivio Aaronitas aliquos, qui tantopere a Deo fuerant honorati, intemperantiores fuisse, quis miretur? Obiicit *Calm.* Deut. 29,6, ubi de quadraginta annis in deserto transactis affirmatur : « panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis ». Sed intellige hoc de quotidiano cibo et potu : panis certe sacris adhibebatur; frumentum et vinum, quamdiu non longius a Mari Rubro recesserant Hebraei, ex Aegypto facili ope comparari poterant. Sed noli cum *Tost.* aliisque delicti Nadab et Abiu eam assignare rationem, quod ad sacerdotium recens promoti ceremoniarum fuerint imperiti. Ceremoniae cultus mosaici, quibusdam mutatis, eaedem erant atque ceremoniae cultus primitivi; Aaronitae cap. 9 scite victimas dissecant et ceremoniis funguntur, minime tironum instar. Sacris alium ignem nisi *sacrum* adhiberi non oportere, lex erat antiquitus stabilita et ita omnibus nota, ut Deus non iudicaverit illam per Moysen esse explicite renovandam.

Cap. X v. 1 « *Arreptisque Nadab et Abiu, filii Aaron, thuribulis* », i. e. vasibus *quisque suis* (*Hebr.*), quibus carbones ardentes asservabantur et circumferebantur (Ex. 25,38; 27,3), « *posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum* ». Videtur *Hier.* autumasse, illos violentia quadam usos esse (*arreptis*); *Hebr.* habet *sumptis*. ויקרבו est terminus technicus de iis, quae circa altaria fiunt : ergo res acta est in tabernaculo et prope altare thymiamatis

(*Ians.*). « *Quod eis praeceptum non erat* ». In re autem ceremoniarum illud solum faciendum est, quod praeceptum est; non novae introducendae ceremoniae. v. 2 « *Egressusque ignis a Domino devoravit eos* », « instar fulminis » (*Men.*) : superfuerunt quippe cadavera, imo ipsae v. 5 vestes; « *et mortui sunt coram Domino* », penes ipsum altare, « absque liberis » (Num. 3,4). Eadem atque 9,24 verba habentur : similis igitur designatur effectus (*Cai.*). Idem manifestationis divinae genus et holocaustum et scelestos devoravit. v. 3 « *Dixitque Moyses ad Aaron : Hoc est quod locutus est Dominus : Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor* ». Volo sanctus, gloriosus apparere (*Tost.*), vel : me sanctum, gloriosum ostendam (*Sa*). *Hier.*, cum non potuerit duo simul genera exprimere, scripsit masculinum : *in iis, qui;* et interpretes communiter textum de solis sacerdotibus explicant, requirere Deum in sacerdotibus sanctitatem. Commode בקרבי tam de hominibus quibusvis quam de rebus exponitur, cum non soli sacerdotes, sed etiam laici victimas afferentes, et ipsae victimae constanter *appropinquare* dicantur. Ergo : ego sanctitatem requiro in quibuslibet appropinquantibus mihi, ἐν τοῖς ἐγγίζουσί μοι (*LXX*); eam publice imprimis et coram universo populo infringi non patiar; ea si publice observetur, hoc obsequio glorificabor; si infringatur, glorificabor publica delinquentium poena. « *Quod audiens tacuit Aaron* ». Sententia, quem in Aarone effectum habuerit Moysis dictum, exprimit. Moyses intenderat Aaronem edocere et quadamtenus etiam solari. Ergo non κατενύχθη (*LXX*), *compunctus est dolore*, quem sensum דבים nunquam habet, quique affectus iam ante Moysis verba Aaronis animo inerat. Eandem vocem Ex. 15,16 monebamus recte verti « fiant immobiles » et, cum h. l. imprimis de non movendis labiis aut edendis signis luctus agatur, apte cum *Vulg. Chald. Syr.* vertimus *tacuit*, vel *obmutuit*. A querelis tum abstinuit Aaron, sed mox alio modo v. 16 sqq. tristitiam prodidit.

At ubi aut quando istud *locutus est* Dominus? *Aug.* censet, Deum id Moysi aliquando dixisse, Moysen autem id scriptis non mandasse. Unde infert *Cai.*, plura Moysi a Deo dicta esse, quae non habeantur in scriptis. Provocat ad Ex. 19,21 *Hesych.*, ubi idem dicatur, licet non iisdem verbis. Alii alios textus conferunt. Cum Moyses non affirmet, id Deum dixisse *sibi*, potuit effatum Moyse esse antiquius; potuit esse aliquod axioma seu proverbium sacrum, uti nos v. g. dicimus « sancta sancte ». Effatum rhythmum sapit.

v. 4 « *Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan, filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos : Ite* » — *Hebr. accedite* — « *et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii,* [*et asportate*] *extra castra* ». Nemo quippe in castris aut urbibus sepeliebatur (*Bonfr.*). « Levitas mittit ad

sepeliendum sacerdotes » (*Cai.*). Nomina virorum habes Ex. 6,18. 22; erat Oziel frater Amram, patris Aaron. v. 5 « [*Confestimque*] *pergentes tulerunt eos,* [*sicut iacebant vestitos lineis*] *tunicis* », et balteis quod per se patet, et hinc probabilius etiam mitris 8,13 — « [*et eiecerunt*] *foras* » *extra castra,* « *ut sibi fuerat imperatum* ». Efferuntur sacris vestibus induti, ad terrorem et exemplum; et quia vestes, in qua divino miraculo percussi fuerant, nullo potuissent ritu mundari et consecrari.

Interdicuntur porro Aaron et filii, ne in ullo ritu funebri fratrum sepeliendorum participent. Haec lex affinis est eius, quae cap. 21 traditur, at simul severior. Ibi simplices sacerdotes a funeribus propinquissimorum non interdicuntur, sed a reliquorum tantum, adscripta ratione « Sancti erunt Deo suo », pontifex vero ab omni omnino funere interdicitur, « quia oleum sanctae unctionis Dei super eum est ». Quae altera ratio 10,7 explicite affertur et ad filios pontificis extenditur, dum prior ratio utique subintelligitur. Introspicienda nobis igitur est h. l. ratio, cur generatim sacerdotes a funeribus sint exclusi, quae haec affertur, quod sancti sint et mundi esse debeant, ideoque se debeant a contaminatione funerum tueri; et ratio, cur ea lex h. l. pro filiis Aaron ita fuerit restricta, ut instar patris pontificis habiti sint. Quam rationem sapienter assignat *Aug.*, quod Nadab et Abiu Dei iudicio consumpti fuerint : non igitur decebat sacerdotes eorum interitum publice lugere. Quod si fecissent, et ipsi mortis rei fuissent, et divinam indignationem in populum excitassent.

v. 6 « *Locutusque est Moyses ad Aaron et ad Eleazar et Ithamar filios eius* » : — *qui supererant ei,* explicationis gratia *Syr.* addit (cf. v. 12) — « *Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne* [*forte*] *moriamini, et super omnem coetum oriatur indignatio* ». Non agitur de *radendo* capite (*Bonfr.*), licet id etiam fuerit signum luctus; exprimitur id aliis verbis (cf. 21,5; Ez. 44,20 etc.). פרע nativam significationem habet *nudandi* (cf. quae diximus ad Ex. 32,25); hinc LXX ἀποκιδαρώσετε, *cidara exuetis.* Unde progreditur vox ad significationem *demittendi,* et hinc *comam nutriendi* (*Chald. Syr.*). פרע etiam hebraice *comam* sonat (Num. 6,5; Ez. 44,20). Cum comae nutritio utique non fuerit signum luctus, sed potius luxuriae (cf. *I. Knabenbauer* ad Ez. 44,20), praestat h. l. cum *Vulg.* adhaerere significationi primae *nudándi.* In luctu (cf. quae diximus ad 2 Reg. 15,30) vultus pars inferior operiebatur, ideoque simul superior nudabatur, cidaris aliudve capitis ornamentum deponebatur, imo caput ipsum radebatur. « *Fratres vestri* » — ergo reliqui levitae; sed textus ceteri omnes ignorant *et,* ita ut *omnis domus Israel* sit appositio ad *fratres vestri* — « [*et*] *omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit* ». Qua expressione delicate alluditur ad necem Nadab et Abiu. Non carebunt hi honesta sepultura iustoque luctu. Decebat primae ordinationis sacerdotes, ipso ordinationis die tam misere interemptos, ab universo

populo plangi (*Sylv.*). v. 7 « *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis* ». Expressio 21,12 intelligitur de non egrediendo ad participandum in luctu mortuorum; sed quia Israelitae omnes plancturi erant Nadab et Abiu, ideo h. l. prohibitio fuit practice universalis (cf. *Lyr.*). « *Oleum quippe sanctae unctionis est super vos* »; est in Eleazaro et Ithamare « non per effusionem, sed per aspersionem » (*Tost.;* Lev. 8,30). Hoc oleo consecrati, sancti esse debetis, et a contaminatione vos custodire. « *Qui fecerunt omnia iuxta praeceptum Moysi* ».

v. 8 « *Dixit quoque Dominus ad Aaron* », « in tanto moerore constitutum » (*Cai.*) : — monet autem *Tost.* agi de revelatione viro immediate et non per Moysen facta, cum secus scribenda fuisset formula, qualis 6,24 sq. habetur — v. 9 « *Vinum et* [*omne*], *quod inebriare potest* », — *Hebr. siceram*, quae vox omnem praeter vinum inebriantem potum designat — « *non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini* ». « Ministrabant per vices. Ex quo sequitur, abstinentiam illam in initio fuisse paene perpetuam, quia praeter Aaron non erant nisi duo sacerdotes; postea multiplicato numero fuit interruptio » (*Ians.*). Ceterum, minus strictam fortasse prohibitio admittit interpretationem. Data est quoad ingressum *tabernaculi,* quo nomine hic et v. 7 interpretes atrium etiam intelligunt : sed illud non necessario eo nomine demonstratur. Porro tabernaculum ingrediebatur sacerdos mane et vespere pro lampadibus et thymiamate, singulis sabbatis pro panibus propositionis, in sacrificiis pro peccato ad illiniendum sanguinem altari thymiamatis. Additamentum *LXX* ἢ προσπορευομένων ὑμῶν πρὸς τὸ θυσιαστήριον ostendit, aliquando Hebraeis dubium fuisse, an prohibitio ad atrium pertineret; postea sententia rigorosior apud Hebraeos praevaluit. « [*Quia*] *praeceptum sempiternum est in generationes vestras* », — omitte particulam causalem, et cum *Sam. LXX Syr.* item *et* initio v. 10 : « *et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum* », — « ne quid sc. occasione vini hausti in rebus sanctis tractandis peccarent » (*Bonfr.*). Nadab et Abiu semiebrii inter illa non discreverant — v. 11 « *doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quae locutus est Dominus ad eos per manum Moysi* ». Infert hinc *Cai.*, sacerdotes habuisse munus, quibus diebus in tabernaculo ministrarent, iisdem etiam docendi populum. De qua re non constat. Melius legitima cum *Bonfr.* restringimus ad ea, « quae ad ceremonias et sacrificia referuntur ». Sacerdotum erat vigilare, ut laici suas in cultu partes rite peragerent, examinare victimas productas, atque ita laicos de legitimis cultus edocere.

Supererant aliqua facienda, quae ad sacrificium cap. 9 spectabant :

comedendae sc. partes sacerdotibus reservatae. Sicut igitur 9,7 Moyses Aaronem ad hoc primum sacrificium offerendum cohortatus fuerat, ita 10,12 sqq. hortatur ad sacrum epulum obeundum. Aliam monitionis rationem affert *Lyr.*, tardasse Aaronitas comedere hostias ob mortem Nadab et Abiu : a luctus signis abstinebant, at ipso fratrum funesto die epulo accumbere declinabant.

v. 12 « *Locutusque est Moyses ad Aaron et ad Eleazar et Ithamar, filios eius, qui erant residui : Tollite sacrificium* », — intellige *mincham* (*Hebr.*) — « *quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento iuxta altare* », ergo in atrio, » *quia sanctum sanctorum est* ». v. 13 « *Comedetis autem* » *eam* mincham « *in loco sancto, quod* » — i. e. *quia* — « *datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut praeceptum est mihi* ». Ne v. 13 otiosa v. 12 repetitio videatur, intime iunge cum v. 14 : Et mincham quidem comedetis in loco *sancto,* pectusculum vero et armum in loco *mundo*, « extra atrium tabernaculi, sed non procul, nam iubebantur comedere coram Domino Deut. 12,7 » (*Malv.*). Utrique membro eadem ratio appenditur : *quia legitimum tuum et filiorum est de sacrificiis Domini ;* quae ratio est, non cur in loco sancto vel puro sit comedendum, sed cur omnino aliquid de sacrificiis comedere liceat, quia sc. Deus id sacerdotibus permanente lege concesserit. At priori praeterea v. 13 membro altera ratio adnectitur : *quia sic praeceptum est mihi ;* quae ratio probat in solo loco sancto mincham comedere fas esse, ergo etiam solis maribus, cum feminae ab ingressu atrii prohiberentur. Et quia eadem ratio v. 14 non adscribitur, ipsum hoc silentium argumento est, pectusculum et armum comedi fas esse in loco non sancto adscitisque mulieribus. v. 14 « *Pectusculum quoque* », — melius *autem* — « *quod oblatum est* », תרומה, « *et armum, qui separatus est* », תנופה, « *edetis in loco mundissimo, tu et filii tui et filiae tuae tecum. Tibi enim ac liberis* » — *Hebr. filiis* — « *tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel* ». Pro בניך *LXX* ביתך, quam lectionem illud commendat, ea includi uxores, quae utique illis epulis adhibebantur. v. 15 « [*Eo quod*] *armum et pectus et adipes, qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te et ad filios tuos lege perpetua, sicut praecepit Dominus* ». Sententiam *Vulg.* facit a v. 14 dependentem, sed est sententia independens, iterum demonstrans, unde ius sacerdotibus obveniat pectusculi et armi retinendi : *Armum portionis et pectusculum oblationis cum* (cf. 7,30) *adipibus comburendis afferunt ad oblationem faciendam coram Iahve : ad te igitur et ad filios tuos tecum pertinebunt lege perpetua, sicut praecepit Dominus.*

v. 16 « [*Inter haec*] *hircum,* [*qui oblatus fuerat*] *pro peccato* » (9,3),

« *cum quaereret Moyses, exustum reperit* », non inadvertentia, sed studio, ut e v. 19 discimus. Exustum putabat *Tost.* igne illo profano, quo carnes pro cibo coquebantur. Sed v. 18 prodit, Moysen loqui de eo igne, quo, si sanguis victimae pro peccato illatus esset in sanctuarium (4,5. 16), consumendum erat reliquum victimae pro peccato *populi :* is autem erat ignis accensus in loco effusorum cinerum (4,12). Soli sc. *vituli* pro peccato toti comburebantur, non hirci, ne ille quidem, qui in sacrificio consecrationis sacerdotum pro populi peccatis offerebatur. « *Iratusque contra Eleazar et Ithamar, filios Aaron, qui remanserant* », superstites erant, « *ait* » : — Aaroni parcit Moyses, qui nimium deiiceretur filiorum interitu (*Tost.*) — v. 17 « *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quae sancta sanctorum* », i. e. sacrosancta, « *est* », — nulla, quam stomachemini, impuritate affecta, explicat *Dillm.;* at longe planius *Tost.*, ob specialem sanctitatem maiori etiam reverentia digna, et servatis omnibus ceremoniis tractanda — « *et data vobis, ut portetis* », *tollatis* (*LXX*) « *iniquitatem multitudinis, et rogetis* » seu expietis « *pro ea in conspectu Domini?* » Comestio victimae erat pars ritus sacrificalis, qui illud intendebat, ut peccatum expiatione deleretur. v. 18 « *Praesertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, et comedere debueritis eam in sanctuario, sicut praeceptum est mihi?* » Altiorem auctoritatem demonstrat Moyses. Alludit vero ad legem 6,30 (23) statutam. Increpaverat Moyses Aaronis filios; verum se facti auctorem professus (*Cai.*) v. 19 « *respondit Aaron : Oblata est hodie victima pro peccato et holocaustum coram Domino; mihi autem accidit, quod vides* », *Hebr. istud.* Vaga hac expressione filiorum funus demonstrat parens (*Tost.*). « *Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino* [*in ceremoniis mente lugubri*]? » « Agnosco quidem ordinationem Dei servandam esse, et cum laetitia coram Domino edendum de partibus hostiae pro peccato, cuius sanguis non est illatus in tabernaculum testimonii. Sed qui potui ego laetari in tam calamitoso et miserabili casu liberorum? Malui convivium negligere, quam convivium moestus inire » (*Vat.*). « Censuit et recte censuit Aaron, ieiunandum esse illo die, et non vescendum carnibus in tali tantaque plaga » (*Cai.*). *Hebr. : Et ego comedam hostiam pro peccato hodie?* Totum argumenti pondus in hac una voce est. *Placebitne hoc in oculis Domini?* Non potest placere, ideoque omittendam censui comestionem. Ceterum, omissa iure comestione, iure etiam caro comburebatur : cf. 7,17. v. 20 « *Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem* », *Hebr. : rectum visum est in oculis eius.*

LIBER LEGUM

Lev. 11-27

Hoc titulo *Liber legum*, qui respondet alteri Ex. 24,7 *Liber foederis* pro Ex. 20,22-23,33 statuto, complectimur leges Lev. 11-27. Quae quo ordine latae sunt, videntur esse descriptae ideoque eventibus quibusdam concluduntur, qui degentibus in castris Sinai Hebraeis acciderunt. Leges Lev. 11-15, quas Thoram Munditiei appellamus, excipit cap. 16 expiationis festum institutum occasione necis duorum Aaronis filiorum cap. 10 narratae. Cap. 17 habet legem de mactationibus, cap. 18-22 Thoram Sanctitatis, cap. 23 catalogum festorum. Cap. 24, praeter parvas quasdam leges, eventum enarrat, blasphemi punitionem. Sequitur cap. 25 sq. harum legum omnium epilogus, libro vero his absoluto illico cap. 27 adiicitur appendix, lex de redemptione votorum. Quare *subscriptio* libri 26,45 repetitur 27,34 (v. infra). Cap. 27 eo praeterea deprehenditur esse praecedentibus serius adscriptum, quod iis omnibus *formulis* destituatur, quibus reliquarum illarum legum initia, fines et articuli distinguuntur. Tamen ipse cap. 27 stilus idem est atque praecedentium, imprimis capitis 25 sq. Videtur igitur cap. 27 Libro legum esse adscriptum brevi, postquam is suis formulis distinctus et addita 26,45 subscriptione absolutus est. Quodsi antea esset adscriptum, iisdem illis formulis esset distinctum. Subscriptio 27,34 subscriptione 26,45 videtur esse aliquantum, sed non multum recentior.

A. Thora Munditiei Lev. 11-15.

Nos merito has leges in unum complecti patet, cum e materiis affinibus inter se, tum e similibus 11,46; 12,7^{b}; 14,54 sq. *subscriptionibus;* quibus 11,47 et 14,57 (cf. 15,31 cum 10,11) ratio additur e 10,10 deprompta atque ita harum legum nexum pandit cum lege 10,9-11, quae indubie occasione eventus 10,1 sq. nata est. Igitur narratio cap. 10 continuatur 16,1. Inserendarum cap. 11-15 legum de mundis et immundis ansam praebuit divina 10,10 sq. monitio de discernendis mundis et immundis : Nadab et Abiu non discernentes sanctum et profanum interierant, monentur iam Hebraei sanctum et profanum discernere, et sancti esse instar sancti Dei sui. Volens Iahve antiquas illas leges renovare et suas facere, hac prima occasione usus est.

Schema Thorae Munditiei Lev. 11-15.

I. LEX DE ANIMALIBUS MUNDIS ET IMMUNDIS LEV. 11

Eius structuram habes in folio separato

SUBSCRIPTIO v. 46 sq. : זאת תורת, recensens legis primaria capita et finem practicum

II. LEX DE IMMUNDITIA PUERPERAE LEV. 12

v. 2 אשה כי
v. 5 ואם

SUBSCRIPTIO v. 7 : זאת תורת brevior pro brevitate legis

APPENDIX : indulgentia pauperibus concessa v. 8

III. LEX DE LEPRA LEV. 13 SQ.

Lex de lepra hominis Lev. 13,1-46; 14,1-32.

1. *De leprae humanae diagnosi Lev.* 13,1-43

a. de lepra carnis non capillatae Lev. 13,1-28

v. 2	אדם כי		
v. 3		וראה	נגע צרעת הוא
v. 4	ואם		
v. 5 sq.		וראה	בסספחת הוא v. 6
v. 7	ואם		
v. 8			צרעת הוא

Huic schemati conformatur tota pericope v. 1-43

b. de lepra carnis capillatae Lev. 13,29-37

v. 29 איש או אשה כי

c. de pseudolepra Lev. 13,38 sq.

v. 38 איש או אשה כי

d. de calvitio Lev. 13,40-43

v. 40 איש כי

2. *De observandis a leproso Lev.* 13,44-46

v. 44 איש צרוע

Lex de lepra vestium Lev. 13,47-59

v. 47	ובגד כי		
v. 50 sq.		וראה	
v. 52			צרעת ממארת הוא
v. 53	ואם		
v. 55		וראה	פחרת הוא
v. 56	ואם		
v. 57	ואם		פחרת הוא

Subscriptio v. 59 : זאת תורת, recensens vestium genera legisque finem practicum

3. *De legali mundatione leprosi Lev.* 14,1-20

v. 2 זאת תהיה תורת

Appendix : indulgentia pauperibus concessa v. 21-32
Subscriptio appendicis v. 32 : זאת תורת

Lex de lepra domorum Lev. 14,33-53

v. 34	כי תבאו		
v. 37 sq.		וראה	
v. 43	ואם		
v. 44		וראה	צרעת ממארת הוא
v. 48		וראה ואם	

Subscriptio totius legis v. 54-57 : v. 54 זאת תורת, recensens omnia leprae genera legisque finem practicum; et v. 57 extremo rursum adscribitur זאת תורת

IV. LEX DE IMPURITATE SEXUALI LEV. 15

1. *De fluxu seminis nimio vel impedito Lev.* 15,1-15

v. 2 איש איש כי

Membra subordinata ordiuntur a ואם, וכל vel ואיש אשר

2. *De seminis effusione non morbida Lev.* 15,16-18

v. 16 ואיש כי

3. *De menstruatione Lev.* 15,19-24

v. 19 ואישה כי

4. *De fluxu sanguinis praeter menstruationem Lev.* 15,25-30

v. 25 ואישה כי

Subscriptio v. 31-33 : זאת תורת (v. 32), recensens finem legis practicum legisque diversa capita

Pericope *sex divina eloquia* complectitur, e quibus cap. 11. 12. 15 explicite « ad filios Israel » diriguntur. Ad eosdem dirigi censenda sunt cap. 13 et 14,1-32. 33-53, quae sunt de lepra, quod ea res omnes respiciat, et ab omnibus aeque fuerit noscenda, atque statuta de puerpera, de fluxu seminis etc. Loquitur ea autem Deus « ad Moysen et Aaron »; tacetur quidem 14,1 « Aaron », sed facile e v. 2 suppletur.

Cum tres de lepra leges communi subscriptione 14,54-57 in unam legem sint coniunctae, sex eloquiis respondent *leges quatuor :* cap. 11 de animalibus mundis et immundis, cap. 12 de immunditia mulieris puerperae, cap. 13 sq. de lepra, cap. 15 de fluxu seminis et sanguinis.

Hae leges legum Lev. 1,1-6,7 sunt affines. Lex cap. 12 orditur v. 2 vocibus אשה כי; et lex cap. 13 vocibus אדם כי, distinguitque articulos expressionibus איש או אשה כי (v. 29. 38), איש כי (v. 40) et הבגד כי (v. 47); et lex cap. 15 orditur v. 2 vocibus איש איש כי, et pergit v. 16 איש כי, v. 19. 25 אשה כי. Id per se non demonstrat, eas leges uti Lev. 1,1-6,7 esse Moyse antiquiores, cum leges recentiores haud raro antiquiorum loquendi rationem imitentur. Verum antiquissima certe est lex Lev. 12, cuius similia apud alias gentes antiquas deprehenduntur, et lex Lev. 15 legi Lev. 12 perquam affinis : perpende, quam sollicite a primordiis stirps electa omnibus invigilaverit, quae hominis generationem attingerent. — Recentiores suspicetur quis esse leges de lepra Lev. 13 sq., quod « sacerdotes » constanter efferantur, itemque 14,11 « ostium tabernaculi testimonii » : nota tamen etiam in Aegypto habuisse Hebraeos et sacerdotes et testimonium et tabernaculum. Indulgentia item 14,21-31 pauperibus concessa, ut aliae eiusmodi indulgentiae, videatur recentius, imo ab ipso Moyse esse inducta. Ex alia parte ritus, qui 14,4-7 describitur, ex iis est quae non recens affinguntur, sed venerabili traditione sacra habentur. Debuere apud Hebraeos ante Moysen exstitisse quaedam de leprosis leges, cum lepra in Aegypto plurimum semper sit grassata (cf. *Ios.* c. Apion. I. 26; *Friedreich* I. 207 sqq.; *G. Ebers,* Gosen p. 155 sqq.), ut dixerit *Plin.* (Nat. Hist. XXVI. 5; cf. *Lucret. :* De rerum natura VI. 1113 sq.) : « Aegypti peculiare hoc malum ». Lepram interpretantur eam, quae Deut. 28,27 emphatice « ulcus Aegypti » dicitur, plagam; item plagam Iob 2,7. Longe rarius autem in deserto nascitur lepra. Tandem leges Lev. 13 sq. videntur natae esse e morbi observatione valde minuta et accurata, qualis longiore tempore multisque examinatis aegrotis fieri consuevit. Neque cogimur supponere Deum, qui tot antiquas leges per Moysen suo nomine promulgaverit, eidem revelasse morbi symptomata, quae e maiorum traditione discere Moyses et potuit et debuit. Omnia

igitur, quae dicebamus, facile compones, si leges adstruas Moyse quidem exstitisse antiquiores, sed ab eo novis institutis in pluribus esse *adaptatas*. — Lex Lev. 11 de animalibus mundis et immundis sine dubio antiquissima est atque paulatim, uti infra ostendemus, variis incrementis augebatur. Verba זאת החיה v. 2 sane non sunt idem atque formula זאת תורת, qua 6,8-7,38 leges ab ipso Moyse cusas insigniri comperimus; neque si idem essent, efficerent legem esse recentiorem. Cur non adhibuerit Moyses formulam ante ipsum iam adhiberi solitam, cuius vim omnes illico indubie perspicerent? Animalia munda atque immunda iam diluvii aevo distinguebantur, licet numero fortasse pauciora iis, quae Lev. 11 recensentur. V. infra.

Clauduntur leges singulae formula זאת תורת, « haec est lex » : 11, 46; 12,7; 14,54. 57 (quo versu Vulg. verba omittit); 15,32; item 13. 59 lex de lepra vestium, quae pars evasit legis de lepra; et 14,32 additamentum de indulgentia pauperibus concedenda. Uti 7,37, ita etiam 11,46; 12,7; 13,59; 14,54 sqq.; 15,32 sqq. illa formula adscriptam habet cuiusque legis partium enumerationem. Uti 7,38 adscribitur thorae sacrificalis usus principalis « ad offerendas oblationes vestras Iahve », ita 11,47 adscribitur « ut discernatis inter mundum et immundum, et inter animal quod comedere fas est, et inter animal quod comedere nefas »; 13,59 « quomodo mundetur (vestis) et quomodo contaminetur »; 14,57 « ad eruditionem in die mundi et in die immundi » (ubi conferas triplex « in die » 7,35. 36-38). Crediderim igitur unum harum subscriptionum et subscriptionis 7,37 et inscriptionum 6,9. 14. 20. 25; 7,1. 11 esse auctorem, eumque probabilius ipsum exstitisse Moysen.

I. LEX ANIMALIUM MUNDORUM ET IMMUNDORUM Lev. 11.

Titulum habes v. 2, clausulam v. 46 sq. Ipsa lex per quatuor animalium classes discurrit; pecora v. 2-8, i. e. quadrupedia maiora; aquatilia v. 9-12; altilia v. 13-25; reptilia v. 29-38 et 41-45. Quod vero *Dillm.* p. 481 ex v. 46 infert, egisse legem primitus post pecora de alitibus, ac demum de universo שרץ tam aquarum quam terrae, id refutatur cum e Deut. 14 aquatilia item inter pecora et alites collocante, tum exinde quod immerito e solo verborum v. 46 ordine tanti momenti illatio derivetur.

De *pecoribus* traditur primum v. 3 regula generalis positiva, nullis recensitis speciebus; dein v. 4 regula generalis negativa; et efferuntur pro exemplis quatuor pecorum species, adscripta singulis ratione « immunda sunt vobis » (v. 4-7; cf. ad v. 4 textum hebr.); post quae

v. 8 resumitur regula negativa, prohibens tam esum carnis quam contactum cadaveris, et eadem illa pro clausula adscribitur ratio.

Eiusdem formae lex v. 9-12 de *aquatilibus* traditur. Species nominatim profertur nulla. Statuitur regula generalis tam positiva v. 9 quam negativa v. 10, cui ratio adscribitur « abominatio est vobis »; « abominatio » (שקץ) v. 11 explicatur tam esum quam contactum prohibere; post quam explicationem v. 12 repetitur regula negativa.

Quoad *alites* v. 13-25 regula generalis positiva (cf. Deut. 14,11) tacite supponitur; regula generalis negativa non traditur sed v. 13-19 viginti avium rapacium species prohibentur. Dein pro alitibus quadrupedibus vel polypodis (שרץ העוף) traditur v. 20-25 regula generalis primum negativa, dein positiva adiectis exemplis, et post haec repetitur regula negativa, doceturque ea prohibere praeter esum et contactum etiam gestationem. Alites immundi v. 13. 20. 23 item scribuntur esse שקץ, « abominatio ».

De *reptilibus* v. 29-38 regula generalis neque positiva neque negativa traditur. Aliqua tamen primitus non fuisse penitus immunda, docet sensus obvius v. 29 : « Et haec erunt vobis immunda *de* reptilibus etc. ». v. 29 sq. recensentur octo species, quibus recensitis v. 31 rursum (cf. v. 8. 12. 23) repetitur prohibitio. Dicuntur vero illae species v. 29. 31. 35 non « abominatio », sed « immundae ». Porro reptilium ubique se ingerentium, non quidem edendorum aut studiose deportandorum, at certe attingendorum multiplex erat occasio. Quare v. 31-35 exponitur, quomodo eorum contactu non homines tantum, sed vasa, vestes, cibi inficiantur. Concluditurque v. 35 solemniori formula : « immunda sunt haec, eruntque vobis immunda ». Verum doctrina v. 31-35 proposita ortum dedit quaestionibus casuisticis, quarum duae v. 36-38 resolutae clausulae v. 35 appenduntur. Tandem v. 41-45 adscribitur epilogus tractatus de reptilibus, quo severissime reptilia quaelibet comedi prohibentur. Quem si cum v. 29 conferas, oportebit dicere aut ibi concessam quorumdam reptilium comestionem recentiore lege revocari, aut quoad solas v. 29 sq. octo species indici purificationes v. 32-38, esum vero et attactum (v. 43) quorumvis reptilium prohiberi. Quae altera solutio praeplacet, imprimis ob naturalem et universalem non Iudaeorum tantum, sed plurimarum item nationum a quibusvis reptilibus comedendis aversionem. v. 41 sq. bis nomen שקץ, itemque v. 43 verbum שקץ scribitur.

Hic igitur est nostrae legis contextus. At eidem inseruntur *addita duo*, utique praeter intimiorem contextum, quaeque ambo ad *pecora* (בהמה) referuntur. Extremae de alitibus paragrapho adscribitur v. 26-28. Agebatur v. 3 sq. de ruminantibus habentibus ungulam vel divisam

vel indivisam : verum quid dicendum de pecoribus, quae ungulam non dividunt neque ruminant? quid de carnivoris iis, quae ungulis carentia manibus (*gall.* patte, *germ.* Tatze) incedunt? Sunt hae rursum quaestiones casuisticae, quae legi pridem natae accrevere. Occasio aliqua h. l. adscribendarum potuit esse *portandi* verbum, quod v. 25 primum occurrit et v. 28 repetitur. — Rursum v. 39 sq. sermoni de reptilibus inseritur quaestio de pecoribus mundis, quae forte perierint iamque immundis aequiparentur. Si disquiras, cur ea praecise h. l. inseratur, aliam rationem suggerere nequeo nisi hanc : postquam scriptor aliquis v. 37 sq. duas de reptilibus solutiones casuisticas voce וכי appendit, hanc item casuisticam solutionem eadem voce aut ipse aut alius adnexuit. Non enim aeque logice in sermonibus contexendis procedebant Hebraei, atque nostrarum universitatum professores. Fortasse, quo tempore adnectebat, nondum adscriptus erat sermoni de reptilibus epilogus v. 41 sqq.

Antequam in huius legis indolem inquiramus, conferenda ea est cum altera Deut. 14,3-20 lege, quae, dum in plerisque verbotenus consonat, in aliquibus divergit. Inscriptio v. 3 « Ne comedatis, quae immunda sunt » conferri potest cum ea, quae Lev. 11,2 habetur, v. 4-8 agit de *pecoribus*. Quorum v. 4 sq. enumerantur decem species mundae; inde v. 6 sq., iisdem atque Lev. 11,3 sq. verbis, traditur regula generalis tam positiva quam negativa. v. 7 sq. eo fere solo differt a Lev. 11,4-8, quod « immunditiae » nota non singulis quatuor pecorum speciebus, sed semel tantum affigatur, extremo autem v. 8 omittatur. quae Lev. 11,8 prostat formula, « immunda sunt vobis ». — Pro *aquatilibus* eadem v. 9 sq., atque Lev. 11,9-11, regula positiva et negativa traditur, sed longe breviori forma. — De *alitibus* primum habetur v. 11, quae Lev. 11 desideratur. regula generalis positiva : « omnes aves minores (צפור) comedatis »; quibus eae aves opponuntur rapacibus, quae v. 12-18 (cf. Lev. 11,13-19) enumerantur. v. 19 universum שרץ העוף proscribitur, uti Lev. 11,20. brevius tamen neque recensita locustarum exceptione, quae tamen apud Hebraeos post Moysen nullo non tempore vigebat. Pro clausula adscribitur sententia v. 20 : « omnem alitem mundum comedite ».

Porro Deut. 14 cum Lev. 11 comparantes perspicimus, eundem utrobique textum substantialiter haberi, sed Deut. 14 totum de *reptilibus* sermonem desiderari; stilum Deut. 14 generatim esse pressiorem, Lev. 11 e contra prolixiorem; tamen Deut. 14 supplere aliqua perquam utiliter, sc. v. 4 sq. species pecorum mundorum, v. 11 classem avium mundarum; Deut. 14 non uti pro aquatilibus et alitibus voce שקץ, sed pro omnibus pariter animalium ordinibus voce טמא. In sola inscriptione v. 3 utitur voce efficaciore, non שקץ sed תועבה, « abominatio » (cf. Gen. 43,32; 46,34). שקץ autem praeter Deut. 7,26; Ps. 21 (22), 25; Is. 66.17 in solo Lev. legitur, et adverte in seriore additamento Lev. 11,41-43 eam radicem legi *ter*.

Quibus praemissis, patet primum legem Lev. 11 et Deut. 14 potissimum esse *ciborum legem :* « Haec sunt animalia, quae *comedere* debetis », « Ne *comedatis*, quae immunda sunt », « ut discernatis

inter mundum et immundum, et inter animal quod *comedi* potest, et animal quod *comedi* nequit » (v. 47). Ipsa *tangendi* prohibitio a cibi ratione proficiscitur. Non proscribitur contactus animalium *immundorum vivorum*, v. g. cameli equitem gestantis; non *mundorum occisorum* ad usus sive sacros sive profanos : sed *mundorum forte interemptorum* v. 39 sq., quorum carnes non ita deceret in cibum assumi humanum, et *immundorum mortuorum*, « cadaverum », « morticinorum », quorum pro cibo adhibendorum suboriri poterat cogitatio.

Eam ciborum legem *ante Moysen* exstitisse coniicies e Lev. 20,25, ubi mundorum ab immundis separatio dicitur invecta ad Israelis e populis electionem figurandam, quae erat Moyse longe antiquior, et e Gen. 7,2 sqq., ubi ea diluvii iam tempore viguisse cernitur; confirmabis e plurium nationum, v. g. Persarum, legibus. Eandem ante Moysen exstitisse legem *divinam*, nulla est ratio affirmandi (cf. Rom. 5,13). Rationis lumine acti et amica Dei providentia adiuti antiqui homines sacra omnia et profana sapientibus primum *moribus* definivere, quae postea transiere in *leges*. Nonne nos quoque multiplici in re ciborum more circumscribimur, ut quorumdam animalium carnibus vescamur, aliorum abstineamus?

Legis ciborum simplicissima fuere initia, ut quaedam animalia in cibum assumi consueverint, quod essent eorum carnes salutares, sapidae adhiberenturque sacrificiis; alia repudiarentur ob rationes oppositas. Erant et aliae repudiandi rationes. Uti dies et nox boni malique moralis discrimen adumbrabant, ita animalia, quae noctu prodibant ad praedam, immunda habebantur; item quidquid in reptilibus vel aquatilibus forma serpentem imitabatur; quidquid esset spurcum, uti sus, aut minorum animalium ritu omnibus se immisceret, omnia foedaret. Hac igitur ratione animalia quaedam adhibebantur, alia repudiabantur; illa munda, haec immunda habebantur; longe tamen plura neutri ordini attributa incerta fluctuabant. Qui *mos* in *legem* aliquando transiit.

At mox homines pios torquebat dubitatio, illa neutrius ordinis animalia essentne mundis an immundis adnumeranda; vel stirpe electa in novas aliquando sedes commigrante, novae comparebant animalium species, quas loci antiqui incolae comederent, recens advecti, essentne comedere fas, incerti haererent. Hinc, uti sapienter monet *Kalisch* (Commentary II 124 sqq.) a lege ciborum, quae solo primum mundorum et immundorum *elencho* constaret (cf. Deut. 14,4 sq.; Lev. 11,4-7. 13-19), abstrahebantur quaedam *regulae generales*, quibus animalia quaelibet mundane essent an immunda definirentur : cf. regulam de ruminantibus ungulam dividentibus vel non

dividentibus, etc. Elenchus exstitit regulis antiquior, regulae rursus elenchum auxere. Infinitus hic casuistis patebat campus : at Deus legem eo ambitu, ad quem in duabus recensionibus Deut. 14 et Lev. 11 Moysis aevo excreverat, sua auctoritate sancivit, stabilivit, limitavit. Quo licentia legis extendendae et complicandae aliquantum coercebatur, non tamen penitus, uti posteriora studia rabbinica demonstrant.

Ex dictis coniecerim Deut. 14 esse antiquius quam Lex. 11 : 1) quod careat reptilium lege, de quibus comedendis nemini antiquitus in mentem veniebat; 2) quod locustas reticeat, quas nemo tum sane non manducabat, at essentne alites an reptilia, munda an immunda, ambigebatur; 3) quod enumeret pecora munda avesque comedi licitas (v. 4 sq. 11), quae in antiquioribus elenchis absque dubio enumerabantur; 4) quod stilo fluat pressiore, distinctionem inter טמא et שקץ ignoret.

Ex dictis item intelliges, huius legis *elenchum* necessario fuisse mutabilem. Rationem, cur tot elenchi nomina sint nobis ἅπαξ λεγόμενα, auctores inde repetunt, quod ea, cum perantiqua sint, mox evaserint obsoleta. At eiusmodi, quae nemo iam satis clare intelligeret, nominum aliqua decursu temporum ex elencho excidisse, quis miretur? Ita *Syr.* alitum bipedum quinque, quadrupedum duas species ignorat. At facile etiam crescebat elenchus. Oportuit non paucas decursu temporum praeferri quaestiones de animalibus in elencho non recensitis, mundane essent an immunda. Eae quaestiones ab eius temporis prophetis vel senioribus solvebantur, solutiones tamquam lex recipiebantur et observabantur; neque creditu difficile est, earum solutionum unam alteramve in ipsum s. textum irrepsisse. Ita v. g. fieri potuit, ut ipse ille famosus « lepus biblicus » serius et furtim in textum irrepserit. Ceterum, qua ratione intraverit, nihil omnino refert. Deus sc. elenchum, qualis Moysis tempore a maioribus traditus exstabat, approbavit. Eam, quae secundum externam speciem omnino vera est, rationem ruminare leporem, non ipse primus protulit, sed ante prolatam immutatam retinuit. An Dei erat, quo tempore nondum nata erat zoologia, antiquae legis verba zoologicis rationibus conformare?

Quo certius a *comedendis* immundis retraherentur Hebraei, vetabantur iidem immundorum vel *attingere* cadavera. Exinde, quod v. 2-23, 41 sq. potissimum de comedendo, v. 24-40 de attingendo agat, inferebat *Kalisch* l. c. II 124 sqq. nostram legem coaluisse e duabus confusis, una comedendi et altera attingendi prohibitione. Ratio est perquam infirma. Deut. 14,8 tactus prohibetur, ubi tamen omnia ea desiderantur, quae Lev. 11,24-40 habet. Ergo una primitus lex et esum et contactum proscribebat. Ea vero contactus prohibitio casuistis latiorem etiam quaestionum campum aperuit. Quid, si quis cadaver *portaret*, non manibus utique, quod erat attactus, sed feretro impositum vel veste prehensum? Polluebatur ille (v. 25.28; cf. v. 40). Gravium disputationum ansam praebuere reptilium illae species octo (v. 29 sq.), de quibus comedendis nullus quidem cogitabat, at quae vivae ubique se ingerebant, exanimatae omnia spurcabant. Polluc-

batne earum contactus *mediatus?* Quid tenendum de vasis et vestibus, quae illa animalia contigissent? quid de cibo potuque, quae infecissent? Hae omnes quaestiones definiuntur v. 25-35, adscripta v. 35 disquisitionis clausula : « immunda sunt haec, eruntque vobis immunda ». Ast non clausula moratur casuistam. Quid si eiusmodi reptile in aquam inciderit non vasis cuiuslibet, sed cisternae aut fontis? Quid si in frumenti acervum? Quod vix ullo anno non fiebat. Intolerabilis evadebat agricolarum civiumque vita, si continuo in acervis et cisternis immunditiem aliquam subodorari cogerentur. Hinc appensae solutiones v. 36-38. Manebat quaestio de animali mundo mortuo, sed ad vescendum inepto : id quoque v. 39 sq. definitum. Non vero audebat casuista legem, qualem a maioribus acceperat, recudere aut discindere, sed appendiculis sua placita adnectebat. At, en tibi novum scrupulum. Omnes illae v. 29-38 regulae, quae de reptilium mortuorum contactu erant, ne verbulo quidem eadem comedi prohibebant; poterat hinc aliquis, argumento a silentio petito, sibi ius arrogare comedendae talpae, lacertae etc. Quod ne quis attentaret, gravis extremo sermoni ipsique de pecoribus ad vescendum ineptis appendiculo adscripta est v. 41-43 reptilium comedendorum prohibitio, ter etiam ingeminata voce שקץ, quae inde a v. 29 non adhibebatur.

v. 44ª *Dillm.* ad priora trahit, quod idem enuntiet atque v. 45ª ideoque sit diversi auctoris. Infirma conclusio. Ut in fine tam longi gravisque sermonis Deus *bis* affirmet « Ego sum Iahve » et *bis* suam sanctitatem tamquam motivum humanae legalis sanctitatis demonstret, stilo horum librorum omnino consonat. Vocem שקץ v. 44 sq. ignorat, licet eius inserendae v. 44 fuerit occasio. Sunt vero hi duo versus Moyse haud antiquiores, quod exodum aegyptiacam commemorent.

Perspicis iam, non currente calamo hanc legem, qualis nunc Lev. 11 habetur, semel esse conscriptam, sed et stili mutationes esse passam (cf. Deut. 14) et variis diversis temporibus auctam incrementis. Singulorum tempora quis unquam definiat? Rem sequenti ratione coniectura describimus. Primaeva legis pars est v. 2-20, licet stilum primitus crediderim fuisse pressiorem, ad instar Deut. 14. Huic accrevere sequentia : 1) v. 21-24 locustarum esum lege sancientes; 2) v. 25 definiens non solo immediato, sed mediato etiam immundorum contactu pollui hominem; 3) v. 26-28 duas pecorum classes legi addentes, de earumque contactu agentes tam mediato quam immediato; 4) v. 29-35 cum epilogo v. 44 sq., fuse discutientes contactum tam immediatum quam mediatum octo reptilium. Haec ob exodi v. 45 mentionem Moysi lubens assignarem, dum reliqua, quae modo recensebamus, Moyse facile concesserim esse antiquiora. Verum inter v. 29-35 et v. 44 sq. inserebantur tria : 5)v. 36-38 dubia quaedam reptilium contactum mediatum spectantia; 6) v. 39 sq. dubium de pecore mundo, sed ad vescendum inepto; 7) v. 41-43 stricta comedendorum reptilium prohibitio, quam putaverim esse auctoris Moyse recentioris, qui item v. 9-23 in locum טמא suffecerit vocem שקץ.

1. *Lex de pecoribus, aquatilibus, alitibus* Lev. 11,1-20.

Cap. XI v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : — ad Aaron etiam Dei dirigitur alloquium, quia ad sacerdotes pertinet his legibus invigilare et quae munda immundave sint, iudicare (*Tost.*) — v. 2 « *Dicite filiis Israel* », ad omnes enim et singulos sequentia spectant : — non multo ante saeculum decimum in pluribus Vulg. codicibus hic irrepsere verba omnino confodienda : « Custodite omnia, quae scripsi vobis, ut sim Deus vester » (cf. *Verc.*) — « *Haec sunt animalia, quae comedere debetis* ».

a. Pecora Lev. 11,2-8.

Arg. — Permittuntur ruminantia ungulam dividentia. Prohibentur ruminantia ungulam non dividentia, et non ruminantia ungulam dividentia. Quorum nec carnibus vesci nec cadavera attingere fas est.

« *De cunctis animantibus terrae* » — haec est prima classis, בהמה. Statuitur regula generalis v. 3 : — « *omne, quod habet divisam ungulam et ruminat in pecoribus, comedetis* ». *Omne, quod dividit ungulam*, מפרסת פרסה; et haec expressio accuratius circumscribitur per שסעת שסע פרסת, ubi *Sam. LXX Syr.*, uti Deut. 14,6, addunt שתי : ergo *quod findit fissuram, duas ungulas,* quod ita dividit ungulam, ut reapse sint duae ungulae. Deut. 14,4 sq. enumerantur animalia, quae his conditionibus satisfaciunt. Eadem regula mox v. 4-8 negative proponitur et quibusdam eorum animalium, quae edere nefas sit, exemplis illustratur. Sunt exempla tantum regulam illustrantia; non traditur completus animalium catalogus. v. 4 « *Quidquid autem ruminat quidem et* [*habet*] *ungulam,* [*sed*] *non dividit* [*eam*], *sicut camelus* [*et cetera, non comedetis illud, et*] *inter immunda reputabitis* ». Camelus dividit ungulas imperfecte tantum. v. 5 « *Choerogryllus, qui ruminat ungulamque non dividit, immundus est* ». v. 6 « *Lepus quoque, nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit* » ; v. 7 « *et sus, qui cum ungulam dividat* » *et findat fissuram ungulae,* « *non ruminat* ». v. 8 « *Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis* ».

שפן *LXX* semper vertunt χοιρογρύλλιος, item *Aq. Symm.* Ps. 103(104), 18, et *Vulg.* h. l. Choerogryllum ita describit *Hier.* (ep. 106 ad Sunniam; *M.* 22. 861) : « Sciendum autem animal non maius hericio, habens similitudinem muris et ursi, unde in Palaestina ἀρκτομῦς dicitur; et magna est in istis regionibus huius generis abundantia, semperque in cavernis petrarum » (cf. Ps. 103,18; Prov. 30,26), « et terrae fo-

veis habitare consueverunt ». Est hyrax syriacus, quem Arabes *wabr* vocant et comedunt, dum in Abyssinia tam Iudaei quam Christiani eius carnes abhorrent. Tantus est, quantus cuniculus, habet similitudinem quamdam cum lepore et urso, gestatque setas aliquas pellis crinibus intermixtas ad instar setarum herinacei. Unde non sibi contradicit *Vulg.* Ps. 103,18 vertens *herinaceis* et Prov. 30,26 *lepusculus* (cf. *Theod.* Ps. 103,18 λαγωοῖς). Quid sibi velit *Targ.* טפדא (a טפד, salire), aut *Syr.* חגבא, non liquet. Cum igitur *LXX Vulg.* indubie hyracem seu choerogryllum exprimant, isque in Palaestina et Arabia abundet, non est cur alia animalia in medium proferentes meris coniecturis involvamur. — Ex hoc textu nata est, quae interpretes torquebat quondam, sed iam paucis dimitti potest, difficultas *de lepore biblico* (itemque choerogryllo). Textus quippe haec animalia ruminantibus accenset, zoologi iisdem minime accensent, cum stomachi dentesque nequaquam ruminantium sint similia. At Moyses non zoologum agit. Gentem alloquitur anatomiae misere ignaram (de anatomiae vel apud Aegyptios miserrima ignorantia cf. *Erman* p. 477 sqq.). Ergo res secundum externam speciem describit : leporem ruminantium instar maxillas movere, quis ignorat? ei motui secus ruminatio respondet : hinc dicit Moyses *ruminat, ruminationem ascendere facit,* sc. quoad speciem externam, quantum ex solo externo motu interna actio definiri potest. Moysis certe non erat Hebraeos anatomiam edocere, stomachos dissecare. Animalium classes ipse enumerabat pecora, volucres, aquatilia et minora animalia : ruminantia idem a non ruminantibus maxillarum motu discernebat.

b. Aquatilia Lev. 11,9-12.

Arg. — Permittuntur comedi, quae habent pinnulas et squamas. Non habentia prohibentur comedi et cadavera attingi.

v. 9 « *Haec sunt, quae gignuntur in aquis et vesci licitum est : omne, quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus* [*et stagnis*], *comedetis* ». v. 10 « *Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quae in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis* », v. 11 « *exsecrandumque erit, carnes eorum non comedetis et morticina vitabitis* ». v. 12 « *Cuncta, quae non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt* ». Proscribuntur omnia, quae pisces non sunt, item pisces squamis carentes, qui etiam apud Romanos a sacrificiis exsulabant (*Plin.* Hist. nat. 32,10).

c. Alites Lev. 11,13-20.

Arg. — E bipedibus proscribuntur viginti species avium rapacium. Quadrupedes et multipedes prohibentur omnes. Contactus cadaverum, quod non ita facile occurrat, siletur.

v. 13 « *Haec sunt, quae de avibus* » — i. e. alitibus, nam alites etiam quadrupedes v. 20 eo nomine veniunt — « *comedere non debetis et vitanda sunt vobis : aquilam, et gryphem, et haliaeetum* », v. 14

« *et milvum, ac vulturem iuxta genus suum* », — intelligitur ergo genus aliquod avium rapacium, plures complectens species — v. 15 « *et omne corvini generis [in similitudinem suam]* », v. 16 « *struthionem, et noctuam, et larum, et accipitrem iuxta genus suum* », v. 17 « *bubonem, et mergulum, et ibin* », v. 18 « *et cygnum, et onocrotalum, et porphyrionem* », v. 19 « *herodionem, et charadrion iuxta genus suum, upupam quoque, et vespertilionem* ». v. 20 « *Omne de volucribus* », de minoribus alitibus שרץ העוף, « *quod graditur super quatuor [pedes], abominabile erit vobis* ». Obiicit *Dillm.*, quadrupedes alatos dari nullos praeter vespertiliones v. 19 iam recensitos; adesse errorem in s. textu, qui interpretes plerosque fugerit. Respondeo primo, v. 20 statui principium generale, v. 19 enumerari casus particulares, nihil obstare, quomodo horum casuum unus, sc. vespertilio, sub illo principio subsumatur. Respondeo secundo, quadrupedes h. l. scribi in oppositione ad bipedes v. 13 sqq., et includere animalia alata illa omnia, quae pedes habeant aut quatuor aut *quatuor plures;* quod patet e v. 21 sq. quadrupedibus adnumerante locustam, quam sex pedes habere Hebraei oppido norant.

De his valet imprimis illud, quod *Calm.* ad v. 5 affirmat, « nonnisi divinando plerumque dici, quae animalium genera hic indicentur a Moyse ». Saepe, quod animal Vulg. et LXX in mente habuerint, vix demonstratur, obscurae quippe sunt voces, neque eadem constanter animalia designabant. Si, quid ipsi senserint, perspexisti, an vera textuique hebraeo consona senserint, dispiciendum restat.

v. 13 נשר totam *aquilarum* familiam designat. מלך שבעופות נשר, « rex avium aquila » habes Chag. 13 b (ap. Levy). Iob 39,30 et Prov. 30,17 haec avis dicitur carne vesci morticina; sed id etiam aquila facit, dummodo caro sit recens. Verum calvitium Mich. 1,16 aquilae non convenit, sed vulturi barbato et percnoptero (cf. *Knabenbauer* ib.). Vox apud Arabes semper vulturem significat, apud Assyros aquilam. — פרס *LXX Vulg.* vertunt γρύπα, *gryphen*, i. e. animal quadrupes alatum fabulosum. *Chald.* ער, *Syr.* omittit. Radicis significatio *frangere, findere*. Unde coniiciunt *ossifragum*, graece φῖνις seu φήνη; quem censent eundem esse atque vulturem barbatum seu gypaetum, qui agnis potissimum insidietur. Vides haec unice niti radicis significatione : at cur ex eadem non petas significationem vulturis alicuius, qui rapido volatu aera *findat?* — עזניה. *Chald.* עזוא, *Syr.* omittit. *Ps. Ion.* עזוא hic et Deut. scribit pro Hebr. פרס, dum tertio loco habet ברגזא, avem designans, quae scindat seu findat. *LXX*, uti Vulg., ἁλιαίετος, ergo *aquila marina*. — v. 14 דאה (Deut. 14,13 mendose ראה) omnes interpretantur genus aliquod *vulturum*, *Vulg. milvum*. *Chald.* בת כנפא, *filia alae*, ignorans sane quod alitum genus intelligeretur. Praeter דאה in Deut. habetur דיה, quod ignorant *Sam. LXX*, vertunt vocibus alias inauditis *Aq.* (ἴξον) et *Vulg. ixion*, dum *Chald.* vertit דיתא, qua voce h. l. ipse reddit דאה. Reapse דאה, et דיה unica sunt avis (cf. Is. 34,15), a radice דאה, *in aere suspensum esse, volare*. — איה, *Vulg. vultur*, *LXX* ἴκτινος i. e. falco aeruginosus, *Targ.* ברפית, *Syr.* omittit. Cf. Iob 28,7. — In ערב, *corvo* v. 15 omnes consentiunt. Cum pluribus codicibus, *Sam.*, *Chald.* restitue copulam initio versus. — v. 16 בת היענה etiam aliis locis habetur, et a versionibus constanter redditur *struthio*. — התחמס *LXX Vulg.* in-

tellexere *noctuam* : sed quis noctuam credat medias inter aquilas, vultures et accipitres recenseri, maxime cum mox alio nomine hoc avium genus efferatur? Noctuam certe non cogitabant *Targ.* (חטפיתא ציצא) nomen derivantes a radicibus, quae *elevari* et *rapere* sonant : noctua quippe in alta non assurgit, nec nisi minora animalia rapit. *Syr.* omittit. — שחף (*Sam.* hic et Deut. שאף) : *Syr.* omisit, *LXX Vulg.* intellexere *larum*. — נץ (cf. Iob 39,26) vertitur *accipiter* a *LXX Vulg.* — v. 17 כוס a *LXX Vulg.* intelligitur *bubo*, *nycticorax*, ergo e noctuarum numero familia; loca solitaria incolit Ps. 101(102), 7. *Syr.* עודא, fortasse ab עוד, *praedari*. *Chald.* קדיא. — שלך a *Vulg.* intelligitur *mergus*, eundemque fortasse intellexere *LXX*, nam καταῤῥάκτης utique designat avem ex alto proruentem. *Targ. Syr.* faciunt *extractorem piscium* שלנונא. — *Ps. Ion.* h. l. inserit צייורא, quem reliqui textus ignorant. — ינשוף *LXX Vulg. ibis*. *Targ. Syr.* קפופא, avis solitudinem incolens Is. 34,11. — v. 18 תנשמת *LXX Vulg.* vertere *cygnum* (LXX hanc sequenti voci postponunt; κύκκον esse תנשבית, non vero רחם, docet Deut. 14,16) : cur ita verterint, non perspicitur. *Chald.* בוכת, *Syr.* כוכבי. *Ps. Ion.* אותיא, quas voces secundum etymon putant aliquam noctuae speciem demonstrare. — קאת, *Chald.* קתא, *Syr. Ps. Ion.* ככא, incolit loca deserta Is. 34,11; Soph. 2,14; Ps. 101(102), 7. *LXX Vulg.* intelligunt *pelecanum onocrotalum*. — רחם, Deut. 14,17 רחמה, itemque *Sam.* utrobique. *Vulg.* intelligebat sane *fulicam porphyrionem*. Consentire *LXX* collige ex eo, quod dicebamus κύκνον esse cygnum; hac quippe voce transposita, πορφυρίωνα comparandum erit cum Vulg. *porphyrionem*. Idemque collige e Deut. 14,17 sq., ubi, cum e Lev. 11,19 upupa et νυκτερίς sibi respondeant, invicem comparanda supersunt πορφυρίων et porphyrio. In paucis sc. LXX ordinem enumerationis habent dissonantem. *Chald.* ורקרוקא, *Ps. Ion. Syr.* שרקרקא. Sed apud arabes vel nunc רחם designat *vulturem percnopterum*, animal spurcum et foetens, album praeter alas nigras, capite calvo. Igitur teste arabe, qui seriam hac in re supplet probabilitatem, versamur adhuc inter vultures : coniice hinc, quam parum fidae sint praecedentium explicationum aliquae, quae tentamina potius vocandae sunt quam versiones. — v. 19 חסידה, *Chald.* חוריתא, *Syr.* חורכא. *LXX Vulg.* interpretantur *herodium*. Tamen Vulg. Ier. 8,7; Zach. 5,9 interpretatur milvum; LXX Zach. 5,9 ἔποπος, et Ier. 8,7 et Iob 39,13 ἀσίδα, vocem hebraeam transcribens; Symm. Ier. 8,7 et Ps. 103(104), 17 ἰκτῖν seu milvus; Theod. Ier. 8,7 ἀσίδα. Tamen herodium exprimunt *Aq.* locis parallelis laudatis omnibus, quibus praeterea *Syr. hexapl.* (cf. Field) offert lectionem variantem הרודי, quae utique herodium sonat; dein *LXX* Ps. 103,17, et *Vulg.* ib. et Iob 39,13; *Symm. Theod.* Zach. 5,9. — Ante האנפה cum *Sam. LXX Syr.* restitue copulam, doceris quippe Deut. 14,18 vocem aliam ab herodio exprimere avem. *Ps. Ion.* prioribus iungens vertit « milvum (!) album et nigrum ». *Syr.* אנפא. *Chald.* אבו. *LXX Vulg.* vertunt *charadrium*. Quo iure id faciant, non constat. — דוכיפת, *Sam.* h. l. et Deut. 14,18 דגיפת. *Syr.* תרנגול ברא et *Ps. Ion.* נגר טורא intelligunt avem silvestrem, uti creditur *tetraonem urogallum*. *LXX Vulg. upupa*. — עטלף, *Chald.* עטלפא. *Syr.* טוסא, *paro*, sed hoc est תכיים 3 Reg. 10,22. *Ps. Ion.* טרפידא seu verius ערפדא, ubi cf. B. Kam. 16 a (ap. Levy) : « עטלף post septem annos fit ערפד ». *Vulg.* vertit *vespertilionem*, idemque sonat *LXX* νυκτέρις, pro quo Deut. 14,18 mendose irrepsit νυκτικόραξ.

Quodsi iam alitum, excepto vespertilione, nomina superius recensita lustremus, reperimus ea, quae aliquid habent certitudinis neque meris coniecturis definiuntur, esse *avium rapacium*, et quidem vix non omnium maioris molis; unde suspicionem movent minores illae atque innocuae bestiolae, uti porphyrio, charadrius, upupa, quae tandem solis coniecturis in textus versiones et interpretationes irrepsisse videntur.

2. *Ad legem* v. 1-20 *additamenta* Lev. 11,21-47.

a. Appendicula ad legem de alitibus multipedibus Lev. 11,21-25.

Arg. — Generalis alitum plus quam duos pedes habentium v. 20 prohibitio ita v. 21 circumscribitur, ut locustarum esus lege sanciatur. Reliquorum, quae mortua fuerint, prohibetur contactus tam mediatus quam immediatus.

v. 21 « *Quidquid autem ambulat quidem super quatuor* [*pedes*], *sed habet longiora retro crura, per quae salit super terram* », v. 22 « *comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula iuxta genus suum* ». v. 23 « *Quidquid autem* », praeter has quatuor species, « *ex volucribus quatuor* [*tantum*] » — delenda ea vox; includuntur multipedes quilibet — « *habet pedes, exsecrabile erit vobis* », v. 24 *et in his polluemini*, quod incisum aptissime ad praecedentia trahitur; *Vulg.* trahit ad sequentia (*polluetur*). Porro v. 24 sq. est de solis שרץ העוף, volucribus sc. iis, quae plures duobus habent pedes, a quorum, uti ab octo v. 29 sq. reptilium speciebus, contactu Hebraei videntur penitius abhorruisse. Non tamen ad has volucres extenduntur ea, quae v. 32-38 sanciuntur. Cum vero, quod de his volucribus multipedibus *portandis* statuitur, mox (v. 28. 40) ad pecora item extendatur, haud dubium est idipsum brevi etiam volucribus bipedibus esse applicitum. « *Et quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur et erit immundus usque ad vesperum* ». « Tenebatur abstinere se ab actibus mundorum usque ad solis occasum. Postea mundus erat : lapsus enim temporis reverenter servati reddebat eum mundum » (*Cai.*). v. 25 « *Et si* [*necesse fuerit, ut*] *portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis* ». *Sam.* h. l. et *LXX* v. 40 additum habent *et lavabitur aquis*, quo plena cernitur cum 17,15 concordia, ubi immundus et vestes et seipsum lavare iubetur. Si additum repudietur, dicendum erit h. l. supponi tamquam rem evidentem, ut, qui vestes lavare obligetur, a fortiori teneatur lavari ipse.

v. 22 videtur recensere quatuor locustarum genera, et quidem alatarum. Quae quominus accuratius determinemus, prohibemur cum nominum locustarum multiplicitate (cf. Ioel 1.4 et *Knabenbauer* ib.), tum imperfecta nostra illorum animaleulorum scientia. Ex Ex. 10,13. 19 multisque aliis locis novimus ארבה, quae est *gryllus migratorius*, quam h. l. *LXX Vulg.* scribunt *bruchum*, *Targ.* גובא, *Syr.* קבצא. Iterato item (Num. 13,33; 2 Par. 7,13; Eccle. 12,5; Is. 40,22) recensetur חגב (*Hebr. Chald.*), *locusta*, ἀκρίς, quam *Ps. Ion.* כרדבא vocat et adiicit הידא בדונא, aliud eiusdem nobis nomen propalans. Hoc solo loco citantur סלעם, *attacus*, ἀττάκη, *Targ.* רשונא;

et חרגל (*Hebr. Chald. Syr.*), *ophiomachus*, ὀφιομάχης, *Ps. Ion.* גיבילא. Quod secus in V. T. non citantur, coniiciunt non ita agris nocuisse. Plura vide apud *Dillm.*

b. Appendicula ad totam v. 2-25 legem Lev. 11,26-28.

Arg. — Non omnes v. 3 sq. pecorum species exhauserat : lege illa reperta sunt non attingi non ruminantia habentia ungulam indivisam, itemque animalia ungulis carentia manibusque incedentia. Haec v. 26 sq. immunda declarantur. Ad quae etiam extenduntur illa tria, quae v. 24 sq. quoad alites multipedes impuras nova statuerat : pollui item *portantem*, teneri ad *lavandas vestes*, manere uti attingentem immundum *usque ad vesperum*. Eadem illa tria sine dubio brevi ad pecora etiam v. 4-8 (cf. v. 40) extendit Hebraeorum pietas.

v. 26 « *Omne animal, quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit* » *vobis ;* « *et qui tetigerit illud* » mortuum, « nam viva tangi poterant, ut equitando in asinis et mulis » (*Ians.*), « *contaminabitur* ». v. 27 « *Quod ambulat super manus* », i. e. pedes ungulis carentes, « *ex cunctis animantibus, quae incedunt quadrupedia, immundum erit* » *vobis*. Statuitur haec lex imprimis de feris et carnivoris. Sequentia tam v. 27 quam v. 26 respiciunt : « *Qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum* » ; v. 28 « *et qui portaverit huiuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum : quia omnia haec immunda sunt vobis* ».

v. 26 *Hebr. Sam. Chald.* לכל (cf. 5,3), quae constructio cum ל evidentius etiam exprimit tradi additamentum ad praecedentia. *LXX* ילכל. Minus probabilis est lectio *Syri* וכל, quam fortasse etiam legebat *Vulg.*

c. Additamentum de reptilibus Lev. 11,29-45.

α. Lex de reptilium contactu Lev. 11,29-35.

Arg. — Reptilia homines communiter abhorrent, eorum esum fastidiunt. At lex de contactu immundorum visa est ad octo praeprimis reptilium species extendenda, quae ubique domi et in agris obviae haberentur. Quorum cadaverum contactus proscribitur longe severius ceteris, immediatus et mediatus, ita ut vasa etiam, vestes, cibos aquam inficeret.

v. 29 « *Haec quoque inter polluta reputabuntur de his, quae moventur in terra* » : — cum v. 41 sq. omne omnino שרץ immundum dicatur, sequentes octo species h. l. efferuntur, aut quod sint ceteris magis impurae (*Ew., Dillm.*) : at in quo maior haec legalis impuritas consis-

tat, haud perspicitur, maxime cum nulli speciales purificationis ritus praescribantur; aut quod visae sint specialius efferendae, sive quod frequentiores cum essent omnia inficerent, sive praeterea quod a nationibus circum incolentibus aliqua eorum comederentur, sive ob alias aliquas rationes — « *mustela, et mus, et crocodilus, singula iuxta genus suum* », v. 30 « *mygale, et chamaeleon, et stellio, et lacerta, et talpa* ». v. 31 « *Omnia haec immunda sunt* ». *Hebr.* : *Haec sunt, quae immunda sunt vobis de omni* שרץ. « *Qui tetigerit morticina eorum immundus erit usque ad vesperum* ».

חלד, ἅπαξ λεγόμενον, non est *talpa*. cum *Chald.* הילדא designet animal. quod in fundamento domorum et inter spinas habitet (*Levy*). Id non facit talpa, bene vero *mustela*, *LXX* γαλῆ, *Syr.* ככושתא, *Ps. Ion.* כרכושתא. — עכבר est *mus* : cf. 1 Reg. 6,4 sqq.; Is. 66.17. — צב, ἅπαξ λεγόμενον, *Chald.* צבא; ubi *Syr.* et *Ps. Ion.* חרדנא. Iam chardona non est species, sed genus; distinguitur חרדנא יבוא et חרדנא דובשא, chardona aequoris et chardona aridae. Illa utique est *crocodilus* (*Vulg. LXX*), pro quo tamen designando plures alias Hebraeus habet voces : cf. Iob 40,20 (25) sqq.; Is. 51,9; Ez. 29,3 etc. Ergo חרדנא et צב videntur designare classem aliquam lacertarum maiorum, quarum una utique est crocodilus. Cf. Fleischer ap. Levy I 425. Arabes norunt lacertam *dhab* longitudinis octodecim digitorum, flavam, veneno carentem. — אנקה, ἅπαξ λεγόμενον. *Syr.* אמיקתא. quam vocem tamen ipse Prov. 30,28 pro שבבית scribit. *LXX Vulg. mygale*, i. e. mus araneus. Sed *Chald.* יולא, *sanguisuga* (*Levy*) : itemque *Ps. Ion.* ביונקת חיויא. *serpens sugens*. — כח, ἅπαξ λεγόμενον, *Targ.* כוחא. *Syr.* חילדא, quo tamen mustelam designari monuimus. *LXX Vulg. chamaeleon*. — לטאה, ἅπαξ λεγόμενον, ubi *Chald.* habet חלטתא vel הלטתא, item ἅπαξ λεγόμενον, quod designare videtur lacertae speciem, cum cauda a corpore abscissa adhuc moveri dicatur (*Levy*). *Syr.* צרוריתא, i. e. *salamandra*. *Ps. Ion.* שבמיתא, quod animal scorpioni timorem incutere dicitur (*Levy*) : vox est eadem atque hebraea שבמית, de quo animali Prov. 30,28 scribitur « moratur in aedibus regis ». *LXX* χαλαβώτης videtur idem esse atque ἀσκαλαβώτης, genus quoddam lacertae. *Vulg. stellio*, i. e. lacerta gecko. Textus omnes in lacertam conspirant. — חמט, ἅπαξ λεγόμενον, *Chald.* חימטא, *Syr.* חילמיטא. *LXX Vulg. lacerta*. *Ps. Ion.* קויצא, cuius vocis sensus ignoratur. — תנשמת habebatur 11,18 tamquam nomen alicuius avis. *LXX Vulg.* vertunt *talpam*, item *Chald.*, cum אשיתא sit animal coecum (*Levy*). *Syr.* ידידא, *scolopendra* seu centipes. *Ps. Ion* סלמנדרא, *salamandra*.

In reptilibus fieri poterat, quod in pecoribus aut avibus aut piscibus haud fiebat, ut domos ingressa morerentur. Hinc v. 32 : « *Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas* » — i. e. cuiusvis generis supellex — « *ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia : [et] in quocumque fit opus, tingentur aqua, et polluta erunt usque ad vesperum, et [sic postea] mundabuntur* ». Copulam dele cum *Hebr. Sam. Chald. LXX Syr.* : omne vas, in quo fit opus, in aquam immittetur etc. Agitur de sola supellectili. Si v. g. reptile mortuum in tectum decideret, non erat opus ulla ablutione. v. 33 « *Vas autem fictile, in quod horum quidquam introceciderit, polluetur et*

[*idcirco*] *frangendum est* ». Cf. 6,28 (21). Erant quippe minoris pretii (*Sylv.*). Sed aliter *Hebr. : omne, quod in ipso erit, polluetur;* in vase autem illo supponitur esse aut aqua ad coquendum cibum (*Aug.*), aut potus, de quibus agit v. 34 : « *Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua* » illa illapso morticino spurcata, « *immundus erit ; et omne liquens, quod bibitur de universo* » illo « *vase, immundum erit* ». Dicitur *de universo,* i. e. fictili, ligneo etc. v. 35 « *Et quidquid de morticinis huiuscemodi ceciderit super illud* », — clarius : *et omne, super quod ceciderit etc.* — « *immundum erit : sive clibani sive chytropodes, destruentur et immundi erunt* ». Cf. v. 32. Distinctius huius membri clausulam effert *Hebr. : immunda sunt haec, eruntque vobis immunda.* — *Clibanus* est olla coquinaria. כירים ob formam dualem putabat *Calm.* designare « vas duabus partibus constans », ergo operculum habens. *Fleischer* (ap. Levy II 581 sq.) e lingua arabica efficere conatur exprimi vas tripodis simile, cui clibanus subiecto igne imponeretur : adverte, agi de vase fictili. *Ps. Ion.* eandem, atque 10,1 pro מחתה, vocem scribit, sc. תפיין.

β. Legis de reptilibus additamentum primum Lev. 11,36-38.

Arg. — Lex modo tradita quibusdam patebat dubiis, quorum solutio appenditur. *Vasorum* nomine, quod patet, non veniunt fontes et cisternae. *Semen* seminandum contactu non polluitur, neque enim illud impune aqua infunditur, et vix unquam res ipso die « usque ad vesperum » detegitur. Semen, quod cibo comparando adhibetur, utique polluitur.

v. 36 « *Fontes vero et cisternae,* [*et omnis*] *aquarum congregatio munda erit* ». « Ratio fuit harum aquarum necessitas, quae si alicuius muris, limacis mortui delapsu polluerentur, ingens et intolerabile incommodum vita humana pateretur » (*Bonfr.*). « Si aquarum collectiones pollutiones nostras diluunt, quomodo pollui possunt? » (*Hesych.*). Copulam ignorant *Hebr. Sam. Chald.*, ut *aquarum congregatio* sit appositio, sensusque fere sit causalis : « cum sint congr. aq. »; et erit supplendum a fortiori, maiora receptacula aquarum, uti lacus et flumina, mansura esse munda. *LXX Vulg. Syr.* copulam habent et demonstrant *reliqua* praeter fontes et cisternas aquarum receptacula. « *Qui* » vero « *morticinum eorum* » « in medio aquarum istarum », fontis etc. (*Ps. Ion.*), « *tetigerit, polluetur* ». Aquae fontis contactus non foedat, foedat autem contactus cadaveris animalis immundi, quod in aqua versatur (*Bonfr.*). v. 37 « *Si ceciderit* » *aliquod eorum cadaver* « *super sementem* », *quae seminanda est,* « *non polluet eam* ». Agitur de « semine

terrae nondum commisso, sed ad sationem praeparato » (*Bonfr.*). Ratio est eadem atque v. 36, intolerabile sc. incommodum, si agricolae seminis seminandi contactu interdicerentur, ob murem aliquem etc. ibi exanimatum repertum. Sed quid, inquit *Bonfr.*, si pars tantum acervi pro semente adhiberetur, reliqua pars pro cibo? an haec altera tum pars polluta fuisset? Respondet v. 38 : « *Si autem quispiam* » — recte passivum hoc pronomine reddit *Vulg.*; falso autem putabat *Tost.*, agi etiam de pluvia segetes in campis irrigante — « *aqua sementem perfuderit, et* [*postea*] *morticinis tacta fuerit,* [*illico*] *polluetur* ». מבוא הזיא, correspondens v. 37 expressioni טהור הוא, prodit agi utrobique de eadem re, sc. de semine. Ibi agebatur de semine iamiam seminando, hic non item : nam semen seminandum non solet aqua infundi. Aqua v. 38 infundi intelligitur ad usus domesticos, imprimis sane ad coquendum semen, sive illud fuerit integrum sive in farinam comminutum. Sed quid sibi vult incisum : *si inciderit aliquod eorum morticinum in illud,* seu in semen? *Vulg.* supplens *postea* affirmat, si in aliquod vas, ubi esset semen aqua infusum, incideret cadaver animalis impuri, semen illud futurum fuisse immundum. Id omnino verum est, at v. 32 sq. iam erat explicite affirmatum, neque h. l. erat repetendum. Supple *antea :* agitur de eodem atque v. 37 semine, in quod, cum in acervo esset, morticinum immundum incidisset. Illud primum erat immundum veluti in potentia; si ad usus agrestes convertebatur, immunditie carebat; at ubi primum usibus domesticis adhibebatur, prorumpebat veluti immundities in actum. Quomodo illud semen purificabatur? Relinquebatur usque ad vesperum.

γ. Legis de reptilibus additamentum alterum Lev. 11,39 sq.

Arg. — Quando lex de reptilibus iam ad v. 38, addita clausula v. 44 sq., pertingebat, visa sunt aliqua desiderari, fuereque inserta post v. 38 et ante illam clausulam. Quorum primum illud erat, nihil in tota inde a v. 2 lege haberi de pecoribus specie quidem mundis, sed propter necis rationem humano cibo minus decenter adhibendis. Haec porro immunda declarantur aliisque immundis aequiparantur.

v. 39 sq. agit de animali (בהמה) mundo quidem, at non legitime mactato, sed « mortuo naturali morte vel aliter quomodocumque, remanente ac concreto in venis sanguine » (*Bonfr.*). v. 39 « *Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver eius tetigerit, immundus erit usque ad vesperum* », v. 40 « *et qui comederit ex eo quidpiam* » per ignorantiam, nam qui id de proposito fecisset, peri-

turus erat de populo (Num. 15,30 sq.; *Tost.*), « *sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum* ».

δ. Legis de reptilibus additamentum tertium Lev. 11,41-43.

Arg. — Cum v. 29 sq. octo tantum reptilium species attigisset et de solo cadaverum contactu egisset, manebat dubium, essetne fas aliis reptilibus vesci. Quod severe, nulla admissa exceptione prohibetur.

v. 41 « *Omne, quod reptat super terram, abominabile erit nec assumetur in cibum* ». v. 42 « *Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est* ». Clarius tres classes *Hebr.* distinguit : apoda, quadrupedia reptantia, polypoda. Ita quippe habet : *Quidquid super ventrem graditur, et quidquid graditur super quatuor (pedes), usque ad quidquid habet plures pedes,* et nunc summum genus exprimitur : *quoad universa reptilia reptantia super terram, non comedetis etc.* v. 43 « *Nolite contaminare animas vestras* », i. e. vos ipsos (*Bonfr.*), agitur quippe immediate de macula reali, non morali, « *nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis* ». Videtur *Vulg.* correctionem adhibuisse textui impeditiori. *Hebr. : Nolite contaminare animas vestras in omni reptili reptante, neque immundos vos reddatis in ipsis, ne* (*Ps. Ion.*) *immundi efficiamini in eis.* Potuere eadem repeti ad augendam gravitatem sermonis. Praeterea ונטמיתם בם potuit corruptione oriri e ולא תטמאו בהם.

ε. Legis de reptilibus subscriptio Lev. 11,44 sq.

Omnis haec munditia et immunditia proxime erat legalis : « verum ea quam Deus praecipue sanctitatem exigebat, mystica erat et in animo, quam praefigurabat externa illa et legalis sanctitas » (*Bonfr.*). Ceterum, cum legalis illa munditia tota esset Hebraeis a Deo praecepta, eius etiam observatio homines efficaciter manuducebat ad moralem munditiem et sanctitatem. Eius servandae iam Deus subnectit potissimam rationem v. 44 : « *Ego enim sum Dominus Deus vester* ». Quae verba Dei quoque in memoriam revocant auctoritatem, qua sanctitatem lege praecipere valeat : tamen non hanc potissimum auctoritatem Deus appellat, sed honestatem quae in eo deprehenditur, ut cultores sint ad instar eius, quod colunt, numinis. « *Sancti estote, quia ego sanctus sum* ». Et illico fit principii applicatio ad eam materiam, quae modo tractabatur : « *Ne polluatis animas vestras* », vos ipsos, « *in omni reptili, quod movetur super terram* ». Repetit porro v. 45 Deus

argumentum v. 44 prolatum, ita tamen, ut honestatis addat grati animi motivum : « *Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti, ut essem vobis in Deum : sancti eritis* », seu estote, « *quia ego sanctus sum* ».

d. Totius legis de animalibus subscriptio Lev. 11,46 sq.

v. 46 : « *Ista est lex animantium, ac volucrum, et omnis animae viventis, quae movetur in aqua, et* » *omnis animae viventis, quae* « *reptat in terra* ». Ita *Hebr.* clarius quam Vulg. exprimit quatuor classes supra, uti et Gen. 1, statutas : pecora, altilia, aquatilia, reptilia, v. 47 « *ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis, quid comedere et quid respuere debeatis* ». Cf. 10,10.

II. LEX DE IMMUNDITIA PUERPERAE LEV. 12.

Hanc thoram (v. 7) crediderim Moyse antiquiorem, per ipsum a Deo esse approbatam. Id intulerim ex eo, quod succincte tamquam res nota proferatur, nulla rei assignata ratione; maxime vero, quod apud ethnicos quoque non paucos similis ritus deprehendatur. Moyses vero non est censendus ethnicorum ritus suis antehac ignotos apud Iudaeos invexisse; sed plures sancivit ritus suis cum ethnicis communes, et e religione primitiva derivatos. Igitur partu infantis apud Indos reddebantur immundi parentes et cognati; mater decem diebus immunda manebat, pater balneo purificabatur. Similis lex apud Persas vigebat. Apud Arabes mulier quadraginta post partum diebus immunda est. Graeci cavebant, ne ad puerperam accederent (*Theophr.* Char. 16); ipsa non permittebatur altari appropinquare (*Eurip.* Iphig. Taur. 383), sed nonnisi post quadraginta dies accedebat ad templum (*Censor.* De die nat. 11,7). Mater et proles lavabantur (*Callim.* Hymn. in Del. 123 sq., in Iov. 16 sq.), proles post quinque dies lustrabatur, decimo die nomine appellabatur (*Suidas* s. v. ἀμφιδρομία). A Romanis quoque puerpera impura habebatur, lavabatur (*Terent.* Andr. 3,2,3). Puer nono, puella octavo die lustrabatur et nomine appellabatur (*Plut.* Qu. Rom. 102; *Pers.* 2,31 sqq.), isque dies vocabatur « lustricus, quo infantes lustrantur et nomina accipiunt » (*Macrob.* Sat. 1,16; *Festus* s. v. Lustrici dies). Similia apud barbaras etiam quasdam gentes observabantur. Cf. *Kn.*

Eiusmodi ritus naturalis aliqua ratio assignari potest : certe plurimum immunditiei est in puerperis. Praeterea legem in *favorem* puerperae latam esse suggerit *Theodoret.* : « Arbitror igitur, legem iubere

illam requiescere, ut quae admodum laboraverit, et acerbos dolores pertulerit. Verum si hoc lex simpliciter enuntiasset, libidinem nequaquam continuissent viri : at immundam illam esse audientes, societate abstinent, ne contrahant immunditiam ». Notant etiam medicarum rerum periti, summam munditiem observari oportere in personis rebusque omnibus, quae puerperam contingant, ne immunditia aliqua febres excitentur puerperales. Tempus vero, donec a partu plene convalescat mulier, sex hebdomadarum esse affirmant, seu dierum circiter quadraginta.

At ratio etiam nobis est indaganda, cur post puellae partum duplex quam post pueri tempus purificationi attribuerit Moyses : 14 + 66 = 80 loco 7 + 33 = 40. Rationem suggerit *Theodoret.*, « quod gravius laborent mulieres, dum feminam pariunt ». *Rabbinorum* aliquas explicationes vide apud *Friedreich* I 140 sq. Tamen illam Theodoreti rationem non admittunt medici nostri (ib.). Quare discriminis ratio erit sane assignanda ea, Hebraeos mulierem minoris aestimasse quam virum, habuisse peculiari ratione impuram; impuram, inquam, non propter solum sanguinem menstruum, quem pubes facta effundit, sed propter peccatum, quod ipsa prima in mundum seductione invexit (*Or.;* M. 12. 495). Cernitur igitur in eo ritu vestigium fidei peccati originalis.

Cap. XII v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruae* », *Hebr. : eiectionis impuritatis suae*, quo nomine 15,19 venit fluxus menstruus sanguinis. Post partum per aliquas hebdomadas emittitur liquor primum sanguineus (lochia rubra), dein mucosus (lochia alba); primo igitur septiduo mulier impura habetur eodem ritu, atque cum sanguinem menstruum fundit. תזריע vertendum est *semen* seu *prolem producere*, hinc *Syr. gravidam fieri. Sam.* הזרע item accipi potest ut hiphil non plene scriptum. Sed *LXX Vulg. Targ.* formam accepere sensu passivo *semen suscipere*. Etiamsi haec versio esset unice vera, non tamen sequeretur (*Or.;* M. 12. 493), ex hoc textu effici, B. V. non fuisse obligatam ad purificationem praestandam. v. 3 « *Et die octavo circumcidetur infantulus* » (Gen. 17,12). v. 4 « *Ipsa vero triginta tribus diebus manebit* » segregata, hinc « domi se continebit » (*Vat.*), « *in sanguine purificationis suae* », qui ipse est *impurus* (*LXX*), et a quo ipsa *purificari* debet. In altera hac periodo non adstringitur mulier ritui tam severo atque illa, quae fluxum patitur menstruum, sed tantummodo sequentibus : « *omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suae* ». v. 5

« *Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus* » — *LXX* pro duali שבעים corrupte legebant שבעת ימים. Crediderim, post illos quatuordecim dies puellae imponi consuevisse nomen — « *iuxta* [*ritum*] *fluxus menstrui* », — non dicitur h. l. *iuxta dies*, quia dies revera sunt plures — « *et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suae* ». v. 6 « *Cumque expleti fuerint dies purificationis suae pro filio sive pro filia* », ergo dies sive quadraginta sive octoginta, « *deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbae sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii* », ingressa atrium (*Aug.*), « *et tradet sacerdoti* », v. 7 « *qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui* ». Puerperas nonnisi post *expletos* purgationis dies itineri ad sanctuarium se dedisse, docemur Luc. 2,22. Ex 1 Reg. 1,22 videtur effici, puerperas quandoque victimas per maritos submisisse, non adiisse sanctuarium ipsas, ob iustas rationes iter distulisse. « *Ista est lex parientis masculum aut feminam* ». Haec est pericopae subscriptio (*Tost.*). Sequens versus videtur post absolutam pericopen adiectus esse fortasse ab eodem, qui 5,7-13 scripsit : potuitque is esse aut ipse Moyses aut alius aliquis. v. 8 « *Quodsi non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato; orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur* ». Cf. Luc. 2,24.

Sacrificium pro peccato vi verborum, et magis etiam ubi immediate copulatur *holocausto*, utique designat sacrificium *ritu* sacrificiorum pro peccato oblatum (*Bonfr.*). Offerebatur istud sacrificium pro peccato non originali infantis (*Aug.*) : id enim in pueris iam circumcisione tollebatur, *expiabatque* (v. 7) sacerdos non infantem sed matrem, eratque sacrificii effectus *mundatio* non infantis sed matris. Non offerebatur pro peccato matris in concubitu commisso (*Lyr.*), potuit quippe concubitus carere peccato morali, nullibi docemur eum habitum esse peccatum legale, propter illum mundandus erat maritus aeque atque uxor (*Sylv.*). Offerebatur pro peccatis matris universim spectatis, iisque *legalibus*. Uno autem peccato legali puerpera quaelibet affecta erat. Immunditiam sc. illam naturalem declaraverat Deus peccatum legale, similiter atque lepram. Ille legalis reatus tollebatur praestitis operibus a Deo praescriptis, quae erant holocaustum et sacrificium pro peccato. Quod sacrificium praeterea valebat pro aliis, quae forte adessent, matris peccatis legalibus.

III. LEX DE LEPRA LEV. 13 SQ.

Proponitur nobis haec lex in Levitico tamquam *una* : habet enim unam omnes eius partes complectentem clausulam 14,54-57, ad instar 10,10 et clausulae 11,46 sq. efformatam. Sed eam e diversis coaluisse indubia produnt indicia. Habes 13,1-43 leprae humanae diagnosin,

pericopen certo schemate totam descriptam, cui individuae cohaeret 13, 44-46 tractatus de regulis ab eo, qui leprosus a sacerdote fuerit agnitus, observandis. Pericope 13,1-46 clausula non concluditur. Ei accedit 13,47-59 lex de lepra vestium, suam specialem v. 59 habens clausulam, estque secundum idem atque 13,1-43 schema exacta. Tradit ea tamen leprae vestium non diagnosin tantum, sed eiusdem etiam, si fieri possit, removendae methodum. Redit cap. 14 ad lepram humanam, et v. 1-20 describit ritum eius, qui leprosus fuerat, ab immunditia legali liberandi. Ei accrevit v. 21-32, qualem iam alibi (v. g. 12,8) notavimus, indulgentia pauperibus concessa, suam specialem v. 32 habens clausulam, quae v. 1-20 nequaquam respicit. Sequitur v. 33-53 tractatus de lepra domorum, specialem clausulam non habens : clausula vero v. 54-57, singulas totius legis Lev. 13 sq. partes complectitur, ideoque est clausula generalis. Tractatus ille item schema 13,1-43 imitatur. Haec evidenter non uno primitus calamo fuere scripta, sed e diversis in unum coacta. Crediderim unam primitus fuisse legem de lepra humana, tradentem eius diagnosin 13,1-43, regulas pro leprosis 13,44-46, eius qui leprosus fuerat legalem mundationem 14,1-20. Huic uti alias adiecta est, fortasse ab ipso Moyse pauperum usque studioso, indulgentia pauperibus concedenda 14,21-32. Exstabant primitus separatae leges de lepra vestium et domorum : illa, quod 13,45 haberetur *vestium* mentio, inserta est post 13,46 : haec, quod legaliter mundatus in suam dimitteretur *domum*, post 14,32 adscripta est. An igitur leges de lepra hominum et domorum suis primitus caruere clausulis? Habebant sane, sed illae 14,54-57 in unam confusae voceque *vestium* v. 55 auctae, legis collectitiae Lev. 13 sq. communem effecere clausulam.

1. *Leprae humanae diagnosis* Lev. 13,1-43.

Huius legis insignis est symmetria. Singulae paragraphi similibus formulis ordiuntur : v. 2 ואדם כי יהיה, v. 29. 38 ואיש או אשה כי יהיה, v. 40 ואיש כי ימרט. In subdivisionibus porro primae paragraphi nomen personae postponitur vel omnino supprimitur, hac ratione : v. 9 נגע צרעת כי יהיה באדם; v. 18. 24 בשר כי יהיה. Argumentum fere producitur vocibus ואם aut וכי.

« Auctor rem accurate novit et religiose describit » (*Dillm.*). Loquitur de illa tantum leprae specie, quae apud Arabes ברץ audit, eratque frequens apud Hebraeos (Num. 12,10 sqq.; 2 Reg. 3,29; 4 Reg. 5,27; 7,3; 15,5; Matth. 8,2 sq.; 10,8; 11,5; 26,6), Aegyptios (Ios. c. Apion. 1.26), Syros (4 Reg. 5,1 sqq.), Persas (Ktesias Pers. 41; Herod.

I. 1,38; Avesta, Iescht Sade 49), occurritque etiamnum in regionibus orientis. Constat maculis albis nitentibus, quae usquequaque extenduntur. Haec lepra proprie eadem est, sive prorumpat in parte cutis capillata sive in non capillata. Tamen auctor distinguit, et v. 2-28 agit de ea lepra in cute non capillata prorumpente, eiusque in variis adiunctis symptomata describit; dein v. 29-37 de eadem in cute capillata efflorescente; additque v. 38 sq. et 40-43 alia duo eruptionum genera plerumque innocua.

a. De lepra carnis non capillatae, צרעת, Lev. 13,1-28.

α. De ea lepra universim spectata Lev. 13,1-8.

Arg. — Eius tria traduntur indubia symptomata : ut efflorescat scabies, ut teneri pili albescant, ut scabies non supra cutem elevetur sed infra illam demittatur. Si primum tantummodo symptoma appareat, observetur an scabies extendatur.

Cap. XIII v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 2 « *Homo, in cuius cute* [*et*] *carne ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quippiam, i. e. plaga leprae, adducetur ad Aaron sacerdotem vel ad unum* [*quemlibet*] *filiorum eius* ». *Cutis carnis* (cf. Ex. 22,27 [26]) opponitur cuti capillatae v. 29 sqq., quae comam et barbam producit; habet tamen et ipsa tenues quosdam v. 3 crines. v. 3 « *Qui cum viderit lepram* » — *Hebr. plagam* — « *in cute* » *carnis*, « *et pilos in album mutatos colorem* », qui apud orientales vix non semper sunt nigri (*Kn.*), « *ipsamque speciem leprae* », i. e. *plagae*, « *humiliorem cute* [*et*] *carne* [*reliqua*] : *plaga leprae est, et ad arbitrium eius separabitur* ». *Hebr. : videbit sacerdos, et immundum declarabit ipsum.* Tria igitur statuuntur indicia : plaga seu scabies in cute apparens, pili ea in cutis parte albescentes, scabies non in cute intumescens, sed in illam demissa.

שאת *Vulg.* modo vertit *color* (v. 2. 10), modo *plaga* (v. 28), modo uti *LXX cicatrix* (v. 19); *Chald.* עבקא i. e. *aliquid depressum* (cf. v. 3), cum vi etymi vox שאת potius aliquid elatum, i. e. tumorem exprimat; *Syr.* שוביתא i. e. *macula*. Cum שאת v. 19 etiam succedat in locum ulceris, v. 28 combustionem sequatur, optime vertetur *macula* aut *squama*. — מספחת, a radice *sociare*, videtur denotare easdem maculas seu squamas numero plures, ergo *scabiem* (*Chald. Syr.*). — בהרת edicit aliquid *album, nitens*. — Processus morbi exprimitur : primum una paucaeve maculae distinguuntur, illae extenduntur in plurium macularum scabiem, tandem tota cutis unum quid est, album, nitens, *et evolvitur in cute carnis in plagam leprae* (*Hebr.*). — Leprosi ad sacerdotem adducti illud etiam significant, « ad sacerdotes N. T. pertinere iudicium de iis, qui ob immunditiam spiritualem, quam lepra illa significabat, separari debeant ab ecclesiae et sacramentorum eius communione vel eidem, si mundati

sint, restitui » (*Est.*). Adumbrant potestatem sacerdotibus N. T. collatam remittendorum peccatorum. Ubi trita occurrit Novatorum obiectio, sacerdotes V. T. lepram non sustulisse, sed tantum sublatam declarasse : ergo similiter N. T. ministros peccatum non remittere, sed remissum declarare. Et respondent aliqui haud esse mirandum V. T. sacerdotum potestatem, quae umbra tantummodo esset futurorum, fuisse arctioribus limitibus circumscriptam. At efficacior praesto est responsio. Etenim non illud erat V. T. sacerdotum officium lepram tollere, neque eae eorum potissimae partes lepram ablatam declarare : sed hac declaratione facta tollebant ipsi legalem immunditiem aeque, ac N. T. sacerdotes moralem immunditiam tollunt, restituebant legalem sanctitatem aeque, atque hi moralem restituunt.

Post casum leprae indubiae « proponitur casus leprae dubiae, ubi est solus candor in cute, nulla autem cutis depressio vel pilorum mutatio » (*Ians.*). v. 4 « *Sin autem lucens candor* » (cf. 2) « *fuerit in cute, nec humilior carne* [*reliqua*], *et pili coloris pristini* », tum utique suspicioni est locus (*Calm.*); « talis homo non est penitus extra castra separandus, cum non constet ipsum esse leprosum, sed recludendus est, ne interim alios inficiat » (*Sylv.*) : « *recludet eum sacerdos septem diebus* », v. 5 « *et considerabit die septimo : et siquidem lepra ultra non creverit, nec transiverit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis* ». v. 6 « *Et die septimo* » *sequenti* « *contemplabitur : si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum* », i. e. mundum declarabit, « *quia scabies est* », non lepra. *Obscurior* dicitur (v. 21. 26. 28. 56) lepra, quae non iam *lucet*, sed cuius color pallescit et evanescit. « *Lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit* ». v. 7 « *Quodsi, postquam a sacerdote visus est et redditus munditiae, iterum lepra* » — *Hebr. scabies* — « *creverit, adducetur ad eum* » *rursum*, v. 8 *et videbit sacerdos, et ecce crevit scabies in cute,* « *et immunditiae condemnabitur* » : *haec est enim lepra.*

β. De lepra in cute integra efflorescente, צרעת נושנת, Lev. 13,9-17.

Arg. — Haec lepra habetur, quando praeter squamam albam et pilos albescentes apparet cruda caro. Sed, ubi albedo supra totum corpus extenditur, id sanitatis redintegratae indicium est.

v. 9-17 agitur « de lepra carnis aut cutis integrae » (*Ians.*), ubi sponte nascatur lepra, nullo praevio ulcere aut vulnere. v. 9 « *Plaga leprae si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem* ». Vocatur hic non scabies (v. 3. 5. 6. 7 sec. Hebr.), sed *lepra*, quia evidenter lepra esse intelligitur : tamen homo sisti debet sacerdoti, a quo et leprosus declaretur, et contaminetur seu legali sanctitate privetur. v. 10 « *Et videbit eum; cumque color albus* », seu potius squama alba, « *in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva ap-*

paruerit », *Hebr. : et nota carnis crudae fuerit in squama*, i. e. prope illam caro cruda proruperit, v. 11 « *lepra vetustissima* » seu inveterata « *iudicabitur, [atque inolita] cuti* » *carnis eius*. « Cuius iudicii ratio est, quod lepra nova non potuisset tantum carnis et cutis corrodere » (*Sylv.*). Eiusmodi homines habent ulcera carnem crudam exhibentia, sanie manantia; vocatur elephantiasis. « *Contaminabit itaque eum sacerdos* », contaminatum, immundum declarabit, « *et non recludet, quia [perspicuae] immunditiae est* », neque ullus experimento est locus (*Calm.*). v. 12 « *Sin autem efflоruerit [discurrens] lepra in cute, et operuerit omnem cutem* » *eius, qui percussus est*, « *a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum* » *sacerdotis* « *cadit* », v. 13 « *considerabit eum sacerdos* », *et ecce operuit lepra omnem carnem eius*, « *et teneri lepra mundissima iudicabit* », — ex his Vulgatae verbis derivavere aliqui novam leprae speciem, *lepram mundissimam;* sed erravit *Vulg.* נגע h. l. vertens *lepra*, cum designet uti v. 12 eum, qui plaga percussus est. *Hebr. : et mundabit eum, qui plaga percussus est;* pro quo *Vulg.* intelligebat, eum mundaturum seu mundam declaraturum esse lepram illam. *LXX* נגע interpretata lepram supplevit suffixum : *et mundabit eum quoad plagam* — « *eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit* ». Reapse, quando lepra illa alba totum operuit corpus, brevi tempore homo sanatur. v. 14-17 repetitur principium, quod v. 9-13 inculcabatur, quodque sic resumit *Malv.* : « varietas colorum indicium est leprae, ut contra unus color sanitatis ». v. 14 « *Quando [vero]* » — sensus non est, eum qui modo mundus sit declaratus, brevi post lepra rursum affici, sed alius aegroti morbus describitur. Subiectum est הנגע, *ille qui percussus est;* sed non intelligitur idem continuo individuum — « *caro vivens in eo apparuerit* », *pollutus erit;* v. 15 « *tunc sacerdotis iudicio polluetur, [et inter immundos reputabitur]; caro enim viva, si lepra aspergitur, immunda est* ». Haec sunt liberius versa. *Hebr. : caro enim viva immunda est, lepra est.* v. 16 « *Quodsi rursum versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit* », *ibit ad sacerdotem, et* v. 17 « *considerabit eum sacerdos* », *et ecce conversa est plaga in alborem,* « *et mundum esse decernet* » *sacerdos eum, qui percussus fuerat : mundus est ipse.*

γ. De lepra in cute ulcerata, צרעת השחין, Lev. 13,18-23.

Arg. — In ulcere sanato nascitur squama alba vel subrufa, demissior, et albescunt pili. Si symptomata non sunt certa, aliquamdiu observentur.

Auctor iam « incipit applicare signa leprae v. 3 descriptae ad cicatrices et ulcera; hoc tamen discrimen est, quod cum color leprae sit albedo maculae, hic in cicatricibus possit esse subrufus » (*Ians.*). Licet שחין (cf. Ex. 9,9) non scribatur in V. T. nisi de ulceribus sponte et e causa intrinseca natis (*Sylv.*), non tamen constat ad illa restringi, neque video, cur lepra non potuerit etiam oriri in vulnere extrinsecus inflicto. v. 18 « *Caro autem et cutis, in qua ulcus* [*natum est*] *et sanatum* », v. 19 « *et in loco ulceris cicatrix* » — seu potius squama — « *alba apparuerit sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem* ». v. 20 « *Qui cum viderit* [*locum leprae*] *humiliorem carne* [*reliqua*], *et pilos versos in candorem, contaminabit eum* », immundum declarabit : « *plaga enim leprae* [*orta*] *est in ulcere* » *sanato*. Si non omnia tria obtinent indicia, casus est dubius ideoque penitius examinandus (*Sylv.*) : v. 21 « *Quodsi pilus coloris est pristini, et* [*cicatrix*] » seu squama « *subobscura, et* [*vicina*] *carne non est humilior, recludet eum* » *sacerdos* « *septem diebus* », v. 22 « *et si quidem creverit* » *in cute*, « *adiudicabit eum leprae* ». *Hebr. : immundum declarabit eum sacerdos : lepra est*. v. 23 « *Sin autem steterit in loco suo* » *lucens illud* (cf. v. 2), *neque increverit*, « *ulceris est cicatrix, et homo mundus erit* ».

δ. De lepra in cute adusta, צרעת הבוכוה, Lev. 13,24-28.

Arg. — Symptomata et modus procedendi, uti supra.

v. 24 « *Caro autem et cutis, quam ignis exusserit, et* [*sanata*] *albam sive rufam habuerit cicatricem* », — nihil de *sanata* ustione *Hebr.* habet : *et erit nota adustionis lucens quippiam album, subrufum vel album* — v. 25 « *considerabit eam sacerdos, et ecce versa est* » — *Hebr. versus est pilus*, nam ea est una e tribus conditionibus semper observandis — « *in alborem* » *in* (*loco*) *lucenti*, « *et locus eius* [*reliqua*] *cute est humilior* », *lepra est in adustione sanata*. « *Contaminabit eum* », seu immundum declarabit *sacerdos*, « [*quia*] *plaga leprae* [*in cicatrice orta*] *est* ». v. 26 *Et, si aspexerit sacerdos, et ecce in* (*loco*) *lucenti non est pilus albus;* seu *Vulg. :* « *Quodsi pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne* [*reliqua*], *et ipsa* [*leprae species*] *fuerit subobscura, recludet eum septem diebus* », v. 27 « *et die septimo contemplabitur : si creverit in cute* [*lepra*], *contaminabit eum* »; v. 28 « *sin autem in loco suo* [*candor*] *steterit* », *et non extensus est in cute, et sit* « *non satis clarus* », i. e. subobscurus, « *plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturae* ».

b. De lepra carnis capillatae, נתק, Lev. 13,29-37.

Arg. — Indicia eadem sunt atque antea : macula reliqua cute demissior est, crinium color mutatur, macula diffunditur. Tamen crinium color non in album mutatur, sed in *flavum* (*Men.*).

Ἅπαξ λεγόμενον צהב (cf. 1 Esdr. 8,27) aliqui revocant ad זהב, ergo fere color auri similis. Consonant reliquae versiones : *LXX* ξανθίζουσα, *Chald.* כיבין *ruber*, *Syr.* שבושא *color solem imitans*. Lepra partium capillatarum vocatur etiam נתק, *erulsio* (cf. *LXX* θραῦσμα, fragmentum ; *Aq.* ἀπόσπασμα, pars decerpta), sane quod, qui ea lepra essent affecti, barbam saepe vellerent, imo cutis fragmenta cum crinibus evellerent.

v. 29 « *Vir sive mulier, in cuius capite vel barba germinaverit lepra* » — *Hebr. plaga* : Hebr. quippe vocem צרעת h. l. nunquam adhibet, nisi ubi de lepra a sacerdote agnita agatur ; at in sqq. נתק pluries scribit, ubi ante v. 29 scripsisset נגע — « *videbit* [*eos*] *sacerdos* », v. 30 « *et siquidem humilior fuerit locus carne* [*reliqua*], *et capillus flavus* [*solitoque*] *subtilior : contaminabit eos* », immundos declarabit, *quia* נתק, *evulsio est*, et hoc nomen statim declaratur : « *quia lepra capitis ac barbae est* ». v. 31 « *Sin autem viderit locum maculae aequalem* [*vicinae*] *carni, et capillum nigrum, recludet eum septem diebus* ». Omisit *Vulg.* negationem : *sed capillus niger non est in eo*. Ubi ista duo obtinebant, locus maculae aequalis et capillus niger, non erat recludendus, sed mundus declarandus (*Dillm.*). Male *LXX* corrigunt צהב pro שחר, ξανθίζουσα. *Hebr. Sam. Chald. Syr.* loquuntur de casu, ubi macula quidem non erat infra cutem depressa, sed neque aderant capilli nigri ; unum leprae indicium deerat, alterum aderat ; is casus reapse erat dubius. v. 32 « *Et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est, et locus plagae carni* [*reliquae*] *aequalis* », v. 33 « *radetur homo* », ut clarius post septem dies observari possit, an creverit scabies (*Men.*), « *absque loco maculae* », qui radi sine vulnere haud posset, « *et includetur septem diebus aliis* ». v. 34 « *Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne* [*reliqua*], *mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit* ». v. 35 « *Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute* », v. 36 « *non quaeret amplius* » *sacerdos*, « *utrum capillus in flavum* [*colorem sit immutatus*], *quia* [*aperte*] *immundus est* », idque abunde colligitur e maculae incremento. v. 37 « *Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit* [*hominem*] *sanatum esse, et* [*confidenter*] *eum pronuntiet mundum* ». *Hebr.* nervosius : *sanata est plaga, mundus est ipse, et mundum declaret eum sacerdos.*

c. De pseudolepra, בהק, Lev. 13,38 sq.

Arg. — Est illa eruptio innocua, cuius squama non lucet, non infra cutem deprimitur, non habet pilos albescentes. Bohoq non raro squamam habet subrufam, de qua h. l. nihil habetur; sed ea species subintelligitur a fortiori tamquam innocua esse dimittenda, cum nullum ex indiciis obtineat, ne color quidem squamae.

v. 38 « *Vir sive mulier, in cuius cute candor apparuerit* », aliquid *lucens album* (cf. v. 2), v. 39 « *intuebitur* [*eos*] *sacerdos : si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum* ». *Hebr. : iste est* בהק *erumpens in cute, mundus est* ille homo.

d. De calvitio, קרח et גבח, Lev. 13,40-43.

Arg. — Quoad calvitium duplex error potuit occurrere : unus, ut ipsum calvitium pro lepra haberetur; alter, ut lepra in calvitio exorta, eique primum specie tenus haud absimilis, negligeretur. Utrumque errorem gravibus verbis textus confodit.

v. 40 « *Vir, de cuius capite capilli fluunt, calvus et mundus est* »; *Hebr. :* קרח *est, mundus est;* et, uti sequentia ostendunt, קרח calvitium occipitis designat; v. 41 « *et si a fronte ceciderint pili* », *Hebr. a latere faciei*, i. e. a fronte et temporibus, « *recalvaster et mundus est* »; *Hebr.* גבח *est, mundus est.* v. 42 « *Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color* » — *sed Hebr. plaga* — « *fuerit exortus* », *lepra prorumpens est in occipite vel in sincipite. Vulg.* rem compendio vertens e v. 43 sq. unum facit v. 43 : « *et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie leprae, quae orta est in calvitio* ». *Hebr. : Et videbit sacerdos, et ecce squama plagae alba* (*vel*) *subrufa est in occipite vel sincipite, sicut aspectus leprae est cutis carnis : infectus est ille homo, impurus est, impurum declarabit eum sacerdos, in capite eius est plaga eius.*

2. *Regulae a leprosis observandae Lev.* 13,44-46.

Arg. — Iubentur, qui lepra infecti sunt, seorsim habitare aliosque externo habitu a se arcere.

v. 44. « *Quicumque ergo maculatus fuerit lepra,* [*et separatus est ad arbitrium sacerdotis*] », v. 45 « *habebit vestimenta dissuta* », i. e. *scissa* (*Chald. Syr.*), timidius *LXX* παραλελυμένα, « *caput nudum* », —

haec duo iam 10,6 (cf. 21,10) efferebantur ut signa luctus : ergo finis primarius certe non est, « ut putidi vapores facilius exspirent » (*Ians.*) — « *os veste contectum* », quod etiam esse luctus signum docent Ez. 24,17. 22 et Mich. 3,7, « *contaminatum ac sordidum se clamabit* ». *Hebr.* : *clamabit* : *Immundus, immundus.* Quibus occurrentes sibi arcebit. v. 46 « *Omni tempore, quo leprosus est* [*et*] *immundus* », — sed *Hebr. Sam. LXX immundus erit, immundus ipse;* quod sic explicat *Syr.* : *immundus erit et, quia immundus est,* « *solus habitabit extra castra* » (cf. Num. 5,2 sqq.; 12,14 sq. etc.), ad praecavendam contagionem.

Lex interposita de lepra vestium Lev. 13,47-59.

Arg. — Factae v. 45 *vestimentorum* mentioni assuitur haec lex, quae tres leprae vestium species distinguit : v. 51 מבוארת, v. 55 פחתת, v. 57 פרחת.

Stilus idem est atque legis v. 1-43 : cf. v. 47 ובגד כי, nostrumque schema. Miretur quis, in unum documentum confundi lepram et hominum et vestium, quae sint res plurimum diversae inter se : non ita erant scientificae rationis studiosi Hebraei. Consentiunt fere iam interpretes, non agi de vera lepra ab hominibus leprosis profecta, illa quippe in vestibus et domibus utique non *crescit*, sed ad summum qualis primum erat perseverat. Ipsae leprosorum hominum vestes non *cremantur* (v. 52), sed lavantur tantum (14,8). « Lepra ergo vestium et domorum non fuit aliud, nisi maculae quaedam ortae ex vestium aut lapidum exesione, sive propter putrefactionem, sive propter salsedinem quamdam : sic enim videmus nitrum exedere lapides » (*Ians.*). Censet *Friedreich* I 234 vestium lepram originem duxisse a lana animalium aegrotorum. Proscribebatur ea sicut alia immunditiae genera, quae erant imagines moralis immunditiae, et facile ipsam lepram fovebant.

α. Si macula subviridis vel rufa Lev. 13,47-55.

v. 47 « *Vestis lanea sive linea, quae lepram habuerit* » v. 48 « *in stamine atque subtegmine, aut* [*certe*] *pellis, vel quidquid ex pelle confectum est* », v. 49 « *si alba* » — sed ירקרק est sane *subviridis* color, fortasse in flavum vergens : *LXX* χλωρίζουσα, *Chald.* ירוק — « *vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti* ». Vestes tum erant e lana et lino; alia (cf. Deut. 22,11) pretiosiora erant, quam quae communi usui applicarentur. *Hebr.* incipit absolute : *Et vestis, in qua fuerit plaga leprae.* Dein anacoluthice pergit : *in veste lanea aut in veste linea;* et in utraque hac classe duo sequentia distin-

guit : *aut in stamine aut in subtegmine*, et pergit *aut in pelle aut in omni opere corii;* tandem v. 49 prodosin incipit : *si fuerit plaga subviridis etc.;* et concludit apodosi *plaga leprae est.* שתי et ערב *Vulg.* post *LXX* vertit *stamen* et *subtegmen.* « Stamina sunt filamenta recta ; quaeque illa secant ope radii ultro citroque ducti, subtegmina appellantur » (*Calm.*). Sed cur haec duo h. l. efferantur, nullo modo perspicitur. Teste v. 56 poterat aliqua panni pars *aut* de stamine *aut* de subtegmine abscindi, quod fieri non poterat, si definitio a Calmeto data supponatur genuina. v. 50 « *Qui consideratam recludet septem diebus* », v. 51 « *et die septimo rursus aspiciens, si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est* » *plaga :* « *pollutum iudicabit* [*vestimentum et omne, in quo fuerit inventa*] », v. 52 « *et idcirco comburetur flammis* ». *Hebr.* v. 51 sq. bis enumerat omnia uti v. 47 sq. vestium genera, tandemque in fine addit *in quibus fuerit inventa plaga :* qui sensus facilis est. Sed *Vulg.* neglecta enumeratione hoc solum incisum servat extremo v. 52, ubi fere sensu caret.

Hebr. מבאורת *pungens* (? cf. Ez. 28,24), unde videntur derivari Chald. מיכורא *consumens* (?), *Syr.* מוריר *amara*, *Graeca Veneta* ἀλγεινή, alia lectio *LXX* σπανίζουσα. *Sam.* מבוראת *obstinax* (? cf. Soph. 3,1). unde *Vulg.* et *LXX* recepta *perseverans.*

v. 53 « *Quodsi eam viderit non crevisse* », v. 54 « *praecipiet et lavabunt id, in quo lepra* » — seu *plaga* — « *est, recludetque illud septem diebus aliis* ». v. 55 « *Et cum viderit* », *postquam lota est plaga* et, supple, postquam elapsum est septiduum — fortasse commode verteretur *licet lota sit plaga :* macula innoxia septiduo post lotionem non compareret — « *faciem quidem pristinam non* » *esse* « *reversam, nec tamen crevisse lepram* » seu plagam, « *immundum iudicabit et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie* [*vestimenti*] *vel per totum* [*lepra*] ».

Hebr. : פחתת *est hoc* בקרחתו *vel* בגבחתו. פחתת videtur esse nomen alicuius speciei pestis vestium, similiter atque מבואת v. 51. *Chald. Syr. vulnus. LXX* sumpsit pro participio : ἐστήρικται, *fixit se.* Secundum etymon vox potest designare *fossulam. Ps. Ion.* שקעא etiam verti potest *latens :* comburat, quia infectio adest non quidem patens, sed latens. Sequentes duas voces *LXX* vertunt *in stamine vel in subtegmine* (!). *Chald. in abrasione vel novitate; Syr. in novitate et abrasione; Vulg.* intellexit maculam, quae aut solam *superficiem* attingat, aut *totum* penetret. *Ps. Ion.* ברדד יה בלבד יה וא ; ubi לבד (cf. *Fleischer* ap. Levy I. 429) designat lanam coactam seu condensatam, prostantibus lilorum extremitatibus, πῖλος, πίλημα, *gall.* feutre, *angl.* felt; ergo רדד erit tela extensa seu glabra. Idem, uti videtur, sensus hebraeis item expressionibus tribui potest.

β. Si macula obscurior Lev. 13,56-58.

Leprae colore pallescente (cf. v. 6), partes vestium infectae excidendae sunt, reliquis servatis. v. 56 « *Sin autem obscurior fuerit* [*locus*] *leprae* » seu *plagae*, « *postquam* [*vestis*] *est lota, abrumpet eum* [*et a solido dividet*] ». v. 57 « *Quodsi ultra* », *rursum* « *apparuerit* [*in his locis, quae prius immaculata erant*] », i. e. *in veste vel in stamine vel in subtegmine vel in omni supellectili e corio:* si lepra, postquam palluit vel etiam omnino evanuit, reviviscit, « *lepra volatilis* [*et vaga*] » *est*, פרחת, *eruptio* est, λέπρα ἐξανθοῦσα, et « *debet igne comburi* ». *Hebr. comburi debet illud, in quo est plaga,* non totum. Nomen פרחת refer tam ad v. 56 quam ad v. 57 : secus lepra v. 56 nomine careret, cum tamen hae immunditiae singulae sua nomina habeant. v. 58 « *Si cessaverit, lavabit* [*aqua ea, quae pura sunt*], *secundo, et munda erunt* ». *Hebr. : vestis etc., quae lota sunt recessitque de illis plaga, laventur secundo, et munda erunt.* v. 59 « *Ista est lex* », thora *plagae* « *leprae vestimenti lanei et linei* », *aut staminis* « *atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceae, quomodo mundari debeat vel contaminari* », *Hebr. quoad munditiam et immunditiam.*

3. *Legalis mundatio leprosi* Lev. 14-1-42.

Arg. — Qui fuerat leprosus, a sacerdote examinatus et lustratus extra castra, rasus et lotus in castra admittitur v. 1-8. Die septimo rursum rasus et lotus sacrificia offert v. 8-20. A pauperibus victimae minus pretiosae exiguntur.

Cap. XIV v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Hic est ritus* », thora « *leprosi, quando mundandus est* », supple, uti Vulg. v. 7, « iure », i. e. quando mundus declarandus est; plus enim non praestabat sacerdos. « Valetudini restitutus leprosus non continuo nec privata auctoritate sua restituebat se castris. Adibat sacerdotem, sistebat se illi, et iudicium de valetudine sua ab ipso quaerebat » (*Calm.*). « *Adducetur ad sacerdotem* » (Matth. 8,4; Luc. 5,14), v. 3 « *qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam* », v. 4 « *praecipiet ei, qui purificatur, ut offerat* » — *Sam. LXX Chald. Syr. : praecipiet sacerdos, et sument pro eo, qui purificatur* — « *duos passeres vivos* [*pro se*], *quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum* », i. e. exiguum frustum (*Bonfr.*), « *vermiculumque* » (cf. Ex. 25,4), i. e. filum coccinum (*Bonfr.*), « *et hyssopum* » (cf. Ex. 12,22). *Hebr. : duas aves vivas mundas;* passer utique est avis

munda, quod inter immundas cap. 11 non recenseatur; tamen צפור generatim avem minorem designat, et additum *mundas* h. l. otiosum esset, si nomen ad passeres restringeretur. Sed quis ligni, fili et hyssopi usus (cf. Num. 19,6)? « Ad conficiendum aspergillum : lignum quidem cedrinum ad manubrium, filum coccineum ad colligandum hyssopum et connectendum manubrio cedrino... Usurpatur ergo lignum cedrinum, quod putrefactionem non admittit, ad indicandam hanc putrefactionem ab hominis, qui emundatur, corpore ablatam; filum coccineum ad indicandum vivacem colorem redditum; hyssopus, quae est herba imprimis odorifera, ad demonstrandum foetorem recessisse » (*Bonfr.*). v. 5 « *Et unum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viventes* », non stagnantes ideoque impuras. Sanguis vero aquae admiscebatur, quia ex una avicula tantus vix sanguis exprimi poterat, quantus aspersioni esset satis (*Bonfr.*). Notat *Cai.*, licet *immolari* vertat *Vulg.*, non tamen ullum h. l. referri sacrificium, sed meram lustrationem. v. 6 « *Alium autem* » *alitem* « *vivum cum ligno cedrino et cocco et hyssopo tinget in sanguine passeris immolati* » *super aquas vivas*, sanguine aquae admixto immerget. v. 7 « *Quo asperget illum, qui mundandus est* » *a lepra*, « *septies, ut* [*iure*] *purgetur; et dimittet passerem vivum*, [*ut*] *in agrum* [*avolet*] ». Haec avis utique imago est leprosi mundati, ad sua redire permissi. v. 8 « *Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos* [*corporis*], *et lavabitur aqua, purificatusque* » *postea* « *ingredietur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus* ». Similem ablutionis ritum 15,13 sq. 28 sq. subibat is, qui seminis fluxum patiebatur. Immunditia facillime pilis adhaeret.

v. 9 « *Et die septimo radet capillos capitis barbamque et supercilia ac totius* [*corporis*] *pilos; et lotis rursum vestibus et corpore* » *purificabitur* et hinc, ut comparatus v. 8 docet, ingredietur tabernaculum suum, et v. 10 « *die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similae in sacrificium* » seu mincham, « *quae conspersa sit oleo, et* [*seorsum*] *olei sextarium* ». Tria gomor seu decimae sunt lit. 11,64. לג sextarius h. l. solum commemoratur; Ps. Ion. ad Ex. 30,24 duodecim log aequiparat uni hin, ut unus log sit lit. 0,29.

Haec oblata postmodum distribuuntur sic. Agnus unus et olei sextarius impenduntur sacrificio pro delicto v. 12, agnus alter v. 19 sacrificio pro peccato, agnus tertius cum mincha trium decimarum holocausto v. 19. Pauper e supra statutis v. 21 afferre iubetur solum agnum unum, decimam unam pro mincha oleique sextarium; praeterea v. 22 duos turtures aut columbas. Agnus cum sextario v. 24 tribuuntur sacrificio pro delicto; unus turtur v. 31 sacrificio pro peccato, alter cum mincha ho-

locausto. Offeruntur autem hostiae pro delicto et pro peccato, non quod lepra censeretur semper in poenam infligi alicuius mali a leproso scienter vel ignoranter commissi, sed quod, cum multa quique et scientes et ignorantes deficiamus, aequum sit nonnisi hostiis pro delictis et peccatis oblatis ad holocaustum offerendum accedere.

v. 11 « *Cumque sacerdos purificans hominem* » *purificandum* « *statuerit eum et haec omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii* », v. 12 « *tollet agnum* » *unum* « *et offeret eum pro delicto, oleique sextarium et, oblatis ante Dominum* [*omnibus*] » elevatione sacrificali, v. 13 « *immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato et holocaustum,* [*i. e.*] *in loco sancto* », in atrio sanctuarii. *Vulg.* inserens *i. e.* id unum efficit, hanc pro delicto hostiam immolandam fuisse alicubi in atrio ; at, cum aliunde constet (6,25 ; 7,2 ; cf. 1,11), hostiam pro delicto non solum in atrio, sed eodem atrii loco, atque hostiam pro peccato et holocaustum, fuisse immolandam, illud *i. e.* convenientius supprimitur. Ratio loci inculcandi haec potuit esse, ne suboriretur dubium, an hominem a lepra recenter sanatum fas esset in atrium admitti. « *Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto* » *est* (*LXX*) ; sicut illius, ita huius locus proprius est latus altaris, quod respicit ad aquilonem. Alia additur ratio : « *ad sacerdotem pertinet hostia* », in atrio comedenda, ergo in atrio etiam mactanda (*Bonfr.*) ; non enim fas erat carnem in loco profano immolatam in locum sacrum inferre. Tandem tertia subiungitur ratio : « *sancta sanctorum est* », ergo non alibi quam in loco sancto immolanda. Si advertas, quae p. 359 sqq. dicebamus de sacrificiis pro delicto, colliges, quod aliunde etiam probabile apparet, ritum h. l. descriptum esse Moyse longe antiquiorem. v. 14 « *Assumensque sacerdos de sanguine hostiae,* [*quae immolata est*] *pro delicto, ponet super extremum auriculae dexterae eius, qui mundatur, et super pollices manus dexterae et pedis* » *dexteri*, « ad indicandum, quod is, qui antea propter lepram non poterat se aliis coniungere ad audiendum sacra et ad operandum cum illis, uti nec ad frequentandum sanctuarium, ad omnia illa iam esset liber » (*Sylv.*). Membra dextera tamquam digniora praeferuntur. Similis ritus in consecratione sacerdotum 8,23 observabatur, adhibito sanguine non victimae pro delicto, sed arietis consecrationis ; item sacerdotes ungebantur oleo unctionis, leprosus sanatus v. 15 sqq. oleo communi. v. 15 « *Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram* », v. 16 « *tingetque digitum dexterum in eo, et asperget coram Domino septies* ». v. 17 « *Quod autem reliquum est olei in* [*laeva*] *manu, fundet* » — *Hebr. ponet* i. e. illiniet — « *super extremum auriculae dexterae eius, qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dexteri*, [*et*] *su-*

per sanguinem, [qui effusus est] pro delicto », v. 18 « *et super caput eius* », v. 19 « *rogabitque pro eo coram Domino* ».

Sacrificium pro peccato et holocaustum breviter expediuntur, quod ritu prorsus consueto oblata fuerint. « *Et faciet sacrificium pro peccato* », agnam sc. anniculam v. 10 immolans, nam victimae femellae pro peccato offerebantur, non vero (1,10) in holocaustum. *Et rogabit pro purificando ad emundationem eius.* « *Tunc immolabit holocaustum* », v. 20 « *et ponet illud in altari cum libamentis [suis]* », cum *mincha, et rogabit pro eo sacerdos,* « *et [homo rite] mundabitur* », perfecte mundus reputabitur.

De indulgentia pauperibus concessa Lev. 14,21-32.

« Epilogus » v. 32 (*Tost.*) v. 21-31 demonstrat esse documentum a praecedentibus distinctum, recentius adiectum, affine 5,7-13 et 12,8. Pro pauperibus sc. praescribitur minoris pretii oblatio. v. 21 « *Quodsi pauper est et non potest manus eius invenire, [quae dicta sunt], pro delicto assumet agnum ad oblationem* », i. e. in tenupham, « *ut roget pro eo [sacerdos], decimamque partem similae conspersae oleo in sacrificium* », — verte *in mincham* — « *et olei sextarium* », v. 22 « *duosque turtures sive duos pullos columbae* », duas columbas, *quae invenerit manus eius,* « *quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum* »; v. 23 « *offeretque ea die octavo purificationis suae sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino* ». v. 24 « *Qui suscipiens* » — *Hebr. immolans* — « *agnum pro delicto et* » *sumens* « *sextarium olei, levabit simul* », *tenupham coram Domino.* v. 25 « *Immolatoque agno* » *pro delicto,* « *de sanguine eius ponet super extremum auriculae dexterae illius, qui mundatur, et super pollices manus eius ac pedis dexteri* ». v. 26 « *Olei vero partem mittet in manum suam sinistram* », v. 27 « *in quo tingens digitum dexterae manus asperget septies coram Domino* », v. 28 « *tangetque extremum dexterae auriculae illius, qui mundatur, et pollices manus ac pedis dexteri in loco sanguinis, [qui effusus est] pro delicto* ». v. 29 « *Reliquam autem partem olei, quae est in [sinistra] manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum* ». v. 30 « *Et turturem sive pullum columbae* », *quem invenerit manus eius,* « *offeret* » v. 31 « *unum pro delicto* » — corrige *pro peccato* — « *et alterum in holocaustum cum libamentis [suis]* », *Hebr. cum mincha,* quae tota ei holocausto impendebatur, *et precabitur sacerdos pro purificando coram Domino.* Sequitur subscriptio v. 32 : « *Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui* ».

Lex interposita de lepra domorum Lev. 14,33-53.

Quam patet non esse ipsam hominum lepram in parietes transfusam; eiusmodi quippe transfusio non fit. Et v. 34 dicitur haec lepra ab ipso Deo *poni*, quod minus apte affirmaretur de plaga hominum incuria transfusa. Probabilius intelligitur *nitrificatio*, *gall.* salpêtrage, *germ.* Mauerfrass, quando natron e muris efflorescit, humorem absorbet, specie a lepra humana haud absimili. Est quidem nitrificatio plerumque alba, at etiam subviridis et subrufa : cf. *Friedreich* I 234. Obtinet, ubi murus in putida humo exstructus est, corrumpit aerem, sanitati nocet. Est ergo haec lex sapientissima. Neque tamen huius leprae confodiendae primaria ratio est sanitatis incommodum, sed *immunditia*. Hinc neque officit eos, qui hanc legem primi in stirpem electam invexerint, fortasse aliquam leprae domorum cum lepra hominum physicam affinitatem supposuisse. Erat ista domorum lepra utique immundum quid, externa specie leprae humanae affine, et ob has rationes merito proscribitur.

Traditur v. 34 haec lex pro tempore terrae sanctae subactae, ubi in domibus habitaturi erant Hebraei. Tamen formula כי תבאו etc., hic et alibi, potuit Moysis aevo praefigi legi antiquiori, quam iam antea Hebraei in Chanaanitide vel Aegypto habitantes observaverint, vix autem in Aegypto, ne dicam in deserto, observare potuerint. Nihil igitur prohibet, quominus legem Lev. 14,33-53 praecedentis legis affirmemus esse aetate aequalem, cuius forma etiam est affinis. Licet enim, quod non de hominibus sed de domibus agat, pluribus expressionibus a praecedente lege necessario differat, universim tamen eundem ordinem sequitur : v. 48 nova paragraphus orditur a ואם; verbum ראה habes v. 36. 37. 39. 44. 48; formulam צרעת במבארת הוא v. 44. Unum notabilius deprehenditur discrimen. V. 34 loco eius, quam exspectabas expressionis ונגע צרעת כי יהיה בבית, habes aliam ונתתי נגע צרעת בבית qua haec plaga affirmatur immediatius etiam quam ipsa lepra humana a Deo procedere, cum ab ipso *imponatur*, dum illa hominis peccato aut imprudentia incurri queat. Ea expressio haud favet opinioni dicentium, nostram legem supponere domorum lepram contagione derivari ab hominibus leprosis.

a. De domo lepra infecta Lev. 14,33-45.

Arg. — Domus infecta a sacerdote claudatur. Elapso septiduo, si creverit lepra, lapidibus infectis alii substituantur, reliquus murus

radatur et liniatur. Quodsi posthaec rursum compareat lepra, domus destruatur.

v. 33 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 34 « *Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga leprae in aedibus* », — *Hebr. : et posuero plagam leprae in domo terrae possessionis vestrae* — v. 35 « *ibit, cuius est domus, nuntians sacerdoti et dicet : Quasi plaga* [*leprae*] *videtur mihi esse in domo mea* ». v. 36 « *At ille praecipiet, ut efferant* » (cf. Gen. 24,31 ; Soph. 3,15 ; Ps. 79 [80], 10) « *universa de domo, priusquam ingrediatur eam et videat, utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia, quae in domo sunt* », iudicio sacerdotis (*Tost.*, qui domum declaraturus esset immundam : domo quippe immunda declarata, illico immunda habebantur, quaecunque in domo erant (*Sylv.*). « *Intrabitque postea, ut consideret* [*lepram*] *domus* » v. 37 « *et, cum viderit in parietibus illius* » *plagam*, « *quasi valliculas* » — שקערורת ἅπαξ λεγόμενον, *LXX* κοιλάδας, *Chald.* פחתן i. e. *depressiones*, *Syr.* e contra קלפא i. e. *crusta ;* vocis etymologia obscurior est — « *pallore sive rubore deformes* », — *Hebr. : subvirides sive subrufas* — « *et humiliores superficie* [*reliqua*] », v. 38 « *egredietur ostium domus, et* [*statim*] *claudet illam septem diebus* ». v. 39 « *Reversusque die septimo considerabit eam : si invenerit crevisse lepram* », seu potius *plagam, in pariete domus*, » v. 40 « *iubebit erui lapides, in quibus lepra* « seu *plaga* » *est, et proiici eos extra civitatem in locum immundum* » ; v. 41 « *domum autem ipsam radi intrinsecus* » (cf. Ex. 25,11) « *per circuitum, et spargi pulverem rasurae extra urbem in locum immundum* », v. 42 « *lapidesque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum* ». Cf. *Sam.* — Si vero post haec reperiatur crevisse lepra, destruatur domus. v. 43 « *Sin autem, postquam eruti sunt lapides et* [*pulvis*] *erasus, et* [*alia terra*] *lita* », v. 44 « *ingressus sacerdos viderit reversam* », seu potius *crevisse*, « *lepram* », plagam « [*et parietes respersos maculis*], *lepra est perseverans* » (cf. 13. 51), « *et immunda domus* ». v. 45 « *Quam* [*statim*] *destruent, et lapides eius ac ligna atque universum pulverem* » a muris abrasum (v. 41), aut etiam diruta domo residuum, « *proiicient extra oppidum in locum immundum* ».

b. De domo ob leprae suspicionem clausa Lev. 14,46 sq.

Reditur ad v. 38 et 42 agiturque de domo, quam sacerdos nondum immundam declarasset, sed ulterioris experimenti gratia observaverat : quo certius eam homines vitarent, immunditia legalis statuitur

in eos, qui ingrediantur. v. 46 « *Qui intraverit domum* » *omnibus diebus*, « *quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum* »; v. 47 « *et qui dormierit in ea, et comederit quidpiam, lavabit vestimenta sua* ».

c. De domo a suspicione leprae liberanda Lev. 14,48-53.

v. 48 redit ad v. 39. 44 : « *Quodsi introiens sacerdos viderit lepram* » seu plagam « *non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam* » seu mundam declarabit, « *reddita sanitate* ». *Hebr. : quia sanata est plaga.* Ritus vero, quo domus hominum rursus ingressui permittitur, idem est, quo leprosus mundatus v. 4-7 castra rursum intrare permittitur (*Bonfr.*). v. 49 « *Et in purificationem eius* » seu expiationem « *sumet duos passeres* », duas aves, « *lignumque cedrinum et vermiculum atque hyssopum* » ; v. 50 « *et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas* », v. 51 « *tollet lignum cedrinum et hyssopum et coccum et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati atque in aquis viventibus, et asperget domum septies* », 52 « *purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus et in passere vivo, lignoque cedrino e hyssopo atque vermiculo* ». v. 53 « *Cumque dimiserit passerem avolare in agrum* [*libere*], *orabit pro domo, et* [*iure*] *mundabitur* ».

4. *Totius legis de lepra subscriptio* Lev. 14,54-57.

v. 54 « *Ista est lex omnis leprae* », secundum diversas modificationes 13,2-28 descriptas, « *et percussurae* », sed נתק 13,29 sqq. diximus designare lepram capitis et barbae, v. 55 « *leprae vestium et domorum* », v. 56 « *cicatricis* », quam vocem 13,2 maculam vertebamus, « *et erumpentium papularum* » seu scabiei (ib.), « *lucentis maculae* » (ib.) « [*et in varias species coloribus immutatis*] ». Post eas, quae cap. 13 sq. leprae nomine veniebant eruptiones, v. 56 recenset eas, quae quod specie sint leprae affines, huic legi etiam subsunt, quatenus sc. sacerdoti quandoque sint exhibendae, ut declaret leprane sint an secus. Tandem totius legis usum ac finem effert v. 57 : « *ut possit sciri, quo tempore mundum quid vel immundum sit* ». Cf. 10,10; 11,47; 13,59.

IV. LEX DE IMPURITATE SEXUALI Lev. 15.

Haec thora (v. 32) est de impuritatibus contractis ex actibus cum re venerea connexis. Et quidem v. 2-15 agit de fluxu seminis virilis

nimio vel impedito, v. 16-18 de seminis effusione ordinanda, v. 19-24 de menstruatione mulieris, v. 25-30 de fluxu sanguinis in muliere extra tempus menstruationis; v. 31-33 thoram concludit. Uti cap. 13 paragraphorum initia certis formulis distinguuntur : v. 2 איש איש כי, v. 16 ואיש כי, v. 19. 25 ואשה כי, dum secus sermo formulis וכל, ואם, וכי vel etiam v. 5. 18 ואיש אשר producitur.

1. *De fluxu seminis virilis nimio vel impedito* Lev. 15,1-15.

Arg. — Statuitur, in quo haec infirmitas consistat, et qui ea laborat, immundus declaratur. Dein recensentur, quae hinc sequuntur, immunditiae : immunditia strati et sedilis, corporis et eorum quae de corpore procedunt, vehiculi in itinere et contactus in salutando, vasorum. Tandem ritus removendae eius, qui infirmus fuerat, immunditiae describitur. Ergo eodem fere, atque lex de lepra humana (13,1-46; 14,2-20), ordine haec lex materiam pertractat : sed pars media in maiorem excrescit molem, quod seminiflui in medio suorum, leprosi contra soli habitent.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 2 « *Loquimini filiis Israel et dicite eis : Vir* » *omnis*, « *qui patitur fluxum* [*seminis*], *immundus erit* ». Porro, in quo ille fluxus seminis consistat, explicat v. 3 : « *Et tunc* [*indicabitur*] *huic vitio subiacere, cum* [*per singula momenta*] *adhaeserit carni eius, atque concreverit foedus humor* ».

LXX תורה pro תהיה : *Haec est lex impuritatis eius.* Sententia aptum sensum habet, sed inserenda potius fuerat v. 2 initio sermonis. בזובו omnes merito trahunt ad priora; *LXX* suppresso ב ad sequentia. Verte igitur : *Et haec erit immunditia eius in fluxu;* quibus extremo versu respondent voces *immunditia haec est;* et, quae interiacent, immunditiae naturam explicant. *Hebr. Sam. Chald. : effluere facit* (instar pituitae, nam eum sensum radix habet) *caro eius fluxum eius, sive claudere fecit caro eius a fluxu eius.* Quod recte interpretatur *Syr. : sive* effluere fecit etc., *sive* claudere fecit etc., immunditia haec est. *Caro* hic designat membrum genitale virile (cf. Ez. 16,26; 23,20). החתים *sigillare fecit. Aq.* ἐσφραγίσθη, *Theod.* ἐσφράγικεν; *LXX* συνέστηκε, *Symm.* περιπηγνύται. *Chald. Syr.* verti potest *obstructa est.* Sensum collige e praecedentium oppositione : sc. sermo est de fluxu in viris sive immodico sive cessante, de morbis sive per excessum sive per defectum. Non traduntur duo unius morbi symptomata, sed duae morborum classes. Sicut cap. 11 animalium et cap. 13 leprae species describuntur non secundum scientificam rationem, ita neque h. l. variae affectiones fluxum virilem afficientes. Crediderim textu utique includi spermatorrhoeam, qua semen constanter guttatim effluit, deficiente illius retinendi facultate; blenorrhoeam seu gonorrhoeam urethrae, quae saniem admixtam habet; impotentiam. Gonorrhoeam malignam seu syphilim non videntur novisse Hebraei, cum ea nonnisi saeculo decimo quinto ex America invecta esse affirmetur : si novissent, hoc textu merito attingi statuissent.

« Derivatio huius immunditiae ad alia et alios decernitur » (*Cai.*). Et primum quidem v. 4-8 agitur de eiusmodi aegroto domi degente. v. 4 « *Omne stratum, in quo dormierit* », *qui fluxum patitur*, « *immundum erit, et ubicunque sederit* », seu accuratius : *et omnis supellex, in qua sederit, immunda erit.* v. 5 « *Si quis hominum tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 6 « *Si sederit* » *in supellectili*, « *ubi ille sederat* », *qui fluxum patitur*, « [*et ipse*] *lavabit vestimenta sua, et lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 7 « *Qui tetigerit carnem eius* », non pudenda (*Cai.*), sed nudum corpus (*Calm.*), « *lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 8 « *Si salivam huiuscemodi homo* », *qui fluxum patitur*, « *iecerit super eum, qui mundus est, lavabit* » hic « *vestimenta sua, et lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». — v. 9-11 refertur ad eundem aegrotum curru itinerantem, nam מרכב non est *sagma* seu ephippium (*LXX Vulg.*), sed *currus* (3 Reg. 4,26 [5,6]; cf. etiam מרכבה) : v. 9 « *Sagma, super quo sederit* », *qui fluxum patitur*, « *immundum erit* »; v. 10 « *et quidquid sub eo fuerit*, [*qui fluxum seminis patitur*], *pollutum erit usque ad vesperum* ». Sed cum *LXX* verte : *et omnis, qui tetigerit quidquam eorum, quae sub ipso fuerint*, ei sc. in curru substrata, *immundus erit.* « *Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 11 « *Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis* [*ante*] *manibus, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 7 agebatur de eo, qui seminifluum attigisset; v. 11 agitur de eo, quem seminifluus attingat et quidem, uti contextus suadet, seminifluus ille, qui curru advehitur, fere ut hospes. Ille honorifice excipiebatur, manu extensa, dum e curru descendebat, iuvabatur et, si aliquanto ante manus lavasset, non contaminabat amicum. Tali exceptioni non erat locus in leproso, quippe qui nunquam ut hospes exciperetur; prudenter autem concedebatur quoad seminifluum, ne et ipse amicorum consortio excluderetur, et hi metu incurrendae fortasse immunditiae anxiarentur. — v. 12 respicit seminifluum tam domi degentem, quam hospitio excipiendum (cf. 6,28 [21]; 11,33. 35) : « *Vas fictile, quod tetigerit, confringetur, vas autem ligneum lavabitur aqua* ». Sed neque hoc incommodum patiebantur, quos seminifluus invisebat, dummodo is manus lavasset. — Tandem purificationis ritus describitur. v. 13 « *Si sanatus fuerit, qui huiuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui* », — לטהרתו accuratius *LXX* reddit praepositione εἰς : quoad emundationem sui, sc. legalem — « *et lotis vestibus et toto corpore in aquis viventibus* » (cf. 14,5), « *erit*

mundus » legaliter, « ut sc. aliorum convictu utatur, non ut in templum ingrederetur, nisi prius alteram die octavo purificationem adhibuisset » (*Bonfr.*). v. 14 « *Die autem octavo sumet duos turtures aut duos pullos columbae, et veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii* », ergo intra atrium, « *dabitque eos sacerdoti* ». v. 15 « *Qui faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino,* [*ut emundetur*] » completa emundatione legali « *a fluxu* [*seminis*] *sui* », utque Deus ratam habeat illam emundationem. « Quia minor erat haec immunditia quam leprae, minores hostiae praescribuntur, nec ullum quadrupes animal exigitur etiam a divitibus » (*Sylv.*).

2. *De seminis effusione non morbida* Lev. 15,16-18.

Arg. — Vir legaliter se polluit qualibet seminis effusione non morbida; mulier se non polluit, sed concubitu viri polluitur.

שכבת זרע non est *semen coitus* (*Vulg.*) sed potius *coitus seminis* (*LXX*). שכב primitus significat effundere, hinc cubare, quia cubans in cubile veluti effunditur : hinc שכבה primum sonat *effusio*, v. g. roris Ex. 16,13 sq. Versio autem illa minus accurata plures inde ab *Hesych.* interpretes, quominus sensum v. 16 sq. accurate perspicerent, impedivit : putavere sc. agi iam ibi de concubitu viri cum muliere, cum verba tantum exprimant seminis virilis emissionem, et verborum v. 18 plurales virum et mulierem respicientes suggerant v. 16 sq., ubi numerus est singularis, agi de solo viro. Agitur ergo v. 16 sq. de pollutione (*Cai.*) sive voluntaria sive involuntaria, imprimis etiam somno effecta (Deut. 23,10 sq. [11 sq.]) : v. 18 autem de coitu viri cum muliere sive licito sive fornicario vel adulterino.

v. 16 « *Vir, de quo egreditur semen coitus* », seu verius *effusio seminis,* « *lavabit aqua omne corpus suum, et immundus erit usque ad vesperum* ». v. 17 *Et omnem* « *vestem et pellem, quam habuerit* », — *Hebr. : in qua fuerit effusio seminis*, quam semen attigerit et maculaverit — « *lavabit aqua et immunda erit usque ad vesperum* ». v. 18 « *Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua et immunda erit usque ad vesperum* ». Sed explicitior *Hebr. : mulier, quacum concubuit vir effusione seminis, lavabuntur aqua et immundi erunt etc.* Cf. 1 Reg. 21,5 sq. ; 2 Reg. 11,4. Notat *Sylv.*, hanc legem sanxisse Deum, « ut etiam in coniugibus cohiberet nimiam frequentiam congressus ex taedio et molestia lotionis propter eam faciendae ».

3. *De menstruatione* Lev. 15,19-24.

v. 19 « *Mulier, quae* [*redeunte mense*] *patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur* », pro quo *Hebr. : erit in impuritate sua,*

ideoque utique separabitur. Fluxus consuevit quatriduo durare, lex tempus nonnihil protrahit (cf. 12,4), quo certius contaminatio praecaveatur. *Hebr. : Mulier, quae patitur fluxum, cuius in carne* (cf. v. 3) *sanguineus est fluxus, etc.* Et reapse vox *sanguinis* melius a priore inciso (*Masor.*) separatur, cum secus incisum alterum (*LXX Syr.*), quod *Vulg.* quidem omittit, abundet. v. 20 « *Omnis, qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum* »; v. 21 « *et in quo dormierit vel sederit* [*diebus*] *separationis suae, polluetur* »; v. 22 *et omnis,* « *qui tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». v. 23 « *Omne vas* », i. e. omnis supellex, « *super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua pollutus erit usque ad vesperum* ». Reliqui textus h. l. versum habent, qui tractat de re, quae illum lectum vel supellectilem contigerit : *Si autem super lectum fuerit res aut super supellectilem, super quam ipsa* (mulier *sedit, qui attigerit eam rem, immundus erit septem diebus,* non tamen tenebitur se ipsum et vestes lavare. Nam eiusmodi contaminationes non erant indefinite producendae. v. 24 « *Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus, et omne stratum, in quo dormierit, polluetur* ». Sed *Hebr. : Si cubuerit cum ea vir, erit impuritas eius* (mulieris) *super eum,* in eum transibit, *et immundus erit etc.* Licet *cubare cum muliere* quandoque euphemistice ipsam copulam perfectam exprimat, tamen per se et h. l. secundum contextum expressio latius patet includitque concubitum, qui copulam omnino non habeat aut solum attentet. Praeterea 20,18 habetur casus attentantis coniugium cum muliere fluxu debilitata, h. l. casus imprimis, licet non unice, mariti. Hic solam incurrit impuritatem, ille longe severius plectitur.

Similes leges, et saepe severiores, apud plures populos offendimus, v. g. Indos (Manu 4,10 sq.), Persas (Vendidad 5,165 sq.; 7,45 sq.). Idem fere sensisse veteres Arabes colligas e facto Mahummetis (Koran. Sur. 2. 222) suos a menstruatis separantis. Conieceris legem in stirpe electa fuisse perantiquam. Veterum deinde plures de noxiis sanguinis menstrualis effectibus superstitiose sentiebant. Cf. *Plin.* Hist. Nat. 7. 13. Verum cum menstruatarum segregatio et sanitati consulat et decentiae, nulla omnino est ratio adstruendi, hanc nostram legem ex istiusmodi superstitionibus fluxisse. Neque primaria nostrae legis ratio erat sanitas, sed *munditia* : sanguinem vero menstruum esse immundum quid, similiter atque seminis effusionem, lepram domorum etc., quis non videt?

4. *De fluxu sanguinis praeter menstruationem* Lev. 15,25-30.

Infirmitatis hoc est in muliere, similiter atque seminis fluxus in viro. v. 25 « *Mulier, quae patitur multis diebus fluxum sanguinis non*

in tempore menstruali, vel quae post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subiacet huic passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo », quoad omnia, quae v. 18-24 tradebantur; quae vero v. 21 sq. habebantur, explicite v. 26 sq. repetuntur. v. 26 « *Omne stratum, in quo dormierit, et vas, in quo sederit, pollutum erit* ». Distinctius aequalem cum v. 21 rationem *Hebr.* inculcat. v. 27 « *Quicunque tetigerit ea* », *immundus erit et* « *lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum* ». Ubi ille fluxus substiterit, purificatur mulier ritu fere eodem, atque vir v. 13 sq. : v. 28 « *Si steterit sanguis et fluere cessaverit* », et hinc si de facto *mundata est a fluxu suo,* « *numerabit septem dies purificationis suae* »; sed *Hebr. : et postea mundabitur* legaliter, adhibitis etiam, uti crediderim, ablutionibus v. 13 descriptis; v. 29 « *et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonii* »; v. 30 « *qui unum faciet pro peccato et alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino,* [*et*] *pro fluxu immunditiae eius* ».

5. *Legis subscriptio* Lev. 15,31-33.

Praemittitur v. 31 generalis adhortatio ad leges cap. 15 traditas servandas. Iis sc. neglectis polluetur tabernaculum Domini in medio Israelis erectum, dum ingredientur ii, quos Dominus pollutos habebit, et victimae ab eo praescriptae non offerentur. Talem vero pollutionem poena consequatur necesse est, populi sc. strages seu mors. v. 31 « *Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam* ». — *Hebr. : facietis, ut se contineant ab immunditiis suis,* quibus antehac indulsisse videntur — « *et non moriantur in sordibus suis* », *propter* eas (*LXX*), « *cum polluerint tabernaculum meum,* [*quod est*] *inter eos* ». Cf. 11,44. — Sequitur ipsa totius capitis subscriptio. v. 32 « *Ista est lex eius, qui patitur fluxum* [*seminis*] » (v. 2-15), « *et qui polluitur coitu* », seu verius *effusione seminis* (v. 16-18), v. 33 « *et quae menstruis temporibus separatur* » (v. 19-24), « *vel quae iugi fluit sanguine* » (v. 25-30), « *et hominis, qui dormierit cum ea* » (v. 24 sq.). Secundum Vulg. subscriptio omnino adhaeret ipsius capitis divisioni, excepto quod ultimum incisum v. 24 sq. respicit. Sed reliqui : *et fluxum patientis* (masc.) *tam maris quam feminae,* quod non solum v. 25-30, sed rursum etiam v. 2-15 respicere videtur; *et quoad virum, qui concumbit mulieri immundae.* Aut inscriptio primitus erat nonnihil verbosa minusque praecisa, aut postmodum aliqua corruptio obtinuit.

B. Solemnitas expiationis Lev. 16.

Verba v. 1 nostrum caput connectunt non cum immediate praecedente cap. 11-15 Thora Munditiei, sed cum historica cap. 10 narratione (*Malv., Calm.*), in quam illa thora fuit inserta. Neque ea, quae v. 16. 19. 30 habetur impuritatum mentio, per se demonstrat primitus iam illam thoram narrationem cap. 16 praecessisse. Tamen connexio cum narratione cap. 10 nonnihil magis explicite 16,1 affirmatur, quam id factum esset, si cap. 10 et 16 invicem immediate exciperent. v. 2-28 soli *Aaron* a Moyse sunt renuntianda, quia factum cap. 10 solos proxime Aaronitas attigerat. Verum inde a v. 29 oratio ad omnes Israelitas convertitur (cf. v. 29 vocem « indigena »). Fieri potuit, ut una oratione v. 2-28 Deus per Moysen expiationem post Nadab et Abiu interitum prima vice peragendam indixerit, dein altero v. 29-34 alloquio quotannis celebrandam decreverit; quas duas orationes continuo sermone auctor noster retulerit. Praenuntiata haec solemnitas fuerat Ex. 30,10; eius habetur mentio Lev. 23,26-32; 25,9; Num 29,7.

Apud modernos rationalistas invaluit opinio, festum expiationis nonnisi longo post Moysen tempore et post exsilium babylonicum observari coepisse. Argumenta sunt mere negativa et bene a *Dillm.* refutantur. Si exinde, quod posteriores libri sacri eius festi non meminerint, sequatur illud antiquitus non exstitisse, eodem argumento inferes illud nonnisi primo p. C. saeculo celebrari coepisse, cuius aevi auctores primi eius festi meminerunt (Act. 27,9; Hebr. 9,13; Ios. Ant. III. 10. 3 etc.). Rex Salomo 3 Reg. 8,2. 65; 2 Par. 5,3 expiationem sanctuarii non peregit, quia praecise tum *novum* sanctuarium consecrabat. Verum, pro hac consecratione eum illum praecise diem selegisse, qui secus expiationi esset sacer, fere innuit expiationis solemnitatem tum observari consuevisse. 1 Esdr. 3,1-6 expiatio non est habita, primo quod vix eo tempore exstiterit « sanctuarium » (Lev. 16,33); potissimum vero quod initio tum mensis septimi coeperint Iudaei praelegere legem, quae ex eorum mentibus penitus exciderat, et invenientes in ea de festo tabernaculorum illud celebrarunt (2 Esdr. 8,1-12), de solemnitate vero expiationis non satis mature legerunt, ut festi die decima mensis celebrandi copia haberetur. Tandem Samaritani eam solemnitatem et in suo textu legunt et hodiedum observant.

Cap. XVI v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes* [*ignem alienum*] *interfecti sunt* », — *Hebr. : quando appropinquaverunt coram Iahve et etc.* « Necesse erat, ut coelesti doctrina instrueretur Aaron, quomodo oporteret eum ad altare accedere, et quo supplicationum ritu propitium faceret Deum, uti ne in ea ipse incurreret, in quae incurrerant filii sui, incaute et inconvenienter accedentes ad altare Dei » (*Or.*) — v. 2 « *et praecepit ei dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne*

omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum » ברכת (Ex. 26,31 sqq.), ergo velum interius, sanctum sanctorum separans a sancto, « *coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur* », sicut filii sui (*Cai.*), « *quia in nube apparebo super oraculum* ». Potissima ratio est Dei praesentis reverentia, qui non est pro hominis lubitu adeundus; altera ratio est Dei timor, qui cum speciali modo praesens adsit, irreligiosis peccatum non impunitum dimittet (*Bonfr.*).

« *Nubes* », inquit *Ians.*, « non videtur esse fumus solus thymiamatis, sed vera nubes, quae oraculum implebat et propter obscuritatem sancti sanctorum, maxime accedente fumo thymiamatis, distincte videri non poterat ». Putat, eam nubem (cf. Ex. 13,21; 19,9. 16; 24,15 sq.; 33,9 sq.; 34,5; 40,32 sqq.) in sancto sanctorum perseverasse, similiter atque Deus in ecclesia manet per signum visibile Eucharistiae. At eiusmodi permanentis miraculi adstruendi non est sufficiens ratio. Unde cum *Syr.* plerique nubem interpretantur eandem atque v. 13, e combustione thymiamatis subortam. Neque cum *Bonfr.* asserendum est, in hac nube apparere consuevisse formam aliquam humanam indistinctam, divinae praesentiae indicem, cum etiam eiusmodi permanentis portenti asserendi sufficiens ratio non perspiciatur. Illum combusti thymiamatis vaporem voluit Deus esse suae specialis praesentiae indicem, ita ut, quoties is adolente pontifice ascenderet, toties Deus specialem largiretur praesentiam, preces benignius exaudiens etc. Ita suam manifestabat praesentiam et *apparebat*.

1. *De ritu expiationis* Lev. 16,3-28.

Arg. — Pontifex vestes simplicis sacerdotis indutus duas victimas pro peccato offert, hircum pro Azazel in desertum dimittit. Qui ritus v. 6-10 compendio, v. 11-22 fusius describitur. Postea pontifex lotus suasque vestes indutus holocaustum offert v. 23-25. Specialia quaedam in his sacrificiis observanda v. 26-28 traduntur.

v. 3 *Hebr.* absolute incipit : *In his ingrediatur Aaron in sanctuarium*, ubi בזאת opponitur praecedenti בכל עת. Ergo : non omni tempore ingredietur, sed tum solum quando habuerit etc. In lege v. 29. 34 accuratius etiam tempus limitatur — v. 3 « *nisi haec ante fecerit : vitulum pro peccato* » suo (v. 6) « *offeret, et arietem in holocaustum* ». Induebatur vero ea occasione pontifex primum (cf. v. 23 sq.) non pontificales vestes pretiosas (*Cai.*), sed cultu minorum sacerdotum incedebat (*Men.*), « quod esset moeroris dies et afflictionis, quod ad expiationis officium attinebat » (*Sa*). v. 4 « *Tunica linea* » — *Hebr.* habet קדש, memor fortasse distinctionis inter בגדי הקדש et בגדי השרד (Ex. 31,10; 35,19; 39,1. 41), quam perobscuram esse monebamus — « *vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet* [*capiti*]. *Haec enim vestimenta sunt sancta*,

quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur ». v. 5 « *Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum* ». v. 6 « *Cumque obtulerit vitulum pro peccato, quod est in ipso* (v. 3), « *et oraverit pro se et pro domo sua* », v. 7 « *duos hircos stare faciet coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii* », v. 8 « *mittensque super utrumque sortem* », de qua videas, quae ad 1 Reg. 10,20 sqq. dicebamus, « *unam Domino et alteram capro emissario* », v. 9 « *cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato* », v. 10 « *cuius autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem* ».

Solemnis hic de *Azazel* disputatio. Primum textus lustremus. v. 8, sicut hircus unus tribuitur לַיהוָה, ita alter tribuitur לַעֲזָאזֵל. Alter hic v. 10 dimittitur לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה *ad Azazelem in desertum*; v. 21 *in desertum*; v. 22 אֶל אֶרֶץ גְּזֵרָה, *in terram determinatam* (cf. Iob 22,28 vocisque in lingua chald. significationem) *in desertum*. Iam tres potissimum vocis עֲזָאזֵל in medium proferuntur expositiones.

Prima expositio est *personalis* : v. 8 לַיהוָה refertur ad personam, ergo item לַעֲזָאזֵל. Argumentum, si solus v. 8 spectetur, rem suadet, non tamen evincit. Attende quorumdam *Rabbinorum* apud Drus. non improbabilem opinionem, fuisse duas illas expressiones duabus tesseris, per quas sors definiretur, inscriptas. Ita duae illae similis constructionis expressiones referentur proxime ad duas *inscriptiones* omnino similes inter se, et nonnisi remotius ad duas res, quarum una esset, altera non esset persona. Praeterea constructio manet omnino plana, etsi לַעֲזָאזֵל supponatur non ad personam referri. Finge regem rempublicam aliquam bello opprimere conantem. Ruunt in proelium milites, hi « Pro rege », illi « Pro libertate » conclamantes. An non est plana sententia? an sequitur, libertatem esse personam? — Si ex illis interpretibus quaeras, quam ipsi personam intelligant, *cacodaemonem* inquiunt alicubi in deserto sedes habere creditum. At hypothesis haec nullam habet archaeologicam probabilitatem. Nullibi in Pentateucho vel etiam in toto V. T. cacodaemon nomine Azazel commemoratur; neque apud populos Hebraeorum affines talis superstitionis ullum reperitur vestigium. Non sufficit generalis assertio, Arabes, imo Hebraeos (Is. 13,21; 34,14; Baruch 4,35; Tob. 8,3; Matth. 12,43; Luc. 11,24; Apoc. 18,2) deserta daemonibus pro sedibus attribuisse. Apud ipsos *Rabbinos* ita sera et rara habetur daemonis Azazel mentio, ut non ex antiqua traditione derivata, sed e nostro textu conficta merito censeatur. Idem dicendum de superstitione quorumdam *Gnosticorum* (Iren. c. haer. I. 15; *M.* 7. 628. 1474 et Epiphan. Haer. 34,11; *M.* 41. 605) et *Iuliani* (Cyrill. Alex. c. Iulian. IX; *M.* 76. 960 sqq.). Uno autem ore antiqui scriptores sacri contra hoc figmentum insurgunt : *Theodoret., Cyrill., Hesych., Proc.* Utergue hoedus sistitur coram Deo : « quod vero consecratur Deo, id nulli alii est addicendum » (*Proc.*). Super utrumque preces funduntur. Ipse Deus et Moyses magistri fierent superstitionis. Quam obiectionem ut infirment, recentiores aliqui supponunt, agi de superstitione aliqua antiquissima, praemosaica, cuius Moysis aequales significationem iam ignoraverint. Suppositio est gratuita, eiusmodi obsoleta superstitio ceteris facilius abolescebatur, facile certe explicatione aliqua divinitus addita corrigebatur.

Altera expositio est *etymologica*, עֲזָאזֵל derivans ab עֵז *capra* seu *hircus*, et אֵל

ire, ergo *hircus abiens*. « Quod omnes urgere solent, עז capram significare, non hircum, non ita certum est » (*Ges.* in Thes.). Huic derivationi accensendae sunt *Vulg. caper emissarius*, *LXX* ἀποπομπαῖος, *Symm.* τράγος ἀπεργόμενος vel ἀφιέμενος. Sed expositioni mere etymologicae obstat v. 10 : quomodo enim caper mittatur ad caprum emissarium? Unde expressionem omisit *Vulg.*, *LXX* vertunt εἰς τὴν ἀποπομπήν (!).

Hinc *Rabbini* expositioni etymologicae copulavere *localem*, ut עזאזל, nomen a *capro eunte* seu *emisso* petitum, evaserit nomen montis alicuius non longe a monte Sinai dissiti, quo caper emitteretur (cf. Critici Sacri). Adverte v. 22 caprum emitti *in terram determinatam*, et quidem *in desertum*; ubi loco *in terram determinatam* exspectes utique expresssionem לעזאזל. Dicas ergo עזאזל reapse nomen fuisse, incertae utique derivationis, montis vel tractus a monte Sinai parum dissiti, quo caper ille, quamdiu Hebraei ib. versarentur, dimitteretur; cumque לעזאזל inscriptum esset uni duarum tesserarum, quae singulis annis hac in re adhiberentur, etiam postquam Hebraei a monte Sinai discessissent, perseverasse expressiones *unam Azazeli* et *mittere Azazelum, in desertum*; tamen, quo expressionum sensus magis claresceret, v. 22 pro לעזאזל scriptum esse *in terram determinatam*. Ergo, ubicumque Hebraei expiationis die castra haberent, determinabatur locus, qui primi illius עזאזל partes susciperet, imo nomen gestaret, quoque caper ille emitteretur.

Poterit fortasse ea, quam supra referebamus, expositio *personalis* ita emendari, ut asseratur Azazel esse non daemonis cuiusdam, sed ipsius Dei antiquum aliquod brevique penitus obsoletum nomen. Cf. *Syr.* עזזאל, lectionem unius apud *Kennic.* codicis עזאזאל; item *Levy* ad nomen עזזיאל referentem veterem quamdam fabulam, comparantem nomen עזאזל nomini עזזיאל. Ergo nomen primitus fuerit עזזאל, « Deus fortis », nomen secundum quorumdam etymologiam idem cum nomine El Schaddai. Deo solo quidem nomine Iahve invocato sacrificium offerebatur (v. 11), at cur non ad eundem antiquo aliquo nomine appellatum dimitteretur caper? Fortasse hic quoque Moyses antiquum aliquem ritum novae religioni adaptabat. Ritus eo certe aevo ortus est, quo populus non *desertum* incolebat, sed fertilia arva *prope desertum aliquod*.

Hircus, qui immolabatur, utique erat typus Christi : Hebr. 9.11 sqq. Hircum emissarium typum agnoscere non cogeris. Et *Theodoret.* quidem in duobus hircis adumbratas credidit duas Christi naturas, *Proc.* in deserto coelum, *Rup.* in hirco emissario antichristum. Cf. *Cyrill. Alex.* ep. 41; *M.* 77. 204 sqq. — Apte *Theodoret.* cum hircum emissum comparat avi 14,7 in purificatione leprosi dimissae.

v. 6-10 totus sacrificii ritus breviario describebatur; iam v. 11-14 sacrificium vituli, v. 15-19 sacrificium hirci, v. 20 sqq. emissio capri emissarii fusius describuntur. *His rite celebratis* initio v. 11 infelicius *Vulg.* supplevit. Praeterea narrationis inversionem *Ians.* in eo cernit, quod primum v. 11 vitulus immolatus narretur eiusque sanguis in sancta sanctorum illatus, dein v. 15 hircus immolatus eiusque similiter illatus sanguis, cum tamen secundum Hebr. 9,7 « semel in anno » tantum pontifex sancta sanctorum sit ingressus. At apostoli expressio non est ita mechanice interpretanda : « semel in anno » ingreditur, qui unicae solemnitatis occasione ingreditur. An pontifex ante ingressum in sancta sanctorum thymiama iam imponebat prunis? an « semel » ingrediens et thuribulum et duo vasa sanguinem vituli et hirci

continentia manibus gestabat? Dedecebat pontificem iumenti instar onustum incedere.

v. 11 « [*His rite celebratis*], *offeret vitulum* », *qui est pro se*, « *et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum* »; v. 12 « *assumptoque thuribulo* » (cf. Ex. 25,38 et Calm. h. l.), « *quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu* », seu verius *manibus*, « *compositum thymiama* [*in*] *incensum* » (cf. Ex. 25,6), « *ultra velum intrabit* [*in sancta*] » sanctorum, — *altare, quod est ante Dominum*, existimabat *Bonfr.* solum intelligi posse altare thymiamatis. Melius reliqui intelligunt altare holocaustorum, in quo uno perpetuus asservabatur ignis; illud vere etiam erat *ante Dominum* (cf. v. 18), cum, quae in illo immolabantur, *coram Domino* 1,5 immolarentur (*Dillm.*) — v. 13 « *ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum* [*et vapor*] *operiat oraculum, quod est supra testimonium, et non moriatur* » « ob neglectas sacras ceremonias » (*Men.*). v. 14 « *Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem* ».

Quia v. 5 dicitur pontifex *agere cum sanguine hirci, sicut egerat cum sanguine vituli*, sequitur v. 14 על פני הכפרת קדמה expressius idem edicere, atque v. 15 על הכפרת : aspergebat sanguinem *super faciem propitiatorii orientem versus*, i. e. « contra faciem eius orientalem, quae occurrebat statim in ingressu et obversa erat pontifici tendenti recta versus occidentem. Pontifex enim eo situ corporis aspergebat versus propitiatorium, sicut Iudaei orabant, facie sc. conversa in occidentem. Tametsi aliqui perperam putent, pontificem ingressum in sancta sanctorum praetergressum fuisse arcam et, vertendo se versus orientem, aspersisse propitiatorium » (*Ians.*). לפני הכפרת v. 14 sq. edicit. pontificem non latus solum propitiatorii obversum, sed humum quoque ante propitiatorium aspersisse.

v. 15 « *Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut praeceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi* », *Hebr. super propitiatorium et ante propitiatorium*, v. 15 « *et expiet sanctuarium* », quod veluti pollutum habetur hominum peccatis (*Cai.*), « *ab immunditiis filiorum Israel* » legalibus (*Cai.*), contra leges de mundis et immundis contractis, « *et a praevaricationibus eorum* », gravioribus peccatis non mere legalibus, « *cunctisque peccatis* ». Sed loco ultimae copulae *Hebr.* habet ל (cf. v. 21; itemque 5,3; Ex. 28,38), ergo *peccata* duas priores naevorum classes resumit et complectitur. « *Iuxta hunc ritum* » item « *faciet tabernaculo testimonii* » reliquo, quod sancta vocatur, « *quod fixum est* » — השכן, *quod habitat*, ab eadem radice atque משכן Ex. 26,1 etc. — « *inter eos in medio sordium* [*habitationis*] *eorum* », « inter illos impuros et contaminatos » (*Vat.*). Vide, quomodo impurorum societas vel propinquitas contaminet coram Deo;

ceterum erant omnia illa peccata hominum, qui ad illud sanctuarium convenirent adoratum, ad illud pertinerent, quandoque etiam in illo legalis defectus rei invenirentur. v. 17 « *Nullus hominum* », « quibus alioqui permissus est in tabernaculum aditus, uti sacerdotes et levitae » (*Calm.*), « *sit in tabernaculo, quando* [*pontifex*] *sanctuarium ingreditur, ut roget pro se et pro domo sua et pro universo coetu Israel, donec egrediatur* ». « Praecepti ratio erat, tum ad reverentiam Dei, qui in sanctis sanctorum quasi residebat, excitandam; tum ne quis reducto per pontificem velo provocaretur ad inspiciendum ea, quae illic erant » (*Sylv.*). v. 18 « *Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per gyrum* », v. 19 « *aspergensque digito septies expiet et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel* ». v. 18 *exierit* refertur ad v. 15 *inferet :* sicut sanctuarii interioris expiatio constat imprimis sanguine asperso versus propitiatorium, ita reliqui tabernaculi expiatio potissimum constat eiusdem sanguinis aspersione *altari holocaustorum* facta.

v. 20 « *Postquam emundaverit sanctuarium et tabernaculum et altare, tunc offerat hircum viventem* », v. 21 « *et posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel et universa delicta* [*atque*] » (cf. v. 16) « *peccata eorum; quae imprecans* », *Hebr. imponens*, « *capiti eius emittet illum per hominem paratum in desertum* », « ubi devoretur a feris, et hoc modo peccatis debitas poenas in ipsum translatas luat » (*Men.*). Neque tamen solae poenae (*Bonfr.*) hirco imponuntur, sed ea ipsa, quae modo pontifex confessus fuerat, peccata. Ad quaestionem vero, quomodo hircus portare potuerit peccata, vere respondet *Sa*, portasse, quatenus fuerit figura Christi. Ἄπαξ λεγόμενον עתי derivant ab עת, *is qui tempore opportuno adest :* qui si adsit fortuito, vertes cum lectione *LXX* καιρίμου; si e condicto, cum *Vulg. LXX Chald. paratus.* Prius praeplacet : ad hoc officii non requirebatur minister sacer, sed qui primus obvius haberetur laicus. v. 22 « *Cumque portaverit hircus* » *super se* « *omnes iniquitates eorum in terram solitariam* », seu verius *determinatam*, ad hoc designatam (v. supra), « *et dimissus fuerit in deserto* », perperam hunc versum *Vulg.* dependentem fecit a sequenti : pontifex sane v. 23 non exspectabat, donec ille homo hircum dimisisset : v. 23 « *revertetur Aaron* » ab ostio atrii (*Bonfr.*), quo hircum laico traditurus processerat, « *in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus* » *lineis* (v. 4), « *quibus prius indutus erat, cum intraret sanctuarium, relictisque ibi* », v. 24 « *lavabit carnem suam in loco sancto* », sane potissimum ob attactum caprum emissarium, « *indueturque vestibus suis* »

pontificalibus sacris, quibus in sacrificiis perficiendis semper utebatur (*Bonfr.*).

Breviter subiicitur, quid agendum supersit pontifici, quid viro qui caprum emiserit, quid fiat de victimis pro peccato immolatis. « *Et postquam egressus* » de loco sacro, ubi lavabatur et vestiebatur, ad altare « *obtulerit holocaustum suum ac plebis* », duos sc. arietes v. 3. 5, « *rogabit tam pro se quam pro populo* », v. 25 « *et adipem, [qui oblatus est] pro peccatis, adolebit super altare* » et super holocaustum (cf. 9,14; 6,12 [5]; 3,5). v. 26 « *Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua et corpus aqua* », cum contactu eius capri contaminaverit se, « *et sic ingredietur in castra* ». v. 27 « *Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio [compleretur]* », excepto adipe v. 25, « *asportabunt foras castra, et comburent igni tam pelles, quam carnes eorum ac fimum* »; cf. 6,30 (23). v. 28 « *Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aqua, et sic ingredietur in castra* ». Quem ritum *Calm.* censet non improbabiliter in omnibus sacrificiis pro peccato esse observatum.

2. *De annua expiationis solemnitate* Lev. 16,29-34.

Arg. — Indicitur solemnitati dies fixus, ieiunium, requies sabbatica, conventus sacer. Solus pontifex expiationem peraget, vestes simplicium sacerdotum indutus.

Una est brevis haec pericope, quae formula « Erit vobis lex perpetua » et incipit v. 29 et v. 34 concluditur. v. 34 simul etiam inculcatur legis finis : cf. 11,47; 13,59; 14,57; 15,31. v. 29 « *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum* », lex usque duratura, quamdiu Hebraeorum perseveraverit religio : « *Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras* », qua expressione, *Cai.* ait, non satis patere, utrum sola afflictio interna, an etiam ieiunium aliave externa expiatio indicetur. At certum est, non mere internum afflictionis genus exprimi, et consentiunt interpretes exprimi *ieiunium*. Quod confirmatur facto, posterioribus temporibus reapse ieiunium expiationis die observari consuevisse (cf. Act. 27,9) : *Philo*, de vita Moysis II. § 4 (*M.* 138); *Ios.* Ant. III. 10; *Hier.*, ep. 8 ad Demetriaden de serv. virg. n. 10 (*M.* 22. 1116). « *Nullumque opus facietis, sive indigena* » (Ex. 12,19), « *sive advena, qui peregrinatur inter vos* ». Sapienter ab operibus servilibus interdicuntur advenae, ieiunio tamen illis minime imposito (*Dillm.*). Festi rationem rursum inculcat v. 30 : *quia* « *in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris* »,

Hebr. in emundationem omnium etc. : « *coram Domino mundabimini* ». Cum secus *coram Domino* ea dicantur fieri, quae prope sanctuarium fiant, sensus verborum h. l. videtur esse is, ut iubeantur Hebraei eo die ad sanctuarium convenire; eiusmodi mandatum nondum erat datum, certissime tamen a Deo intendebatur. Duas alias significationes suggerit *Tost.* : ut *coram Domino* idem h. l. sonet atque « ante propitiatorium », sed minus apte specialior hic sensus redderetur ea expressione, quae secus nihil edicat nisi « prope sanctuarium », « ante velum »; et ut *coram Domino* idem sit atque « vere », at non magis vere, atque ceteris ceremoniis, hoc expiationis ritu mundabantur Hebraei.

v. 31 « *Sabbatum* [*enim*] *requietionis est* » *vobis*, « *et affligetis animas vestras* » ieiunio « a vespera usque ad vesperam » (23,32) « *religione perpetua* ». v. 32 « *Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et cuius manus initiatae sunt, ut sacerdotio fungatur pro patre suo* », ergo pontifex (cf. 4,3. 16). Non alius quam pontifex expiationem peraget, et quidem ut iam v. 4 dicebatur, vestibus lineis humilioribus indutus : « *indueturque stola linea* », seu potius vestibus lineis, « *et vestibus sanctis* ». Copulam praeter *Vulg. Syr.* ignorant omnes. E v. 23 sq. colligitur, expiationem peregisse pontificem vestibus lineis indutum, necnisi pro sequente holocausto assumpsisse vestes pontificales seu sacras. Textus noster primitus de solis utique vestibus lineis agebat, illud *vestes sacras* fortasse mendose in textum irrepsit. v. 33 « *Et expiabit sanctuarium et tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque et universum populum* ». v. 34 « *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis* », seu verius *ad expiandum*, « *pro filiis Israel* [*et*] *pro peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur* » Aaron (*Bonfr.*), seu *factum est igitur*, « *sicut praeceperat Dominus Moysi* »; festum quotannis observari coeptum est.

C. Lex de mactationibus Lev. 17.

Loco « Haec est thora » *inscribitur* huic legi formula synonyma « Hic est sermo, quem mandavit Iahve ». Singulae paragraphi v. 3. 8. 10. 13 ordiuntur formula איש איש מבית ישראל אשר (cf. cap. 13; 15), cui tribus extremis textibus additur ומן הגר הגר בתוכם. Desinunt in imprecationem v. 9. 10. 14. 16 : « peribit de populo suo », vel similia. Lex solemniori orditur alloquio : « Loquere Aaron et filiis eius et cunctis filiis Israel », quod item 22,18 legitur, quando post leges aliquas ad solos Aaronitas directas oratio redit ad leges toti populo imponendas enarrandas. Cf. dicenda ad 21,24. Nulla autem earum

clausularum, quas 11,44 sq. notabamus et inde a cap. 18 frequenter offendemus, huic capiti adscribitur. Non est illud pars sequentis Thorae Sanctitatis.

Ipsa *lex principalis* est brevissima : agit ea v. 3-7 de mactationibus, clauditurque formula « legitimum sempiternum hoc erit illis in generationibus suis » (cf. 16,29. 34). Idem versus rationem pandit, cur eo praecise tempore in deserto nata sit haec lex : sc. Hebraeorum plures, Aegyptiorum sacris superstitiose addicti, eas mactationes, quas non ante tabernaculi ostium peragebant, faciebant in honorem שעירם, i. e. numinum hircorum formam indutorum. Porro huic legi v. 3-7, adhibita alloquii divini forma truncata (« Et ad ipsos dices »), adscribuntur *appendices tres*, veluti canones tres capitulo alicuius concilii oecumenici subiecti, quae v. 9. 10. 14 (cf. v. 4) in clausulam huius fere formae desinunt : « interibit de populo suo ». Eae non solos spectant Israelitas, sed alienigenas item intra eorum fines degentes, et sanciunt 1) v. 8 sq. intra eos fines holocaustum alii quam Iahve offerre nefas esse, 2) v. 10 sanguinem non esse comedendum, 3) v. 13 sq. sanguinem animalium mundorum, qui sacrificiis nequeant adhiberi, in terram esse effundendum. Versui 10 rursum v. 11 sq. adscribitur ratio non comedendi sanguinis, eademque v. 14 repetitur. Tandem toti documento v. 3-14 vel, si dicere mavis, duabus extremis appendicibus accedit *appendicula* v. 15 sq. describens purificationem hominis, qui carnem comedisset animalis non rite mactati.

Si quaeris, cur haec de mactationibus lex h. l. inseratur, aliam rationem equidem non invenio, nisi brevi post tempus 16,1 descriptum a Deo haec praecepta esse edita; et si quaeris, cur eo praecise tempore sint edita, suggeram eo praecise tempore fuisse necessaria, quod Israelitae liberius tum superstitione delinquerent in mactando et sanguinem comederent. Hoc alterum reapse videtur constanter fuisse reprehendendum : cf. 3,17; 7,26 sq.; 19,26; Deut. 12,16. 23; 15,23.

Quaeres praeterea, utrum novam hanc legem Moyses ediderit, an prius exsistentem nomine Iahve tantummodo promulgaverit. Vetitum comedendi sanguinis editum est tempore diluvii, sed videtur plurimum esse neglectum, ut necesse habuerit Moyses vetiti rationem v. 11 sq. 14 *bis* inculcare. Legem, ut omnes mactationes essent sacrae, fortasse ipse primus introduxit, quo superstitionem reprimeret (v. 7). Si lex ante ipsum exstabat, plurimum utique negligebatur. Eam h. l. Moyses potissimum intendebat, reliqua appendicum loco subiiciebat.

1. *De mactationibus faciendis ad ostium tabernaculi* Lev. 17,1-6.

Arg. — Boves, oves, caprae non alibi quam ante ostium tabernaculi, non alio ritu nisi hostiarum pacificarum mactentur. Quae lex ad advenas non extenditur.

17,1-7 cum *Aug.* plerique intelligunt de illis solis bobus, ovibus et capris, quae pro sacrificiis mactabantur; aiuntque illud prohiberi, ne eiusmodi sacrificia ubilibet locorum, a non sacerdotibus, daemonibus offerrentur. At cur non eadem lex ad sacrificia turturum vel columbarum extenditur? Appellant v. 5, ubi illa animalia immolanda praescribuntur ritu hostiarum pacificarum; haud credendum censent eo ritu immolata esse, quotquot animalia pro cibo mactarentur. Provocant ad Deut. 12,15 sq., ubi animalia pro cibo mactari permittuntur in urbibus, sanguine non altari illito, sed in terram effuso. Sed haec permissio illico v. 20 sq. restringitur ad tempus, quando Deus dilataverit terminos populi, et ad loca a sanctuario remota. Quare e Deut. illud potius efficitur, ante terrae sanctae ingressum reapse omnia illa animalia ad sanctuarium fuisse mactanda. Igitur *Theodoret.*, *Calm.* censent, 17,1-7 referri ad quaslibet boum, ovium, caprarum mactationes, eorum sc. animalium, quae pro hostiis item pacificis offerri poterant. Haec semper erant mactanda ritu sacro, adeps Deo adolenda (3,16), pectusculum et armus concedenda sacerdoti (7,31 sq.) : hinc que de omni mactatione dicitur v. 5 « immolent eas hostias pacificas Domino ». Recordare, hostias pacificas vix non totas a laicis comedi consuevisse, neque grave fuisse de singulis animalibus mactandis adipem tribuere Deo et pauca quaedam lautiora permittere sacerdotibus. Crediderim Hebraeorum ante Moysen eum fuisse morem, ut, quotquot mactarentur pecora, mactarentur ritu pacificorum (cf. Gen. 31,54; Ex. 18,12); at irrepsisse abusum ut quilibet, etiam non sacerdotes, mactarent ubilibet, imo daemonibus. Hos abusus h. l. Deus per Moysen praescindit, moremque ad antiquam revocat puritatem. Qui facile retineri poterat, quamdiu Hebraei in deserto circa tabernaculum collecti perseverarent : at terram sanctam ingressis concedenda necessario erat indulgentia aliqua, quam Deut. 12 promulgat. Cf. 1 Reg. 14,32 sqq.

Illud tamen cum Deut. pugnare aliqui censent, quod Lev. 17,7 lex omnis mactationis ritu sacro peragendae dicatur fore « legitimum sempiternum illis et posteris eorum ». Haec verba adscribuntur appendiculae v. 7 ambigique potest, an ad legem v. 3-6 referantur. Quo etiam concesso, ius est legislatori mutandae non legis solum, sed etiam durationis legi primum praestitutae. Tandem non ipsa prior lex revocatur, sed eius aliqua indulgentia seu dispensatio conceditur : dispensatio vero, sive particularis sive generalis, maxime si pro definito tempore certisque circumstantiis concedatur, minime tollit ipsam legem. Quod Deut. 12,15. 20 esus carnium profanus *concedatur*, prodit exstitisse tum legem aliquam illum prohibentem, sc. Lev. 17; pro iis, qui prope sanctuarium incoluerint v. 21, nulla dispensatio conceditur. Simul Deut. omnino supponit et tuetur, unicum dari sanctuarium et altare. Cf. *Hoonacker* p. 42 sqq.

Cap. XVII v. 1 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere Aaron et filiis eius et cunctis filiis Israel* » — sufficit autem supponere, Moysen immediate allocutum esse quosdam, puta seniores, et mediantibus his reliquos — « *dicens ad eos : Iste est sermo, quem*

mandavit Dominus dicens » (cf. Ex. 16,16. 32; 35,1. 4; Lev. 8,5; 9,6) : v. 3 « *Homo quilibet de domo Israel* », — et *LXX* addunt uti v. 8 : *sive advenae qui se iunxerunt vobis* — « *si occiderit bovem aut ovem sive capram, in castris vel extra castra* », — casuisticam sapit hic textus, uti alii quidam : videntur aliqui prius legem de solis mactationibus *intra* castra esse interpretati, ut hae solae ad ostium tabernaculi essent faciendae, dum alii censebant solas *extra* castra mactationes prohiberi, eas vero, quae in castris fierent, non esse necessario ad ostium tabernaculi faciendas — v. 4 « *et non obtulerit ad ostium tabernaculi, oblationem Domino* », — hic inserunt *Sam. LXX : ad offerendum eum holocaustum aut hostiam pacificam Domino in acceptationem eorum in odorem suavitatis ; et si occiderit eum extra* [*castra*], *et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit, ut offerat oblationem Domino — in conspectu habitaculi Domini* (*Hebr.*) : « *sanguinis reus erit ;* [*quasi si*] *sanguinem fuderit,* [*sic*] *peribit de medio populi sui* », morietur morte civili, omnibus benedictionibus stirpis electae privabitur : cf. quae dicebamus ad Gen. 17,14. Additum *Sam. LXX* spurium est; non agi de *holocaustis*, patet e v. 5 sq. ; sed additum hic et v. 3 ostendit, quomodo vel antiquitus textus sacer aliquas passus sit mutationes. *Hebr.* absolute : *sanguinem fudit.* Sanguis, quod vitae intime necteretur, specialius Dei erat : sanguis omnis, quem comedere nefas erat; sanguis humanus, cuius effusor interimebatur; sanguis eorum pecorum, quorum nonnisi hostiarum pacificarum ritu sanguis fundi permittebatur. Quorum qui sanguinem profanasset, sacrilegii reus eandem atque homicida poenam ferebat. v. 5 « *Ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas* », — et nota זבח significare hostiam tam profanam quam sacram, tam mactationem quam victimam — « *quas occident in agro* », *super faciem agri,* ubique indiscriminatim — sed perperam participium futuro vertunt *LXX Vulg.*, quasi in posterum etiam licitum fuerit Hebraeis ubilibet circa montem Sinai pecora mactare : verte cum *Cai.* tempore praesenti *quas immolant,* et explica cum *Syr.* « sicut facere consueverunt » — « *ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino* ». v. 6 « *Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino* ». v. 7 « *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus, cum quibus fornicati sunt* », quibus cultum divinum praestiterunt. *LXX Chald. Syr.* etiam *daemones* vertunt; *Aq.* τοῖς τριχῶσιν, *pilosis* quae est primitiva vocis שעיר significatio. Sed cum vox potissimum *hircum* significet, hircum Aegyptii coluerint, Hebraei aegyptiis superstitionibus fuerint valde addicti, ideo commodis-

sime ei vocis significationi adhaerebis : cf. *I. Knabenbauer* in Is. 13,21 ; cf. item Is. 34,14 et 2 Par. 11,15. « *Legitimum sempiternum erit illis et posteris eorum* ».

Quaeres, cum hostiae pacificae debuerint esse immaculatae, quid fuerit faciendum de pecoribus aliquo defectu laborantibus, quae tamen ad cibum essent omnino idonea. Respondeo, in his occidendis nullam fuisse sacrilegii rationem, cum sacerdotibus ne liceret quidem illa pro victimis acceptare; ergo neque possessores illa ad sanctuarium producere tenebantur : cf. Deut. l. c.

2. *Appendices tres* Lev. 17,8-16.

a. Holocausta soli Iahve offerenda Lev. 17,8 sq.

Arg. — Intra fines Israelitarum soli Iahve, et quidem prope tabernaculum, sacrificia offerantur. Lex haec etiam ad advenas extenditur.

v. 8 « *Et ad ipsos dices : Homo de domo Israel et de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam* », v. 9 « *et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo* ». Advena non prohibetur mactare pecora pro cibo : sed ipsi intra fines Hebraeorum degenti, non licet sacrificare nisi Domino, et quidem ad tabernaculum. Quodsi facere nolit, a sacrificiis omnino abstineat.

b. Sanguis non comedendus Lev. 17,10-12.

Arg. — Sanguinem, quem vitae intime connexum Deus sibi pro sacrificiis reservavit, comedere nefas est. Haec lex ad advenas etiam extenditur.

v. 10 « *Homo quilibet de domo Israel et de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem* », sive in sacrificiis (*Cai.*) sive in cibum profanum, *ponam* et positam servabo (*Tost.*), hinc « *obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo* ». Ut sequentia intelligas, adverte, sicut auctor sacer de animalibus, de astris, de lepra non secundum rationem scientificam, sed secundum externam rerum speciem disserat, ita etiam de hominis vita loqui non secundum physiologorum placita. Quae dicit, possent quidem vi verborum ad sanguinem humanum extendi (*Aug.*), tamen secundum contextum ad animalium sanguinem videntur esse restringenda (*Est.*). Dat vero vetiti de non comedendo sanguine rationem : v. 11 « *quia anima carnis in sanguine est* » seu, uti idem sensus Deut. 12,23 exprimitur : « quia sanguis ipse est anima, et non

manducabis animam cum carne ». Unde perspicis, נפש vertendum esse non *anima*, sed *vita* : non enim sensus is est, animam spiritualem reapse idem esse atque sanguinem, eandemve posse manducari. Prima ergo ratio ea profertur, quod vita viventis sit in sanguine. Non dicitur bruta habere sanguinem loco animae (*Theodoret.*), sed vitam sine sanguine non constare (*Mar.*), praecipue e sanguine pendere, sine quo pereat animal (*Sa*), practice vitam animalem et sanguinem unum esse, ut hoc stagnante illa deficiat; ut proinde vitam ipsam absumere videatur, qui sanguinem comedat (*Ians.*). Cave tamen, ne hoc « crudelitatis » (*Tost.*) argumentum exaggeres, ne christianos quoque ab esu sanguinis cohibere videaris. Quin potius haec sententia cum sequenti unicum efficit argumentum (*Tost.*) : Deus pro expiatione vitarum hominum selegit sanguinem, et apte quidem, quia in sanguine vita est. « *Et ego dedi illum vobis* » *super altare*, *ut* — sed ordinem verborum *Vulg.* invertit : « *ut super altare — in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit* ». Pro *et* habet *Hebr. quia;* Deus suum decretum repetit : quia sanguis utique expiationem praestabit vitae. « Deus, naturae dominus, reservat sibi sanguinem, cuius unicum usum permittit hominibus, sc. in sacrificia » (*Calm.*). v. 12 « *Idcirco dixi filiis Israel* », mandavi eis, et mandati observationi invigilabo : « *Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis, qui peregrinantur apud vos* ». Omnis intra fines Hebraeorum sanguis Domino reservatur. Cf. Gen. 9,4 sqq.; Lev. 7,26 sq.

c. Sanguis quando in terram fundendus Lev. 17,13 sq.

Arg. — Sanguis eorum etiam animalium mundorum, quae sacrificare nefas, non comedatur, ne ab advenis quidem.

Quia ratio non comedendi sanguinis potissima desumebatur a sanguinis in sacrificiis usu, potuit quis in suspicionem adduci, sanguinem eorum animalium mundorum, quae sacrificiis non adhiberentur, aut carnem eorum animalium mundorum, quorum sanguis a carnibus non fuerat extractus, impune comedi. Quare prior lex ad haec extenditur. De sanguine animalium immundorum autem nihil dicitur, quem ne contingere quidem fas erat. v. 13 « *Homo quicunque de filiis Israel et de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione* [*atque aucupio*] *ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius et operiat illum terra* », *Hebr. pulvere*, qui brevissimo tempore totum absorbeat. Id autem fit, ne sanguis conculcetur (*Tost.*), ne a feris lambatur (*Bonfr.*) et, quae potissima fortasse est ratio, ut ab hominum usu penitus removeatur (*Cai.*). Huius porro prioris legis

extensionis rationem affert v. 14, quae eadem est atque ratio v. 11 allata. Sed haec ostenditur iam non de solis animalibus sacrificalibus, sed de *omni* carne valere. Ratio tamen compendio tantum h. l. repetitur: vita omnis carnis in sanguine est : aliquem vero sanguinem acceptavi in expiationem vitae humanae : ideo omnem sanguinem sanctum haberi volo, nec comedi. v. 14 « *Anima enim omnis carnis in sanguine est* ». Reliqui : *vita enim omnis carnis sanguis ejus est*, adduntque praeter *LXX Vulg. Syr.* : *in vita eius ipse est*. Sed haec expungenda : non potest dici sanguis esse in vita, maxime cum constanter dicatur vita esse in sanguine. Quae secus suggerebantur explicationes, violentae sunt (cf. *Dillm.*). « *Unde dixi filiis Israel : Sanguinem universae carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est : et quicumque comederit illum, interibit* ». Haec vox idem sonat, atque v. 4. 9. 10 *interibit de populo suo*.

Appendicula de esu carnis animalis non rite mactati Lev. 17,15 sq.

v. 15 « *Anima, quae comederit* » « per ignorantiam vel necessitatem » (*Bonfr.*) « *morticinum vel captum* [*a bestia*], *tam de indigenis quam de advenis, lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum, et* [*hoc ordine*] *mundus fiet* ». v. 16 « *Quodsi non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam* », reus manebit.

D. Thora Sanctitatis Lev. 18-22.

Pericope *septem* divina *eloquia* habet, praeter alloquium truncatum 22,26 praecedentis legis appendici praefixum : quorum priora tria cap. 18-20 ad populum, sequentia tria 21,1-22,16 ad sacerdotes, extremum 22,17-25 ad sacerdotes et populum diriguntur. Singula eloquia unam habent *legem*, quae tamen cap. 19 sq. e variis legibus in unam congestis coaluit.

Prima lex post exordium orditur 18,6 vocibus איש איש ; item secunda lex post suum exordium orditur 19,3 voce איש. Cap. 20 duabus legibus constat in unam compactis. Prior v. 2 orditur vocibus איש איש מבני ישראל ומן הגר (cf. cap. 17), rursumque v. 6 ונפש אשר ; altera item v. 9 tota orditur vocibus כי איש איש אשר, dein singulos versus orditur vocibus ואיש אשר (v. 16 ואשה אשר), excepto v. 19 quia reliquorum versuum uniformi constructione deflectens constructionem cap. 18 imitatur. Etiam appendicula v. 27 incipit vocibus ואיש או אשה כי. Similiter septimae legis 22,17-25, quae non ad solos sacerdotes diri-

gitur, paragraphus prior v. 18 incipit vocibus איש איש מבית ישראל ומן הגר, posterior v. 21 vocibus ואיש כי; quam formam appendix etiam, quae non de hominibus sed de animalibus est, v. 27 imitatur שור או כשב או עז כי. E contra tres leges 21,1-22,16, quae ad solos sacerdotes diriguntur, eiusmodi expressiones ignorant : evidenter prima et tertia. Secunda 21,17 orditur quidem vocibus איש מזרעך לדרתם אשר, sed eae primum ob insertum לדרתם non sunt plane idem cum iis, de quibus agimus, formulis consuetis; ac praeterea, quod lex agat de *virorum* defectibus naturalibus, pronum erat ut ea a voce איש ordiretur, eratque similitudo cum aliis illis formulis fortuitum quid. Videtur igitur in hac Sanctitatis Thora idem obtinere, quod in Sacrificiorum Thora Lev. 1-7 observabamus : leges solum vel etiam ad populum directae sua habent initia, ab initiis legum, quae solos sacerdotes spectant, diversa.

Ratio porro, cur leges cap. 18-22 in unam cogamus thoram, est uniformis quaedam earum legum *structura*.

Quae primum cernitur in frequenti formulae « *Ego Iahve* » vel « *Ego Iahve Deus vester* » usu.

Et primae quidem legis, quae est de *re matrimoniali*, exordium 18,2-5 eam formulam habet ter, epilogus v. 24-30 semel, extremo sc. v. 30. Sed eadem insuper affigitur v. 6 propositioni generali, quae sequente v. 7-21 lege evolvitur, et extremo v. 21, ubi a foeda sexuum commixtione transitur ad peccata contra naturam. — Cap. 29 est *congeries mandatorum*. Uti mox ostendemus, constat ea duabus septenarum stropharum paragraphis (v. 3-18. 19-36) : singulae vero strophae ea formula clauduntur, uti etiam exordium v. 2 et clausula v. 37. — Cap. 20 *poenas* sancit pro peccatis cap. 18 et pro uno alterove e cap. 19 enumeratis. Et partes quidem adiectitiae v. 2-6 et v. 27 formulam ignorant, ni mavis v. 7 a sequentibus separatum prioribus copulare. Sed pars praecipua eam habet bis in exordio v. 7 sq. et bis in epilogo v. 22-26. Hucusque, si quid formulae adscribebatur, erant verba « qui eduxi vos de terra Aegypti » (19,36; 22,33), vel « qui sanctifico vos » (20,8), vel « qui separavi vos de populis » (20,24), quibus verbis 20,26 accedunt haec « ut sitis mei ». Aliter res habet in legibus, quae ad solos *sacerdotes* diriguntur, aguntque de *luctu et nuptiis*, de *irregularitatibus permanentibus et temporaneis*. Adscribitur iam extremis legibus vel legum paragraphis una formula « Ego Iahve qui sanctifico vos » (« eos », « eum » : 21,8. 15. 23; 22,9. 16), quae quam apte sacerdotibus prae aliis applicetur quisque videt. Insuper prior tertiae legis pars verba « Ego Iahve » affigit generali 22,2 principio (cf. 18,6) sequentibus evolvendo, eiusque v. 3. 8 dua-

bus applicationibus. — Tandem septima lex, quae est de *victimis*, formulam quidem ipsa ignorat, habet tamen v. 30 in extrema appendice et ter in epilogo v. 31-33, ubi semel adscribuntur verba « qui sanctifico vos ».

Appenditur igitur ea formula exordiis, epilogis, propositionibus generalibus extremisque paragraphis *sigilli instar*. Et, uti regum decreta regium nomen et in capite prae se ferunt et ad calcem cum sigillo exhibent, ita hae Dei leges Iahve nomen et in fronte habent (« Locutus est Iahve »), et ad calcem non universae solum orationis, sed singularum eiusdem particularum habent. Quorum sensus obvius is est, proponi hanc Thoram Sanctitatis cum omnibus suis partibus tamquam auctoritate « Iahve Dei Israelitarum » promulgatam. Ubi sc., quae proponebantur leges, pleraeque more legeque humana iam ante Moysen exstitissent sacrae, plurimum intererat ut intelligerent Hebraei, easdem *sanctiore* iam auctoritate iniungi. Quod autem id in legibus Lev. 18-22 expressius etiam quam in aliis legibus a Deo per Moysen promulgatis fiat, demonstrat harum legum observationem magis etiam quam aliarum Deo cordi fuisse. Cuius rei obvia est ratio : etenim, ut de aliis taceam, providebat haec thora imprimis generis per matrimonia tam in populo quam in stirpe sacerdotali puritati.

Quod alias monebamus, etiam h. l. monendum, has formulas distribui fere *numeris sacris*. Ita Lev. 18 habetur *ter* formula brevior (« Ego Iahve »), *ter* longior (« Ego Iahve Deus vester »). Lev. 19 habetur *semel* longior in exordio et brevior in clausula, sed *septenae* in utralibet serie (3 + 4 et 4 + 3). Lev. 20 habetur formula longior *ter*, brevior *semel*. Lev. 21,1-22,8, quae pericope est de sacerdotibus, habetur « Ego Iahve » *septies* (3 + 1 + 3 in tribus paragraphis), et praeterea semel in epilogo 22,9 et semel in appendicula 22,16 : ergo omnino *novies*. Eandem formulam statuta de victimis habent semel 22,30, clausula vero totius thorae v. 31-33 *ter*. — Etiam formula « (Ego Iahve,) qui sanctifico vos » (vel « eos » vel « eum ») *septies* recurrit : 20,8; 21,8. 15. 23; 22,2. 16. 32.

Uniformis porro huius thorae structura, praeter formulam « Ego Iahve », observatur secundo in *exordiis*, *epilogis aliisque formulis* adscriptis, quibus communis illa *sanctitatis* idea clarius exprimatur.

Lex cap. 18 solemni orditur exordio v. 1-5, solemni clauditur epilogo v. 24-30. Documento cap. 19 praefigitur v. 2, appenditur v. 37, medio inseruntur v. 19 verba « Leges meas custodite ». Legis 20,7-26 exordium habes v. 7 sq., epilogum v. 22-26. Legibus ad sacerdotes editis 21,1-22,16 extremis quibusque articulis adscribitur divinae sanctitatis commendatio. Clauditur thora epilogo 22,31-33. — Porro exordium 18,1-5 in eo est, ut triplici « Ego Iahve » inserat duplicem monitio-

nem custodiendorum divinorum mandatorum, quae monitio v. 3 sq. non positive tantum sed item negative inculcatur. Epilogus eandem custodiam exigit primum negative v. 24 sq. (« Nec polluamini etc. »), dein positive v. 26 (« Custodite etc. »), rursum negative v. 26-29 (« et non faciatis etc. »), positive v. 30 (« Custodite etc. »), negative v. 30 (« Nolite facere etc. »). Exordium 19,2 « sanctitatis » commendationem habet, clausula v. 37 mandatorum custodiam exigit. Utrumque inculcat exordium 20,7 sq.; epilogus vero 20,22-26 vocibus « Ego Iahve etc. » v. 24 bifariam dividitur : v. 22-24 mandatorum custodiam tam positive quam negative inculcat, v. 25 sq. eo, quod Deus Hebraeos a populis separaverit, exigit ut separentur ab immundis et sanctitatem sectentur. Eaedem paucae numero ideae in omnibus illis exordiis etc. constanter repetuntur.

Neque solae ideae eaedem sunt, sed magna ex parte ipsae expressiones. Ubi custodia divinorum mandatorum inculcatur, semper scribitur verbum שמר, itemque nomen חקתי, in cuius tamen locum 18,30; 22,9 succedit משמרתי ab eodem שמר derivatum, 22,31 מצותי. Forma igitur eius admonitionis veluti fundamentalis est שמרתם את חקתי; cuius 19,37; 20,22 vis augetur adscripto nomini emphatice adiectivo כל. Sed ea forma *variatur*. Nomini sc. additur alterum nomen synonymum משפטי (18,5. 26; 19,37; 20,22), quod verbum עשה saepe adiunctum habet, vel tamquam verbum regens (18,4), vel tamquam verbum sententiae aut relativae (18,5) aut coordinatae (19,37; 20,8. 22; 22,31). Maior etiam deprehenditur varietas, ubi a positiva inculcanda mandatorum custodia transit scriptor ad argumentum *negative* amplificandum et ad Israelitas a mandatorum neglectu dehortandos. Qui neglectus semel (20,23) exprimitur vocibus omnino generalibus את כל האלה, semel expressione item generali מעשה (18,3), frequentius voce חקה (18,3) vel תועבה (*abominatio* 18,26. 27. 29) vel utraque coniuncta (18,30). Verbum vero vix non semper (18,3. 26. 27. 29. 30; 20,23) est עשה, bis (18,3; 20,23) הלך. Eius neglectus exempla demonstrantur Aegyptii, saepius etiam Chananaei; effectus describuntur pollui peccantes et terram (18,24 sq. 27. 28), hinc provocari terram ad vomitum (18,25. 28; 20,22), Deum vero ad abominationem (20,23), reos tandem interimi (18,29).

Sed praeter formulam « Custodite mandata mea », cum omnibus suis variationibus et amplificationibus, notanda sunt alia. Formulae « Ego Iahve Deus vester », uti diximus, aliquod quandoque membrum adscribitur, « separans vos a populis » vel « sanctificans vos », quae duo de facto unum sunt, idem quippe est separari a profanis et sanctificari. Igitur prior illa expressio 20,24 illico v. 25 sq. amplificatur,

ut, qui a Deo sancto separati fuerint Hebraei, separentur oportet ab immundis et sancti sint ipsi. Quae conferas, quaeso, cum 11,43-45, sunt enim profecto eodem calamo descripta. Multo frequentior vero altera expressio, quam diximus cap. 21 sq. extremis quibusque paragraphis adhiberi. At etiam ipsum ib. textum eadem ubique sanctitatis commendatio pervadit. Ratio mandatorum sacerdotibus quoad luctum traditorum 21,6 adscribitur : « Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen Dei sui ». Cur vero sancti esse debent? « Quia combustiones Iahve, sacrificia Dei sui offerunt ». Praecepto de sacerdotum nuptiis v. 7 sq. adiicitur ratio : « quia sanctus ipse Deo suo est; sanctificavi eum, quia sacrificia Dei sui ipse profert : sanctus igitur erit tibi etc. ». Tamquam ratio specialis pontificis sanctitatis eius sanctificationis ritus v. 12 distinctius exhibetur : « non polluet locum sanctum Dei sui, quia oleum sanctae unctionis Dei sui super eum est ». Statutum de coniugiis pontificum v. 15 claudunt verba : « non polluet semen suum in vulgo » — יחלל, idem verbum quod 21,6. 12. 23; 22,2. 15. 32 et nota, quam facile v. 12. 23 את מקדש oriri potuit corruptione expressionis secus in his textibus adhibitae את שם קדש. Rursum legis de irregularitatibus permanentibus v. 23 adscribitur ratio : « non polluet sanctuarium meum etc. ». Propositio generalis 22,2 desinit in verba : « et non polluent nomen sanctum meum, quia mihi sunt sanctificati ». Lex de irregularitatibus transeuntibus v. 15 sq. concluditur verbis : « Non polluant sancta filiorum Israel etc. ». Tandem epilogus v. 32 habet : « Ne polluatis nomen meum sanctum, sed sanctus habear in medio filiorum Israel ».

Ergo sanctitatis commendatio reapse leges cap. 21 sq. totas pervadit, neque illis est serius adscripta, sed intime per omnes eorum articulos concreta. Eadem porro sanctitatis commendatio in legibus item cap. 18-20 deprehenditur, at non cum illis nata, sed collectoris manu identidem adscripta. Extremae legis 18,2-21 vetito adnectuntur voces : « nec polluas nomen Dei tui » (תחלל). Exordia 19,2 et 20,7 et epilogus 20,26 Hebraeis sanctitatem inculcant.

Porro *unicus auctor* haec omnia adscripsit : formulas « Ego Iahve », monita mandatorum observationem vitaeque sanctitatem exigentia. Eiusmodi additamentorum inter se tam affinium gratuito quis diversos finxerit auctores. Imo fingi nequeunt, cum additamenta non solum sint sensu affinia, sed certa ratione ac systemate orationis articulis inserantur : cf. cap. 19, ubi v. 2 sanctitas pro exordio inculcatur, v. 19 autem partium divisio formula « Leges meas custodite » notatur; v. 22,9, ubi monitum custodiendorum mandatorum extremae cuidam paragrapho legum 21,1-22,16 adscribitur, quae totae sunt in incul-

canda sanctitate. Neque solum illa iuxtaponuntur, sed ita contexuntur, ut unicum efficiant argumentum : cf. 20,7 sq., ubi ea in unicum exordium, et 20,22. 26; 22,31 sq., ubi eadem in unicum epilogum congesta deprehenduntur.

Ille unus auctor et pericopen 21,1-22,16 primus scripsit, et reliqua Thorae Sanctitatis documenta in unicum libellum coegit, additamentis adscriptis. Patet hoc ex ante dictis. Ille auctor idem videtur esse, qui orationem Lev. 25 sq. concinnavit, quae tota est in mandatorum servatorum praemiis, neglectorum poenis proponendis; idem videtur esse atque Deuteronomii scriptor, qui mandatorum observationem constanter inculcat.

Legum Lev. 18-22 plures exstitere Moyse antiquiores, certe quoad substantiam. Ita lex de matrimoniis vetitis cap. 18, cum ipsa leviratus lex Gen. 38 patriarchae Iacob tempore viguerit; leges cap. 19 (vide infra); cap. 20 intime coniunctum cum cap. 18; probabiliter etiam 22,17-30. E contra statuta 21,1-22,16, sive tota sive quoad plurima, a Moyse debuere primo concinnari. Illico post constitutum sacerdotium aaronicum provideri oportebat, ne iniquis coniugiis stirps sacerdotalis foedaretur; catalogus irregularitatum non videtur fuisse ita strictus et completus, quamdiu ipsi patres familias et principes sacerdotio fungerentur; certe Iacob, quod claudus esset, non est sacerdotio exclusus; sanctitatis tum imprimis et emphatice monendi erant sacerdotes, quando ceteris perpetuo exclusis unica familia sacerdotio honorabatur, et quidem lege non humana sed divina. Crediderim igitur Sanctitatis Thoram Lev. 18-22 a Moyse primo esse compositam.

1. *Lex de re matrimoniali* Lev. 18.

Constat ea exordio v. 1-5, ipsa lege v. 6-23, epilogo v. 24-30.

a. Exordium Lev. 18,1-5.

Uti supra monebamus, triplici « Ego Iahve » veluti legislatoris sigillo exordium insignitur. Praeterea constat formula saepe in exordiis et clausulis adscribi solita *Custodite leges meas etc.*, quae tamen primum v. 3 ex opposito illustratur, dein v. 4 positive enuntiatur et v. 5 addita promissione chiastice repetitur.

Cap. XVIII v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Ego Dominus Deus vester* ». « Praemittit legislatoris auctoritatem, ut non tamquam leges Moysis, sed leges Dei suscipiantur et praeferantur omnibus humanis legibus ac consuetudinibus » (*Cai.*). v. 3 « *Iuxta consuetudinem terrae*

Egypti, in qua habitastis, non facietis; et iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis ». Quae generaliori nomine *praxes* מעשה, eadem mox modo חקת *legitima* usu recepta, modo משפטים *iudicia* auctoritate aliqua constituta vocantur. v. 4 « *Facietis* » vero « *iudicia mea, et praecepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester* ». v. 5 « *Custodite leges meas atque iudicia, quae faciens homo vivet in eis* » (cf. Ez. 20,11). Verba etiam citant Rom. 10,5 et Gal. 3,12 ad demonstrandum. legem praestitisse bona vitae temporalis, dum gratia praestet bona vitae aeternae. Expressio opponitur alteri 17,14 *interibit*, et similibus. « *Ego Dominus* ».

b. Copulae vetitae Lev. 18,6-23.

Lex datur *viris*, non enim mulier virum subigit, sed mulierem vir. Prohibet ea immediate *copulam*, ergo non solam permanentem unionem attentatam, sed vel unicum incestuosum, adulterinum, imo v. 19 cum propria uxore intempestivum coitum. Similiter, quod cap. 20 punitur, non est solummodo eiusmodi matrimonium attentatum, sed copula. Tamen legis Lev. 18 finis primarius utique est inhibere consanguineorum et affinium coniugia : quae efficacissime inhibebantur ipsa proscripta copula.

Lex, qualis ante Moysen viguerat, non videtur prohibuisse *alienigenarum* coniugia. E Gen. 24,3; 26,34; 28,1 sq. non efficitur patriarcharum aevo eiusmodi coniugia fuisse stricte prohibita, sed solum habita esse minus honesta. Verum adscripto v. 21 Moyses praecedentia omnia (v. 6-20) ad mulieres Hebraeas limitavit, coitum cum alienigena absolute inhibens. Quem versum Moysi attribuimus, cum ob expressionem familiarem « non pollues nomen Dei tui », et alteram expressionem in prioribus nequaquam adhibitam « de semine tuo non dabis transmittendum », tum ideo quod eiusmodi stricta prohibitio ante Moysen certe non fuerit, inde a Moyse certe viguerit, ergo supponenda sit a Moyse esse invecta. Ceterum adverte, alienigenam ritibus Hebraeorum accedentem eo ipso factam esse Hebraeam eique aditum patuisse ad hebraeum torum. V. 21 confodit matrimonia mixta. Etiam v. 18-20 recentiores esse videntur quam v. 8-17, qui impedimenta permanentia recensent et voce ערות singuli ordiuntur, dum v. 18-20 de impedimentis agunt temporaneis. Nota, Iacobo fas adhuc (v. 18) fuisse duabus simul sororibus uti uxoribus. Tamen v. 18-20 ab ipso Moyse esse adiecta, affirmare non ausim; potuere haec esse illo paulo antiquiora.

Appendiculae rationem habent v. 22 sq., quae etiam collector inserto v. 21 a praecedentibus distinxit. Primum adscripsisse vix credo, cum etiam poenas 20,13. 15 crediderim collectore esse antiquiores. Sodomia et bestialitas sane nullo non tempore gravissima habebantur scelera.

α. Copulae vetitae ob rationes permanentes Lev. 18,6-17.

Arg. — Praemittur regula generalis v. 6, legis materiam distincte enuntians, voce item usa ערוה, quae porro initio singulorum v. 7-17 versuum repetitur. Proscribuntur primum copulae eorum, qui unam censentur efficere domum, sc. cognatarum lineae rectae (mater v. 7, cui aequiparatur uxor patris quaelibet v. 8; [filia et] neptis v. 10) et sororis sensu latiore acceptae v. 9. 11; dein aliorum quorumdam, sc. amitae v. 12 sq., patrui uxoris v. 14, nurus v. 15, fratriae v. 16, filiae vel neptis quas ex alio patre genuit uxor v. 17.

א. *Regula generalis* Lev. 18,6.

v. 6 « *Omnis homo* » — *Hebr. vir* — « *ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem eius. Ego Dominus* ». Ex 25,49 efficitur, שאר בשרו designare hominis *propinquos* et, quod ib. adscripto מבשרו significatio ad consanguineos restringatur, suggerit sine eo addito vocem tam *consanguineos* quam *affines* designare. An שאר Prov. 5,11; Ps. 72 (73 , 26; 77 (78), 20. 27; Ier. 51,35 reapse vertendum sit *caro*, ambigi potest. Expressio שאר בשרו planius vertitur *reliquum carnis eius*, *LXX* οἰκεῖα σαρκός, *Targ. Syr.* קריב בשריה. Et nota, expressionem tam viros complecti quam mulieres (cf. 25,49), licet h. l. contextu utique ad solas mulieres restringatur.

Frequens in sequentibus est expressio, qua *turpitudo* i. e. verenda *unius* dicuntur esse turpitudo seu verenda *alterius*. Fiunt autem alterius cum matrimonio v. 8. 16, tum consanguineitate lineae rectae v. 10; aliis verbis, quod illi duo sint aut fuerint una caro sive matrimonio sive ex invicem generatione. E contra consanguineitate lineae lateralis non efficitur nisi שארה seu *propinquitas* v. 12 sq. (ergo etiam v. 9, 11); item affinitate v. 17 (ergo etiam v. 14-16). Igitur turpitudini patris coniugio accensetur turpitudo matris (v. 7) et cuiusvis alterius uxoris (v. 8); generatione turpitudo filiae et neptis (v. 11). Similiter turpitudo uxoris fratris coniugio (v. 16) evasit turpitudo fratris, estque eodem loco habenda atque fratris seu sororis turpitudo. Huic naturali necessitati accedit legalis aliqua : filia uxoris patris, quae filia soror non est (v. 11), aequiparatur sororibus natis ex alterutro vel utroque parente. At sororis turpitudo non ideo evadit fratris turpitudo, quia neque ex invicem geniti neque matrimonio iuncti sunt; neque dicas, quod sororis turpitudo tandem sit etiam patris turpitudo (v. 10), ideo non mera propinquitate cohiberi fratrem a sororis con-

iugio. Etenim illarum expressionum legalis valor non indefinite patet, secus omnes tandem ex Adamo nati essent una caro, sed lege nostra positiva intra certos limites restringitur. Mera item propinquitas habetur quoad amitam patrui uxorem, nurum, fratriam uxorisque filiam et neptem ex alio patre prognatas (v. 12-17).

Hae leges, quatenus magna ex parte sunt juris naturalis, in stirpe electa debuere esse perantiquae. Fere eosdem gradus vetitos observavere Arabes, teste Corano Sur. IV. 26 sq. : matrem patrisque uxorem quamlibet, filiam, sororem, amitam, fratris sororisve filiam, uxoris matrem, privignam, nurum, duas simul sorores, viro libero iam coniugatam; addunt vero nutricem et collactaneam.

ב. *Prohibitiones particulares* Lev. 18,7-17.

v. 7 « *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies* ». ערוה dicit verenda non mulieris tantum, sed etiam viri (cf. Gen. 9,22). *Turpitudinem discooperire* euphemismus est pro sexuum commistione, et h. l. intelligitur de commistione potissimum per matrimonium attentatum, secundarie item per fornicationem etc. Textum explicat *Ps. Ion.* : « Mulier non habeat rem cum patre suo, neque vir habeat rem cum matre sua ». Cui explicationi illud obest, quod secus in hac pericope (cf. dicenda ad v. 14) agatur de revelanda turpitudine mulierum, non virorum : in matrimonium quippe, de quo primarie agitur, non mulier sumit virum, sed vir mulierem. Unde censuit *Aug.* ipsam matris vocari etiam patris turpitudinem, quod coniugio ad patrem pertineat. At, licet utique Hebraei matris turpitudinem, habuerint patris propriam, id tamen h. l. exprimi non crediderim, obscuraretur sensus v. 7, non esset repetenda vox *turpitudinem*, sed dicendum *turpitudinem patris tui et matris tuae*. Verba *turpitudinem patris tui* absolute scribuntur, instar tituli cuiusdam pro v. 7 : Turpitudinem patris tui quod attinet, non discooperies turpitudinem matris tuae neque alius paternae uxoris. Prohibitionis rationem ad instar sequentium versuum hanc exspectabis : quia turpitudo patris tui est. At in matre praesto est ratio longe efficacior : « *mater tua est, non revelabis turpitudinem eius* ». Sc., licet hae leges imprimis proficiscantur a reverentia patri debita, at non unice : maternam auctoritatem paternae auctoritatis esse vix non aequalem minime ignorant. Ideo h. l. et v. 13 prohibitionis ratio a matris dignitate petitur.

Ad matrem proxime accedit uxor, quam sibi matre sive superstite sive demortua copulavit pater. Haec est noverca, non vero illa. v. 8 « *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies* », ne mortuo quidem patre, eo quippe superstite ea copula iam esset prohibita qua adulterium (cf. Gen. 35,22; 49,4). Dubitat *Kn.*, utrum אשת אביך intelligatur latius an pressius, includatve *concubinas*, quarum erat quidem verum matrimonium. Nihil efficitur e 3 Reg. 2,17, cum Abisag et Da-

vidis matrimonium non fuerit consummatum; nihil e 2 Reg. 16,21 sq., Absalomi quippe cum concubinis patris superstitis coitus iustum erat adulterium. Dices, rationem « *turpitudo enim patris tui est* » aeque valere quoad concubinas. Tamen haec non sunt definienda a priori, sed ex ipsis legis verbis : sic incestum non committit, qui fornicatur cum ea, quacum pater fornicabatur, licet fornicatione etiam fiant fornicarii una caro (1 Cor. 6,16).

Quaerunt, cur non explicite proscribantur *nuptiae patris cum filia*. Eae omnino excluduntur eo, quod in tota hac materia tamquam evidens praesupponitur, axiomate turpitudinem patris non esse revelandam. Quod axioma non praesupponitur solum, sed v. 7 diserte enuntiatur illis verbis *Turpitudinem patris tui*. — Erat autem tam evidens apud Hebraeos illud axioma, imo tam alienum vel ab Aegyptiorum « consuetudine » et Chananaeorum « moribus » (v. 3), ut illud ipsum non esset h. l. enucleatius proponendum, sed eius solummodo remotiores quoad personas patri propinquas sequelae evolvendae. Non est, cur versum aliquem excidisse (*Dillm.*) supponamus.

v. 9 « *Turpitudinem sororis tuae ex patre sive ex matre, quae domi vel foris genita est, non revelabis* ». Prohibetur coniugium cum sorore etiam ex eodem patre et eadem matre nata non solum a fortiori (*Aug.*), sed ipso textu, quo eiusmodi soror convincitur duplici subesse impedimento. Proxime utique prohibetur coniugium cum sorore ex alterutro parente nata. Licet alias soror dicatur non ea tantum quae immediate, sed etiam quae mediate ex eodem parente nata est, ergo sororis vel fratris filia, tamen vox in huiusmodi lege stricte est accipienda. Ipse Abraham fratris filiam duxerat (Gen. 20,12; cf. 11,29). Verba *quae domi vel foris genita est* cum solis verbis *sive ex matre* coniunxit *Syr.*, explicans *genitam ex patre tuo aut ex alio viro*, sive ante nuptias cum patre initas, sive adulterio in coniugio, sive patre vita functo. Sed melius *Vulg. Targ.* iungunt voci *sororis*, ut praeter sorores modo recensitas ex eadem matre natas includantur sorores ab eodem patre procreatae sive iusto aliquo toro, sive fornicatione aut adulterio. Secundum quam interpretationem magis obviam magis etiam explicite prohibetur matrimonium cum sorore ex eodem patre et matre nata : cf. *Ps. Ion.* Porro *domus* censetur esse, ubi pater : quare *domi* natae censentur eae, quae a patre genitae sunt legitimo aliquo toro, a matre in huius patris coniungio; *foris*, quae a matre extra vel praeter idem coniugium, a patre fornicatione vel adulterio genitae sunt.

Miraberis non condemnari severius (v. g. additis uti v. 17 verbis « incestus est ») coniugium cum sorore; cum eiusmodi coniugia apud Aegyptios honestissima haberentur. Sed non consuevit Moyses legibus antiquioribus correctiones adhibere aut additamenta inserere, sed ad summum ad calcem adscribere.

v. 10 commercium cum nepte proscribit : « *Turpitudinem filiae filii tui vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est* ». Pari iure proscriptum censeri debet commercium nepotis cum avia, quod tamen ob disparem aetatem perrarum esse debuit.

v. 11 « *Turpitudinem filiae uxoris patris tui* », quae uxor uti v. 8 tua mater non est, « *quam peperit patri tuo et est soror tua, non revelabis* ». Nonne id iam v. 9 prohibebatur? Adverte, alterum לא תגלה legisse *LXX : Turpitudinem filiae uxoris patris tui non revelabis : genita patris tui, soror tua est, non revelabis turpitudinem eius.* Similiter *Syr. : Turpitudinem filiae uxoris patris tui, genitae patris tui, non revelabis etc.* Praeferenda omnino lectio LXX : v. 11 se habet ad v. 9, uti v. 8 ad v. 7. Declaratur eiusmodi puella esse, non natura quidem, sed iure et aestimatione patris filia et filii soror.

Prohibetur *amitae* commercium. v. 12 « *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies : quia caro est patris tui* ». v. 13 « *Turpitudinem sororis matris tuae non revelabis, eo quod caro sit matris tuae* ». *Hebr.* utroque versu שאר. Etiam *patruus*, i. e. patris frater, sicut amita, est patris propinquus (*Vulg. caro*); hinc v. 14 : « *Turpitudinem patrui tui non revelabis* », quae verba, uti illa v. 7 *turpitudinem patris tui*, non propter seipsa scribuntur, sed ut principium ad conclusionem inde derivandam : « *nec accedes ad uxorem eius, quae tibi affinitate coniungitur* ». Loco ultimi incisi *Hebr. : patrui tui uxor est*, ideoque eius turpitudo patrui turpitudo est. v. 15 « *Turpitudinem nurus tuae non revelabis, quia uxor filii tui est* », ideoque eius turpitudo filii turpitudo, « *nec discooperies ignominiam eius* ». v. 16 « *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est* ». Cf. tamen, quae Deut. 25,5 sqq. de coniugio leviratus dicuntur.

Non videtur prohibitum fuisse, ne vir duceret viduam avunculi, i. e. fratris matris, neve viduam fratris suae uxoris; etiam sorore uxoris v. 18 non absolute interdicebatur. Ex Num. 27,9 sqq. efficitur propinquitatem per feminas inductam habitam esse minus arctam ea, quae per viros inducebatur. Neque avunculus vetabatur ducere sororis filiam neque, uti videtur, patruus fratris filiam. Dices, si hoc fieret, fratris filiam revelaturam fuisse patrui turpitudinem, contra v. 14. Tamen illud de turpitudine unius ad alterum pertinente principium non erat indefinite et per quosvis gradus extendendum; minor praeterea indecentia erat in muliere fratris filia accedente ad patruum, qui fere parentis loco ei esset, quam in fratris filio ut marito dominante patrui viduae. Ergo, cum illud coniugii genus explicita lege non proscribatur, censeri debet fuisse licitum. — Leges hae directe pro viris feruntur, unde aliqua desiderantur mulieres spectantia. Non prohibetur quidem v. 10 mulier nubere nepoti suo : tamen eiusmodi foedus et contra naturam erat, et quodammodo discooperiebat turpitudinem matris (v. 7). Ex v. 17 prohibebatur mulier nubere marito filiae.

v. 17 « *Turpitudinem uxoris tuae et filiae eius* », genitae ab alio

patre, « *non revelabis: filiam filii eius et filiam filiae illius* », item ab alio patre genitorum, « *non sumes, ut reveles ignominiam eius* ». Prohibentur nuptiae cum filia seu nepte priore matrimonio prognatis ei, qui matrem seu aviam habet vel habuit uxorem. Cum enim clausula *adhuc illa vivente* h. l. non adscribatur, vetitum non solvitur matris seu aviae morte. Plena vetiti ratio iam habetur v. **11**, quod eiusmodi uxoris liberi lege habeantur tamquam posterioris mariti liberi. Hic altera adscribitur ratio : « *quia caro illius sunt*, [*et talis coitus*] *incestus est* ». שארה, quia propinquitas matris suae sunt : sed sunt plus quam mere propinquae, sunt turpitudo eius. Praeterea magis h. l. quam v. 12 sq. debuit pro mero suffixo scribi ipsum nomen אשתך, quo perspiciatur, ad quod variorum in sententia nominum illud שאר referatur. *LXX* videntur legisse שארך, quod etiam contextus postulat.

זמה (*Theod.* ζέμμα!) a זמם *cogitare*, imprimis mala cogitare Prov. 30,32; Deut. 19,19; Ps. 36 (37),12. Hinc *Chald.* etymon secutus *consilium peccatorum*, *Syr. nefas*. *LXX* ἀσέβημα. Lev. 19,29 praedicatur de prostitutione, Iob 31,11 de adulterio, Iud. 20,6 de foedissimo adulterio. *Symm.* μῦσος, spurcitia.

β. Copulae vetitae ob rationes temporaneas Lev. 18,18-21.

Arg. — Uxoris sororem ducere nefas, quamdiu vivit uxor; item coire cum muliere sanguiniflua, quamdiu durat fluxus; cum uxore proximi, quamdiu is superstes est; cum alienigena, quamdiu in sua superstitione perseverat. v. **18** « *Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem eius adhuc illa vivente* ». Vel obiter textum inspicienti patet, quam gratuito Protestantes Anglicani defendant, hoc textu vetari virum, quominus *defunctae* uxoris sororem ducat. Illud Deus fieri prohibet, quod fecerat Iacob patriarcha, infinitarum domi invidiarum causam.

לצרר *Chald. Syr.* explicavere e radice צרר significatione *tribulandi* accepta, ergo *ut sit in tribulationem ei*, sc. uxori. Haec interpretatio admitti nequit : 1) sic haec lex recederet ab eo planissimo dicendi genere, quod in his legibus deprehenditur. 2) Adiiceretur limitatio, quae totam legem inefficacem redderet : coniugium sc. cum uxoris sorore tum tantum prohiberetur, quando invidiae futurae praeviderentur; at quis vir, amore mulieris captus, non imaginatur omnia feliciter esse cessura? 3) Si ita sensissent *Masor.*, subcripsissent athnach non voci praecedenti, sed voci לצרר. — *LXX* ἀντίζηλον, aemulam. Concordat *Vulg.* : tamen pro *pellice* potius scribenda erat *uxor altera*. Consentiunt *Saadias* et *versio arab.* 1622 a Thoma Erpenio edita (cf. *P. de Lagarde* : Mittheilungen I 133, Goettingen 1884). Porro hebr. צרה, syr. ערא, arab. درة est terminus technicus ad designandam *uxorem alteram*, quam vir superstite prima uxore sibi adsciscit (cf. 1 Reg. 1,6). Ex eo nomine derivatur verbum denominativum צרר, ab altero illo צרר diversum, significatione *alteram facere uxorem*. — Recte idem *Lagarde* monet, hanc legem omnino supponere polygamiam : nulla

ratione affirmari possunt christiani hac lege teneri. Additamentum, quod LXX Deut. 27,23 soli habent : ἐπικατάρατος ὁ κοιμώμενος μετὰ ἀδελφῆς γυναικὸς αὐτοῦ, secundum nostrum textum explicandum est atque limitandum. — Cum expressio *vir ad fratrem suum* saepe idem sonet atque *alter ad alterum*, per se expressio *mulier ad sororem suam* etiam sensum admittit *una et altera mulier*. Quem sensum sapienter reiecit *Aug.*, cum eo polygamia vetaretur, quae certissime Iudaeis licita erat.

v. 19 « *Ad mulierem* », sive uxor sit (cf. 15,24), sive non sit, « *quae patitur menstrua* » (cap. 12), « *non accedes nec revelabis foeditatem eius* ». *Hebr. ad revelandam etc.* : quippe haec una accedendi ratio hac lege proscribitur. v. 20 « *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis* ».

De עמית cf. quae diximus ad 6,2 (5,21). Vox *popularem* designat, quo tamen non permittitur adulterium cum uxore alienigenae. — Constructionem duriorem *Syr.* explicare studebat. שכבתך לזרע, ubi altera vox etiam ut infinitivus punctari posset, idem est atque 15,16 sq. שכבת זרע, *semen virile*. Cf. Num. 31,17 משכב זכר, cui opponitur Lev. 18,22 בישכבי אשה. — *Ut maculeris in ea* rationem exprimit eiusmodi concubitus vitandi : spurcities est (cf. v. 23).

v. 21 « *De semine tuo non dabis, ut consecretur* [*idolo*] *Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus* ». Idem fusius 20,2 sqq. Probabilius verte : *de semine tuo non emittes ad foecundandam adventitiam.* v. 20 prohibebatur coitus cum uxore popularis : eratne igitur fas alienigenarum uxoribus abuti? Nequaquam, nam ab alienigenarum, sive coniugatarum sive solutarum, concubitu hac lege interdicebantur Hebraei.

In harum legum contextu זרע, uti v. 20, ipsum *semen* denotare debet, non *filios* (*Chald.*). תתן, uti v. 20. 23, eius seminis *emissionem* edicit. לבילך *LXX* ἄρχοντι, *Aq. Symm. Theod. Vulg.*, ad 20,2 sqq. etiam *Ps. Ion.*, ad idolum *Moloch* retulere. At *Syr.* et h. l. *Ps. Ion. aliena* : legebant sc. להלך, *adventitium quid*, cf. 2 Reg. 12,4. Eorum lectionem unice genuinam esse totus contextus clamat. Ceterum facile להלך corrumpebatur in לבילך, cum ob literarum ה et כי similitudinem, tum ob alteram notissimam expressionem העביר למולך (Ier. 32,35; Ez. 16,21), seu העביר לבילך באש (4 Reg. 23,10; Ez. 20,31), seu העביר באש (4 Reg. 17,17). — העביר זרע, *transmittere semen* est expressio omnino plana : in lingua chald. solum verbi piel, nullo nomine addito, sensum induit foecundandi. *Sam. LXX* העביד : pro qua lectione supponendum erit, hebr. עבד sicut chald. שביש a generali serviendi significatione transiisse ad designandum servitium sexuale, i. e. concubitum.

Igitur ea, quam proponimus, interpretatio in lectione *Syr.* et *Ps. Ion.* et in contextu Lev. 18,21 et 20,2 sqq. solidum habet fundamentum. Verum, dicet aliquis, coniugia alienigenarum non videntur postmodum punita esse lapidatione (Lev. 20,2), v. g. coniugia Salomonis 3 Reg. 11,1 sqq. — Respondeo primum, etiam Davidis adulterium 2 Reg. 11,4 non esse punitum supplicio Lev. 20,10 statuto : sat difficile est regem potentem iusto supplicio plectere. Respondeo secundo, Ex. 34,16 et Deut. 7,3 speciatim prohiberi coniugia Chananaearum, et absolute quidem, etiamsi illae ad sacra Hebraeorum accederent : perversionis quippe periculum etiam tum habe-

batur, cum ob earum mulierum inconstantiam, tum maxime ob constans cum earum cognatis idololatris commercium. Non tamen, si illae ad Hebraeorum sacra accessissent, lapidationi locus erat. Aliarum alienigenarum coniugia minime prohibebantur, dummodo Hebraeorum sacris iungerentur (Ruth 1,4). Id omnino egisse crediderim filiam Pharaonis (3 Reg. 3,1; 2 Par. 8,11); neque rationem video affirmandi, id reliquas Salomonis uxores alienigenas non egisse, licet postea in idololatriam relapsae sint. At Lev. 18,21; 20,2 sqq. sub poena lapidationis prohibetur copula cum muliere alienigena in sua superstitione perseverante. Quod sceleris genus non poterat Iahve alio nisi extremo supplicio plectere.

γ. Appendicula de copulis contra naturam Lev. 18,22 sq.

v. 22 « *Cum masculo non commiscearis coitu femineo* », *non concumbas concubitu femineo*, qualis cum femina habetur, « *quia abominatio est* ». 23 « *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo; mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est* ». Cf. 20,16. Cum secus hae leges directe dentur *viris*, tamen hoc v. 23 mulieris peccatum effertur, quod in Aegypto et alibi et frequens esset et sacrum haberetur.

Quaeres, cur formula *Ego Iahve* non extremo v. 23 et absoluta universa lege adscribatur potius, quam extremo v. 21. Fortasse lex primitus sola peccata attingebat, quae contra naturam non erant, ea vero alicui postmodum visa sunt adscribenda.

c. Epilogus Lev. 18,24-30.

Arg. — Is primum resumit argumentum v. 3, sed, omissis Aegyptiis, ostendit Chananaeorum impendentem ruinam ob luxuriae scelera imprimis infligendam. Repetit v. 26 exhortationem v. 5 « Custodite leges meas etc. » et, post rursum demonstrata Chananaeorum scelera et ruinam, eandem v. 30 ingeminat, concluditque vocibus « Ego Iahve Deus vester ».

v. 24 « *Nec polluamini in omnibus his* », et additur ratio : *quia in his*, seu « *quibus contaminatae sunt* [*universae*] *gentes, quos ego eiiciam ante conspectum vestrum* ». Quibus sane vos decet esse meliores. Omitte « *et quibus* » initio v. 25 : « *Polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos* ». En altera ratio eorum scelerum vitandorum, ne eandem incurrant poenam. Notat *Bonfr.*, non ob omnes cap. 18 leges neglectas reprehendi h. l. Chananaeos, cum aliquae iure naturae non obligarent, sed potissimum ob sodomiam et bestialitatem, et fortasse etiam ob ea matrimonia, quae vel iure naturae illicita erant. Ceterum fingi potest, vix non omnes has leges fuisse Moyse antiquiores et veterum patriarcharum auctoritate sancitas : eiusmodi quippe de propinquorum coniugiis leges vel ante diluvium

inter homines debuere sanciri. v. 26 *Vos autem « custodite legitima mea atque iudicia »* — *omnia* addit *LXX :* sed, quae immediate sequuntur, ostendunt verba referri tandem ad solas cap. 18 leges — *« et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus, qui peregrinantur apud vos »*. Explicite porro statuitur, Hebraeos pro sceleribus similibus similes poenas esse laturos v. 27 : *« Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolae terrae, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam »* : v. 28 *« cavete ergo, ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos »*. *Hebr.* accipi potest per modum interrogationis. *LXX* καὶ ἵνα μή. v. 29 *Nam* — alia pro v. 24. 26 adiicitur ratio — *« omnis anima, quae fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui »*, Israelitarum iuribus privabitur, morte civili plectetur (cf. 17,4). v. 30 *« Custodite mandata mea. Nolite facere, quae fecerunt hi, qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester »*.

2. *Legum congeries* Lev. 19.

De eius structura dicebamus ante. Inter exordium v. 2 et clausulam v. 37 lex interiacet, v. 19 sententiola « Leges meas custodite » in duas partes divisa. Ante quam (v. 2. 4. 10. 12. 14. 16. 18) et post quam (v. 25. 28. 30. 31. 32. 34. 36) sententiolam *septena* leguntur « Ego Iahve ». — Dum in his deprehenditur insignis symmetria, duae partes v. 2-18 et v. 19-36 a symmetria nonnihil deficiunt. Et in priore quidem parte singulis « Ego Iahve » praemittuntur mandata *bina :* 1) de parentibus et de sabbato, 2) de idolis et de sculptilibus, 3) de pacificis et de quibusdam in messe et in vindemia observandis, 4) de improbitate et periurio, 5) de mercenariis et de caecis et surdis, 6) de iniquo iudicio et de falso testimonio, 7) de odio interno et de ultione privata. In secunda parte non plane constat, quot sint diversa mandata; at certe *non* respondent *bina* singulis « Ego Iahve » : 1) de disparatis, de adulterio cum serva commisso, de praeputio fructuum, 2) de superstitione, 3) de quaestu e prostitutione non quaerendo, de sanctuarii religione, 4) de magis et ariolis, 5) de senum reverentia, 6) de peregrinis fovendis, 7) de iustitia in pondere et mensura observanda. Aut primus auctor a perfecta partium symmetria defecit, aut secundae partis symmetria aliquando est turbata, aut priore primum parte plane symmetrice concinnata, aliquis alteram partem adnectens symmetriam illam tentavit quidem imitari, sed assecutus non est.

Non uno aequali stilo mandata haec omnia sunt concinnata. Pleraque

omnino concinne ad instar mandatorum decalogi; sed alia liberiore calamo. Illa v. g. de pacificis v. 5-8 et de adulterio cum serva commisso v. 20-22 imitantur stilum aliarum legum ceremonialium. Cf. v. 9 sq. 23-25. 33 sq. Non, sicut in decalogo, unus auctor varia officia suis ipse verbis expressit, sed varias leges a variis profectas in unum collegit. Colligendi finis non erat (*Dillm.*) omnia in brevissimam redigere formam, quo facilius memoriae mandarentur. Neque studiose omittuntur (*Dillm.*), quae alibi in suo scripto iam dixerat ille collector, quin potius fere totus repetitur decalogus. Non proceditur a gravioribus ad leviora. Sed varia axiomata moralia, maiorum exemplo et praecepto consecrata, quaeque omnium ore circumferebantur, in unum colliguntur atque adscripta formula « Ego Iahve » divina auctoritate confirmantur. Penitius iam legum v. 19. 23-25 rationem perspicies. Quae si a Deo primum editae pronuntientur, nescio quid humile sapiunt Deoque parum dignum. Age, quid Dei interest, duobus bobus aret quis an bove et equo? Plana est res, si supponas antiquitus iam omnimodam, quae observari deberet, stirpis electae integritatem moribus v. 19 descriptis exprimi, v. 23-25 tamquam circumcisionis amplificationem aliquam observari consuevisse. Facile perspicitur, quomodo una cum circumcisione populique electi a reliquis populis segregatione Iahve eos etiam mores comprobaverit Perspicies item, quod supra suggerebamus, potuisse alteram capitis partem serius adscribi, fortasse ab ipso praecedentium axiomatum collectore Moyse: sc. post priorem axiomatum seriem absolutam occurrere ei axiomata alia, quae item digna visa sunt, quae in album sacrum referrentur, quaeque ritu prioribus simili, sed non plane eodem fuere adiecta. Mandata cap. 19 recensita fere omnia sunt eiusmodi, quae debuere a Moyse non semel, sed frequenter inculcari; pleraque iam antea in Ex. vel Lev. habuimus. « Omnia quidem, ut ita dicamus, Moyses legis capitula bis terque populo praecepit, frequenti traditione memoriam eorum auditoribus promulgans » (*Hesych.*). « An autem omnia sunt eodem ordine Moysi proposita, quo Moyses hic ea recitavit, non liquet » (*Sylv.*), neque scire iuvat.

Cap. XIX v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere ad omnem coetum filiorum Israel, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum* ». Hoc idem 11,44 principium appellabat Deus, quo Hebraeos induceret, ut ab omni legali immunditia sibi caverent; hoc saepius in sequentibus appellabit principium. « Recte sanctificationem praeposuit, quia omnis virtutis est fundamentum. Superaedificat autem mandata super hoc fundamentum, extra quod nemo potest ponere aliquid » (*Hesych.*). *Ego* (*Sylv.*) « *Dominus Deus vester* ».

a. Legum series prior Lev. 19,3-18.

α. De parentibus et de sabbato Lev. 19,3.

Agmen aperiunt compendio repetita illa duo decalogi mandata, quae non erant formae negativae (כבד, ירא); praemittiturque mandatum de reverentia parentum h. l. fortasse ideo, quod immediate praecedat caput coniugia et familias respiciens. Legem sabbati diximus a Moyse invectam, uti etiam probabilius v. 4 simulacrorum prohibitionem.

v. 3 « *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat* ». Cf. Ex. 20,12. *Hebr. Sam. Chald.* patri anteponunt matrem; item *Hebr. Chald.* 21,2 : lectio est incerta, discrimen parvi momenti. Haec etiam lex (cf. 17,3; 18,6) orditur a voce איש, constructione illico deflectente ad 2 pers. plur., quae cum 2 pers. sing. iam per totum cap. 19 scribitur, excepto v. 20, ubi adulterii crimen urbanius non 2ae sed 3ae personae attribuitur. « *Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester* ».

β. De idolis et de sculptilibus Lev. 19,4.

v. 4 « *Nolite converti ad idola* », « non declinetis ad cultum idolorum » (*Ps. Ion.*), « *nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester* ».

γ. De pacificis et de quibusdam ab agricolis observandis Lev. 19,5-10.

v. 5-8 adscribitur monitum de sacrificiis pacificorum, cf. 7,11 sqq. Repeti hoc monitum coniicit *Hesych.*, quod fuerit magis necessarium. Neque omnia ad haec sacrificia spectantia repetuntur (cf. 22,19-25), sed ea in quibus laici facilius deficerent : cum enim aliarum victimarum nihil illis cederet, pacificae illis cedebant fere totae (*Tost.*), erat igitur abusui locus. v. 5 « *Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis* », — *Hebr. : in placationem vestram immolate.* Est autem ea expressio uti, 1,3 et Ex. 28,38 exponenda : *LXX* δεκτήν, *rite offerte;* non « sponte vestra, ultro, voluntarie » (*Vat.*). v. 6 « *Eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero. Quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis* ». v. 7 « *Si quis post biduum comederit ex ea* », *corruptum est, Aq.* ἀπόβλητον, abiiciendum (*Chald. Syr.*), hinc *LXX* ἄθυτον non sacrificatum, invalidum, *non erit acceptabile* et ideo, qui comederit, « *profanus erit et impietatis reus* »; *Vulg.* sc. pro causa effectum scribit. v. 8 « *Portabitque iniquitatem suam* »

(cf. 5,1), « *quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo* ».

Biduum hic videtur concedi pro pacificis universis, dum 7,16 sqq. biduum pro iis solis concedebatur, quae voto vel sponte offerebantur. Unde *Bonfr.* aliique censent, ad eadem haec nostrum etiam textum esse restringendum. Tamen ipse textus restrictionem non habet. Recole, quae diximus, non omnes has a Moyse primo leges esse promulgatas, sed antiquiores plures ab ipso esse collectas et restauratas. Potest is igitur concipi cap. 7 antiquam cum sua restrictione legem promulgasse, Deum vero h. l. restrictionem benigne relaxasse.

v. 9 » *Cum messueris segetes terrae tuae* », — sed reliqui *cum messueritis etc.*, et sequenti inciso pergunt numero singulari. Sensus ergo fere est : tempore messis; tempore, quo omnes metuntur agri — « *non tondebis* [*usque ad solum*] *superficiem terrae* » : est interpretamentum, illudque minus verum. *Hebr. : non perficies marginem agri tui,* non usque ad extremum agri marginem metes, sed extrema intacta relinquès; pauperibus relinquendae sunt integrae spicae, non vero solum palearum pars inferior. « *Nec remanentes spicas colligas* ». Haec novum quid praecedentibus addunt : *et, quae decidunt messis tuae, non colliges* (*LXX*). Margo linquendus intactus; praeterea, quidquid per totum agrum effugerit primum colligentium manus, relinquatur. Deut. 24,19 vel manipulum relictum dimitti iubet. Cf. Lev. 23,22. v. 10 « *Neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis* ». *Hebr. : Et vineam tuam non racemaberis et, quae circumiacent in vinea tua, non colliges.* Non uvas relictas decerpes neque decidua colliges. Ceterum כרם non solas vineas exprimit, sed item (Iud. 15,5) *oliveta,* quae Deut. 24,20 effert, itemque Syr. h. l. « *Sed pauperibus et peregrinis* » — Deut. 24,20 « et orphano et viduae », omnis generis indigentibus — « [*carpenda*] *dimittes* ». « Secundam vindemiam relinques pauperibus » (*Mar.*). Deut. 24,22 adscribitur ratio : « Memento, quod et tu servieris in Aegypto, et idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem »; non quasi similem pauperibus indulgentiam Aegyptii exhibuerint, qui spicilegium sibi reservabant (*Erman* p. 572); sed quia pauperes referunt similitudinem Hebraeorum, qui et ipsi in Aegypto pauperes fuerant et advenae. Neque tamen ex hac ratione omnino vera concludere fas est, non etiam patriarcharum tempore eiusmodi indulgentiam pauperibus concedi consuevisse. « *Ego Dominus Deus vester* », « qui id praecipio » (*Vat.*), et qui divites facio (*Hesych.*).

δ. De improbitate et de periurio Lev. 19,11 sqq.

v. 11. « *Non facietis furtum* » (cf. Ex. 20,15), « *non mentiemini* », —

כחש proprie significat *denegare*, v. g. depositum 6,2 (5,21), etiam eam, cuius audiendae alteri ius est, veritatem (3 Reg. 13,18). Prior sensus hic videtur propter contextum praeferendus : non fureris clam proximo, non in faciem illi deneges sua, non eum fallas in negotio, multo minus quod falsum est iuramento confirmes — « *nec decipiet unusquisque proximum suum* », i. e. *popularem :* cf. quae dicebamus ad 6,2. Cum etiam כחש construatur cum ב, melius ad tria verba referuntur extremae voces : ne furando, aut quod iustum est denegando, aut decipiendo invicem laedatis. v. 12 « *Non periurabis* » — reliqui *periurabitis* — « *in nomine meo* » *in deceptionem*, « *nec pollues nomen Dei tui* » tali iuramento (*Vat.*) ; non agitur de nomine Dei vane appellando vel similibus (*Dillm.*), quibus cum iniustitia in proximum nihil per se est commune. « *Ego Dominus* ».

ε. De mercenariis et de caecis et surdis Lev. 19,13 sq.

Dum v. 11 sq. populares respicit Israelitas, v. 13 respicit *proximum* universim, imprimis non Israelitas, qui, ubi inter Israelitas degant, erunt utique servorum seu mercenariorum loco. Ita haec lex praecedentem complet. v. 13 « *Non facies calumniam proximo tuo* », seu rectius *non opprimes* eum ; cf. Deut. 24,14 « non opprimes mercenarium pauperem » ; « *nec vi opprimes eum* ». גזל *eripere*, 6,2 vertitur *extorquere :* videtur agi de extorquendo a mercenario paupere, imprimis non Israelita, labore gratuito aut qui oblatam excedat mercedem. Sequentia agunt de iusta mercede non differenda. « *Non morabitur opus* », i. e. merces, « *mercenarii tui apud te usque mane* », quam persolvi oportebat vespere. Cf. Deut. 24,15 ; Tob. 4,15. — Legi in favorem mercenariorum pauperum latae altera adnectitur, quae aliud miseriae genus respicit v. 14 : « *Non maledices surdo* », qui convicia nequit intelligere neque efficaciter refutare, « *nec coram caeco pones offendiculum* » (Deut. 27,18). « Etsi hi defendere se non possunt, Deum tamen, qui videt et audit, vindicem iniuriae habebunt (*Bonfr.*). Hinc : « *sed timebis Dominum Deum tuum. [Quia] ego sum Dominus* ».

ζ. De iniquo iudice et de falso testimonio Lev. 19,15 sq.

In iudiciis servanda iustitia. Primum verbum reliqui scribunt plurali. v. 15 « *Non facies, quod iniquum est* », *in iudicio*, quam vocem his amplificat : « *nec iniuste iudicabis* ». « *Non consideres personam pauperis* », ut paupertatis ergo illi iniuste faveas (*Hesych.*), « *nec honores vultum potentis* », ut potentiae reverentia illum iniuste absol-

vas. « *Iuste iudica proximo tuo* », *populari tuo*. Et haec quidem iudici dicuntur, sequentia etiam accusatori et testibus. v. 16 « *Non eris criminator* [*nec susurro*], *in populo* » *tuo. Hebr. : non ibis calumniator etc. :* « aliud enim est occurrentia aliorum gesta videre, aliud est ire ad explorandum, quae ab aliis fiunt » (*Cai.*), eaque postmodum ad calumniam detorquere. « *Non stabis contra sanguinem proximi tui* ». Dum accusatorem aut testem agis, hoc unum intendas, ut fiat iustitia, non ut per fas et nefas aliquis interimatur, cf. Ex. 23,7. « *Ego Dominus* ».

η. De odio et de ultione Lev. 19,17 sq.

Iniuriae quomodo ferendae. v. 17 « *Non oderis fratrem tuum in corde tuo* », i. e. « odio occulto » (*Cai.*), « [*sed publice*] *argue eum* », sane eo imprimis fine, ut iniuriam reparet (*Calm.*), et hinc *publice* et coram iudice (*Men.*), « *ne habeas* », aut rectius *et non habebis* « *super illo peccatum* » : declaratur imprimis actio coram iudice omni peccato carere. Verum v. 18 « *non quaeras ultionem* » *manu tua* (*LXX*), « *nec memor eris iniuriae civium tuorum* », non nutries iram et odium interne, sed « *diliges amicum* », seu verius *proximum* « *tuum, sicut te ipsum. Ego Dominus* ».

Formula utramque seriem dividens.

v. 19 « *Leges meas custodite* ». Cf. 18,4 sq. 30.

b. Legum series posterior Lev. 19,19-37.

α. De disparatis, de adulterio cum serva commisso, de praeputio fructuum Lev. 19,19-25.

« *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus* ». Certe mulos sine peccato procurari censebant Hebraei demonstratque *Hesych.* 3 Reg. 1,44 et Davidem et Salomonem mulo insidentes. Loco parallelo Deut. 22,10 legitur : « Non arabis in bove simul et asino ». Facile תחרש ב corrumpebatur in תרביע. Censeo igitur sensum h. l. esse : « Non arabis *in disparatis* », animalia diversae speciei eidem simul submittens iugo. « *Agrum tuum non seres diverso semine* », *Hebr. disparatis;* ne seras frumentum inter vites, cf. Deut. 22,9. *Disparatis,* i. e. « *veste, quae ex duobus texta est* », lana et lino (Deut. 22,11), « *non indueris* ». שעטנז, vox probabilius aegyptiaca, incertae derivationis. *LXX* κίβδηλον, adulteratum.

Legis rationem, quam scriptura nusquam indicat, sola coniectura attingere pos-

sumus. Caietani aliorumque subtiliores explicationes consulas. Nos sequentem proponimus. Antiquus hic mos invectus est ad significandum, quam studiose stirps electa temperare debeat a coniugiis nationum a Deo proscriptarum. Quae coniugia h. l. repraesentantur diversarum specierum animalibus sub idem iugum coactis, diversarum specierum seminibus in eundem agrum demissis, lana et lino in unum pannum contextis.

v. 20 « *Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quae sit ancilla* [*etiam*] *nubilis, et tamen pretio non redempta nec libertate donata* » (Ex. 21,7 sqq.), quo casu ipsa esset priore coniugio soluta et concubitu subsequente fieret alterius viri uxor, « *vapulabunt ambo et non morientur, quia non fuit libera* ». Agitur de ancilla coniuge ab hero repudiata sed nondum liberata, ideoque aliis nuptiis *adhuc* inhabili. Concubitus cum illa, licet sit utique adulterium, per indulgentiam non consideratur neque punitur ut tale. v. 21 « *Pro delicto autem suo* » (אשם) « *offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem* », v. 22 « *orabitque pro eo sacerdos et pro peccato eius coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum* ».

Agi de *coniugata* patet e verbis *non morientur* : adulterium quippe morte plectebatur, non oppressio solutae. Ergo נחרפת לאיש certe non est *nubilis*, qua voce praeterea ridicule excluditur et ea quae nondum nubilis, et ea quae esset superadulta. לאיש videtur *Syr.* retulisse ad ipsum, qui concubuerit, virum; liberius quippe vertit *empta ab ipso viro*. Ergo ille vir emptionis quidem contractum inivit, sed *redemptionis* (Ex. 21,8) pretium non persolvit, neque illa sine pretio ab hero fuit *liberata*. Quod ubi primum fiebat, solvebatur ipsa priore coniugio et licite ad alterum torum convolabat. Quia igitur ille vir ante perfecte persolutum contractum cum illa concubuit, potuit theoretice adulterii reus haberi, h. l. tamen mitius tractari iubetur. Videtur tamen is casus longius peti, neque quisquam eiusmodi homines adulterii reos habuisset; exspectabas item לו loco לאיש. *Masor. Chald. LXX Vulg.* לאיש interpretabantur indeterminate ancillam *alicui* viro coniugatam, ergo aut ipsi hero (cf. Ex. 21. 8), aut fortasse alicui eius servo; etenim secundum Ex. 21,4 crediderit quis hero ius fuisse, ubi et maritum et uxorem servos haberet, uxorem divendere retento in servitute marito, qua venditione servorum coniugium solveretur. Igitur Lev. 19,20 agit de vero adulterio, et adulterium cum serva patratum mitius tractatur quam adulterium cum libera. Non prohibebantur quidem liberorum cum ancillis coniugia, sed hac lege inferiore constituebantur loco, eorum laesio ceteris adulteriis mitius plectebatur, nulla laeso marito hero concessa satisfactione, sed sola Iahve delata victima pro gravioribus delictis afferri solita. Vere igitur *Kn.* legem hanc legis v. 19 pronuntiat esse affinem, cum v. 20 disparatorum coniugiis notam inurat, v. 19 disparata adhiberi proscribat. — Definiendus superest expressionis נחרפת לאיש sensus. *Chald. appropriata*, *LXX custodita* sensum circumscribunt potius quam vertunt. חרף nativam habet significationem *acuere*, hinc *verbis acutis impetere*, *improperari*, hinc *proiicere* (Iud. 5,18; 9,17). Sed adest item radicis significatio *vellere*, *decerpere*, quae ad defloralionem virginis transferri posse videtur. Imo chald. חורפא (cf. arab.) est *oricula*, quae tenera appellatio quandoque uxoribus tribuitur. Quodcunque libuerit, selige. — בקרת non est *punitio* (*Vulg.*), quae significatio radici neque apud He-

braeos neque apud Chaldaeos competit. Sensus nativus est *inquirere, considerare* (*LXX* ἐπισκοπή), unde *Ps. Ion.* suggerit inquisitionem coram iudice faciendam. Praeterea chald. בקר vel פקר significat *dimittere, vacuum relinquere;* habeturque commodus sensus : dimissio erit, non morientur; dimittentur graviori poena immunes. Ab ea porro radicis significatione petitur chaldaeum בקרותא, *vacuitas, petulantia :* petulantia est tantummodo, non quale in lege intelligitur adulterium (lectio aliqua LXX ὄνειδος), non interimentur tamquam adulteri.

Arborum « fructus primi magis aquosi et indigesti, ideoque insalubriores sunt posterioribus » (*Men.*). v. 23 « *Quando ingressi fueritis terram et plantaveritis [in ea] ligna pomifera, auferetis praeputia eorum* »; verbotenus *Hebr. praeputiabitis,* cuius vocis sensus etiam esse potest *observabitis. LXX circumpurificabitis impuritatem eorum.* « *Poma, [quae germinant]* », *tribus annis praeputia* seu « *immunda erunt vobis, nec edetis ex eis* ». « Praeputia arborum fructiferarum sunt primi trium annorum fructus, quos ipsae producunt. Et vocantur praeputia allusione facta ad circumcisionem pueri. Sicut enim puer erat immundus, donec in circumcisione auferretur ab eo praeputium et tamquam aliquid immundum abiiceretur, ita arbores illae habebantur immundae, sic ut de fructibus earum edere non liceret, donec trium annorum fructus ex illis decerpti essent abiecti » (*Sylv.*). « Praeputia vocantur, quae superflua sunt et resecari debent in arboribus » (*Mar.*). v. 24 « *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino* ». v. 25 « *Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quae proferunt. Ego Dominus Deus vester* ».

β. De superstitione Lev. 19,26-28.

Sequuntur leges contra superstitionem. v. 26 « *Non comedetis cum sanguine* ». אכל על הדם habes 1 Reg. 14,32 sqq.; Ez. 33,25 : habebis ergo h. l. praeter omnem contextum inculcatam prohibitionem, ne caro cum sanguine manducetur. At pro הדם legebant *LXX* הרם, *super montes*, et ita totus versus est de superstitionibus. Comedere in montibus autem euphemismus videtur esse pro sacrificare in montibus. « Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum (1 Cor. 10,21). Nam in montibus sacra fiebant daemoniis (*Proc.*). — « *Non augurabimini* ». נחש sibilare, susurrare : cf. Gen. 44,5, ubi agitur de Ioseph e scypho augurium petente. — « *Nec observabitis somnia* ». Superstitionem intelligi certum est, reliqua sunt plane incerta : etymon vocis תעוננו secuti, alii alia suggessere, nubes, aves, sonos etc. — v. 27 « *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam* ». Vetantur praecidere *cincinnos.* Cf. 21,5. Porro aliae gentes cincinnos, comam, barbam radebant ex superstitione, cf.

P. Scholz : Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebräern, Regensburg 1877, p. 57 sq.

Is. 3,17 dicitur Dominus esse decalvaturus verticem filiarum Sion et earum פת esse nudaturus; quo facto v. 24 « pro opere tornatili erit calvitium ». Idem igitur est crinium opus tornatile, atque פאת, ambaeque voces exprimunt *cincinnos*. Hinc Ier. 9,26; 25,23; 49,32 gentes ethnicae circum incolentes vocantur « attonsae cincinnos », et ita quidem ut hae gentes habentes attonsos cincinnos sed incircumcisum praeputium opponantur Hebraeis cincinnos producentibus et praeputium circumcidentibus. Hodiedum conspicui sunt Iudaei orthodoxi ob comae barbaeque cincinnos. — תקפו *facietis circuire*, supple novaculam : cf. *Vulg. Symm.* — תשחית *corrumpes* (*LXX Chald. Syr.*), quod *Vulg.* et *Ps. Ion.* vertunt *radere*. A corrumpendi significatione derivatur significatio *destruendi :* cf. chald. חבל.

v. 28 « *Et super mortuo* » — ita recte *Vulg. Chald.* interpretari נפש ostendit 22,4; Num. 5,2; 9,6. 7. 10 — « *non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis* ». Scriptura קעקע seu ככע (*Sam.*) quid sit, penitus ignoramus. *LXX* γράμματα στικτά, *Chald. signa exsculpta :* creduntur fuisse characteres aliqui cuti incisi, succo aliquo erodenti perfusi, qui et ipsi sine dubio superstitionem habebant. Cf. *Scholz* l. c. p. 58. « *Ego Dominus* ».

γ. De prostitutione et de sanctuarii religione Lev. 19,29 sq.

v. 29 « *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra* » ; *Hebr.* bis idem scribit verbum : *Ne prostituas filiam tuam ad fornicationem, ne fornicetur terra*, homines, quia peccatum hoc « ad multos extenditur » (*Tost.*), « *et impleatur piaculo* ». Insistit textus in hoc, vitium istud, quod ethnicis innocens videbatur et vix non sacrum, revera scelus esse et Dei iram provocare tanto severiorem, quanto latius spargatur. Quando pater filiam prostituit, id generatim facit habitualiter et lucri gratia. Hinc permanens prostitutio imprimis h. l. intelligitur, licet ea, quae una alterave vice fit aut non propter lucrum, verbis item includatur. An specialius etiam intelligitur prostitutio sacra, quae in ethnicorum festis et templis usuveniebat? Id putabat *Cai.* ob nexum cum v. 30 : tamen, subsitne intimior hic inter duos versus nexus, non liquet. v. 30 « *Sabbata mea custodite, et sanctuarium meum metuite. Ego Dominus* ».

δ. De magis et ariolis Lev. 19,31.

v. 31 « *Non declinetis ad magos* » seu necromantios, « *nec ab ariolis aliquid scisciteminí* », qui futura et abscondita nosse praetendunt (cf. quae diximus ad 1 Reg. 28,3), « *ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester* ». Cf. 20,6. 27.

ε. De senum reverentia Lev. 19,32.

v. 32 « *Coram cano capite consurge, et honora personam* », *faciem* « *senis, et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus* ». Cf. Prov. 16,31; 20,29; Iob 12,12.

ζ. De peregrinis fovendis Lev. 19,33 sq.

Ad legem de peregrinis cf. Ex. 22,21 (20); 23,9; Deut. 10,19. Pro אתך *LXX Chald. Syr.* אתכם. v. 33 « *Si habitaverit advena in terra vestra* [*et moratus fuerit inter vos*], *non exprobretis ei* », non opprimatis eum; v. 34 « *sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenae in terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester* ». Textus hebr. nonnihil facundior prodit, quantopere haec lex Deo cordi sit.

η. De iustitia in pondere etc. servanda Lex. 19.,35 sq.

Recensentur res quatuor, in quibus praeprimis homo sibi cavere debet ab iniustitia. v. 35 « *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio* », — sed cum de hoc iam dictum sit v. 15 sqq., istud h. l. praetermittitur, et ad sequentia fit gressus : « *in regula* » ad extensionem mensurandam (Ex. 26,2.8), « *in pondere, in mensura* » liquidorum (Ez. 4,11. 16). Mensuras liquidorum et extensorum nimis docte (!) distingui censet *Dillm.;* esse distinctionem non inter plebeios natam, sed a sacerdotibus ingeniose excogitatam : tamen plebeii quoque extensa metiri consueverunt linea, liquida amphoris. Prohibitio v. 35 magis explicatur positivo praecepto v. 36 : « *statera* » (Iob 31,6) « *iusta, et aequa sint pondera* », *Hebr. lapides*, qui sc. in sacculo circumferebantur (Deut. 25,13) erantque certi ponderis, « *iustus modius* » ephi (Ex. 16,36; 29,40), « *aequusque sextarius* » hin (Ex. 30,24). « *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti* ».

Clausula generali haec legum congeries absolvitur v. 37 : « *Custodite omnia praecepta mea et universa iudicia, et facite* » ea. « *Ego Dominus* ».

3. *Variorum scelerum poenae* Lev. 20.

20,7-26 omnino correspondet capiti 18, statuitque poenas in peccata luxuriae ib. recensita, non cum alienigenis commissa. Uti cap. 18, habet cap. 20 exordium v. 7 sq. et prolixiorem epilogum v. 22-26. Uti 18,6, orditur v. 9 vocibus איש איש, dum sequentes versus simplex ha-

beant איש. Prosequitur 20,7-26 peccata illa omnia (cf. dicenda post v. 21), sed alio atque cap. 18 ordine. Dum sc. cap. 18 illa scelera proximitatis ordine recensebat, cap. 20 eadem secundum poenam infligendam in duas classes secernit. Adulterium, incestus cum patris uxore aut nuru admissus, sodomia, matrimonium attentatum cum matre simul ac filia, bestialitas morte plectuntur v. 10-16; coitus cum sorore, muliere seminiflua, matertera vel amita, uxore patrui vel avunculi, uxore fratris v. 17-21 punitur morte civili et consequente illegitimitate prolis. Prolem prioris etiam classis scelerum illegitimam fuisse, per se patet. Hae poenae non videntur cum ipso, qui legibus cap. 18 exprimitur, more esse natae, secus cum illis legibus unicum efficerent documentum. Sed cum coniugia illa, quae maiorum mores reprobabant, multiplicarentur, tum tandem poenae in eos, qui talia attentarent, ferri coeptae sunt. An hae poenae omnes iam ante Moysen fuerint decretae, an aliqua ipse addiderit auxeritve, ignoramus.

Verum huic poenarum catalogo, qui in se est omnino unus, praefigitur v. 2-6, subnectitur v. 27. Assignabimus primum additi v. 27 rationem. Respicit is v. 6 comminantem eos, qui consulant pythonem; at id aliquando non est visum sufficiens, sed statuenda poena in Israelitas illos, qui pythonem ipsi haberent et eius ope oracula ederent. Quare v. 27 in eos lata est poena mortis, et quidem lapidationis, et loco נפש v. 6 scriptum איש או אשה, ne quam sibi mulieres magae promitterent indulgentiam. Quando hic versus sit additus, nescimus; tempore Saulis regis (1 Reg. 28,3) certe vim legis obtinebat. Additus est, postquam iam in unum textum concreverant v. 2-6 et v. 7-26 : secus enim, qui nunc est v. 27, immediate post v. 6 esset insertus.

v. 2-6 duas respicit leges, unam 18,21 condemnantem coitum cum alienigena infideli, alteram 19,31. Illa non est inserta 20,7-26, quod hic locus sola Israelitarum inter se peccata respiceret, et fortasse quod, quo tempore prope Sinai versarentur Israelitae, vix essent alienigenae in regione deserta. Postea autem, v. g. tempore de quo agit Num. 25, potuit ea lex videri summe necessaria. Lata est igitur cum multa emphasi v. 2-5, statuto non quovis, sed lapidationis supplicio, vocibus v. 2 איש איש conformata versui 9. Potuit eodem tempore invalescere superstitio adeundorum magorum, unde adscripta v. 6 comminatio, nondum vero decretum supplicium. Potuitque ea tanto facilius h. l. adscribi, quod ea superstitio conciperetur tamquam spiritualis *fornicatio* cum diis *alienis*, ideoque non absurde appenderetur prohibitioni coitus cum muliere *aliena*.

a. Decreta praevia duo Lev. 20,1-6.

α. Poenae coeuntium cum mulieribus ethnicis Lev. 20,1-5.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Haec loqueris filiis Israel : Homo de filiis Israel et de advenis, qui habitant in Israel* », qui advenae 17,8 sqq. intra fines Israelis ab idololatria et comedendo sanguine interdicebantur, « *si quis dederit de semine suo* [*idolo*] *Moloch* », — verte uti 18,21 *mulieri adventitiae*. Ita *Syr.*; *LXX* ἄρχοντι non sane cogitabant idolum Moloch ; e contra *Ps. Ion.* voces etiam inserit « comburens igni ». Igitur advenae quoque prohibebantur secum adducere vel sibi arcessere mulieres alienas, quia hae quoque periculo fuissent Israelitis — « *morte moriatur, populus terrae lapidabit eum* ». Rationem eius severitatis pandit v. 3 : « *Et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui* », illud per populares supplicium infligendo, « *eo quod dederit de semine suo Moloch* », mulieri alienigenae, « *et contaminaverit sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum* ». Superstitio quaevis intra fines populi electi admissa in ipsum sanctuarium redundat. v. 4 « *Quodsi negligens populus terrae* [*et quasi parvipendens imperium meum*], *dimiserit hominem, qui dedit de semine suo Moloch* », mulieri alienigenae, « *nec voluerit eum occidere* » : v. 5 « *ponam faciem meam super hominem illum et super cognationem eius* », qui sane ceteris acrius censendi sunt eius supplicio obstitisse, « *succidamque et ipsum et omnes, qui consenserunt ei, ut fornicaretur cum Moloch* », i. e. cum alienigena, « *de medio populi sui* ». Nervosius *Hebr. : qui fornicati sunt cum ipso in fornicando cum alienigena.* Qui enim alterius peccatum adiuvat vel defendit, eius peccati ipse quoque reus fit. Hae porro minae includunt fautores etiam illos, qui cognati non essent.

β. Poenae consulentium magos Lev. 20,6.

v. 6 « *Anima, quae declinaverit ad magos et ariolos* » (19,31), « *et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui* ». « Est enim implicita quaedam idololatria atque adeo et spiritualis fornicatio, a daemone responsa quaerere de futuris vel internis... Qui de iis daemonem consulunt, ei scientiam Deo propriam attribuunt » (*Bonfr.*).

b. Poenae attentantium coniugia illicita Lev. 20,6-26.

α. Formula capitis partes distinguens Lev. 20,7 sq.

Exordium constat duabus formulis e consuetis, quaeque v. 22. 26 in epilogo repetuntur. v. 7 « *Sanctificamini* », sanctos vos servate, « *et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester* ». v. 8 « *Custodite praecepta mea et facite ea : ego Dominus, qui sanctifico vos* ». Haec monitio est sat similis clausulae 11,44, quin ex ea similitudine cum *Dillm.* inferre liceat, perperam *Sam. LXX* v. 7 omittere והתקדשתם. Quae vox cum vix non omnes litteras habeat easdem cum sequente והייתם קדשים, et facile ante eam potuit excidere, et facile eiusdem reduplicatione produci.

β. Poena capitis Lev. 20,9-16.

v. 9 « *Qui maledixerit patri suo aut* » — ita recte *LXX Vulg.* interpretantur copulam — « *matri, morte moriatur* ». Repetitur poena Ex. 21,17 indicta pro laesa obligatione Lev. 19,3 expressa. « *Patri matrique maledixit : sanguis eius sit super eum* », *reus est* (*LXX*); tantum scelus patravit, quod necis infligendae abunda est ratio. « Aliam mortis causam ne require : satis est hac una » (*Bonfr.*). Qua emphasi enormitas sceleris depingitur. Monetque *Cai.*, sicut unam blasphemiam in Deum (24,16), ita unam etiam parentum maledictionem morte fuisse luendam. Sed merito quaeres, cur eius maledictionis poena principem locum obtineat in catalogo poenarum infligendarum ob attentata infanda connubia. Adverte, 18,7 scelus cum matre commissum primum item locum obtinere. Igitur 20,9 poena sancitur in parentum maledictionem, quo et haec maledictio puniatur, et simul euphemistice ipse ille infandus incestus plectatur : atrocius quippe patri opprobrium infligi nequit, quam si « reveletur turpitudo eius » (Gen. 9,23), turpitudo autem matris est turpitudo patris. Poena igitur 20,9 omnino indicitur etiam in scelus 18,7.

v. 10 « *Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, morte moriantur et moechus et adultera* ». Cf. 18,20; Deut. 22,22. Poena Io. 8,5 infligebatur lapidatio. Textus hebraeus est impeditior, censetque *Dillm.* duos centones a libri redactore esse consutos : potuerunt etiam, diu post absolutum librum, duae eiusdem versus lectiones confundi. Sed melius tamquam spurium dele alterum אשר, et habebis eandem atque v. 11 constructionem : *Si moechatus est homo cum uxore alterius, moechatus est cum*

uxore proximi sui, morte moriantur etc. — v. 11 « *Qui dormierit cum noverca sua* », — *Hebr. cum uxore patris* 18,7 sq. : ergo cum altera patris uxore superstite matre, quae tum uxor non erit noverca ; cum patris uxore aliqua, etiam defuncta matre — « *et revelaverit ignominiam patris sui* », — aliter *Hebr.* construit, enormitatem sceleris uti v. 9 demonstrans : *ignominiam patris sui revelavit!* — « *morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos* ». Idem sine dubio et ob eandem rationem dicendum erat de coitu cum filia vel nepte. — v. 12 « *Si quis dormierit cum nuru sua* » (18,15), « *uterque moriatur, quia scelus* » (18,23) « *operati sunt : sanguis eorum sit super eos* ». Agitur imprimis de nuru et noverca viduis (*Cai.*) : secus iam ex lege v. 10 supplicium imminebat. v. 13 « *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas : morte moriantur, sit sanguis eorum super eos* ». Cf. 18,22. v. 14 « *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem eius, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis, nec permanebit* [*tantum*] *nefas in medio vestri* ». Cf. 18,17. v. 15 « *Qui cum* [*iumento et*] *pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite* ». Cf. 18,23; Ex. 22,19. v. 16 « *Mulier, quae succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos* ». Cf. 18,23.

γ. Poena mortis civilis Lev. 20,17-21.

Stilus v. 17 sq. est nonnihil impeditior. Et primum scelus pluribus describitur : *vidit turpitudinem eius* (sororis) *et ipsa vidit turpitudinem eius* (fratris) ; *fontem eius* (mulieris) *nudavit et ipsa discooperuit fontem sanguinis sui*. Sc. in sorore, quae saepe fratre est longe infirmior, in menstruata, quae sanguine diffluente debilitatur, debebat probari mutuus consensus. Poena v. 17 primum enuntiatur expressione *interficientur in oculis filiorum populi sui*, quae eadem sane est cum expressione v. 18 *interficientur de medio populi sui*, quae (cf. Lev. 17,4; Gen. 17,14) mortem civilem exprimit. Poena v. 17 secundo enuntiatur verbis *turpitudinem sororis suae revelavit, iniquitatem suam portabit.* Quem singularem contra *Vulg. LXX Syr.* tuentur *Hebr. Sam. Chald.*, confirmaturque is altero singulari *revelavit*, quem contra *Vulg.* tuentur omnes. Ceterum illa Vulg. LXX Syr. versio non supponit aliam hebraeam, quae ipsis praesto fuerit, lectionem, sed unam communem hebraeam lectionem *vere* reddit : nam si vir portat iniquitatem suam, quod *liberi illegitimi* habeantur e tali consortio nati, portat item mulier. Hunc autem sensum expressioni *portat iniquitatem suam* tribuit v. 20 eundemque merito pro eadem adstruimus v. 17. 19 (cf. v. 21). Ceterum, si unius incisi pluralem (*interficientur*) et sequentis incisi singularem (*revelavit, portavit*) inde quis explicare velit, duas aliquando exstitisse huius textus lectiones et ambas ab aliquo scriba fuisse copulatas, equidem non repugno.

v. 17 « *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui vel filiam matris suae, et viderit turpitudinem eius illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt* » (cf. v. 12. 13. 14) : « *occidentur*

in conspectu populi sui », civiliter mortui habebuntur, « *eo quod turpitudinem suam* [*mutuo*] *revelaverint, et portabunt iniquitatem suam* », liberis illegitimis reputatis (v. 20). v. 18 « *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem eius ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui* » (v. s.), « *interficientur ambo de medio populi sui* ». Nulla habetur contradictio, quod h. l. proles declaretur illegitima, 15,24 praescribatur purificatio : cap. 15 egerat de immunditiis et purificationibus, cap. 20 agit de poenis civilibus. v. 19 auctor mutans eam, qua hucusque utebatur, constructionem et conformans constructioni cap. 18 (v. 12 sq.), prodit se illud caput oppido nosse (*Dillm.*) : « *Turpitudinem materterae et amitae tuae non discooperies : [qui hoc fecerit], ignominiam carnis suae* » (cf. 18,10. 12. 13 : quia parentum caro est etiam filii caro, materterae vero vel amitae caro est parentum caro) « *nudavit, portabunt* [*ambo*] *iniquitatem suam* ». v. 20 « *Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suae, portabunt* [*ambo*] *peccatum suum, absque liberis morientur* » ; non dicuntur illico occidendi, antequam liberos procreare possint (*Men.*), sed talis unionis proles declaratur illegitima (*Aug.*). Licet דוד etiam latiori sensu omnes designet *cognatos*, tamen hic sensu nativo sumendum est pro *patruo* (vel avunculo) : *ignominiam patrui sui revelavit*, quibus rursum verbis incestus foeditas exaggeratur. Cf. 18,14. v. 21 « *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit : absque liberis erunt* ». Cf. 18,16.

Igitur poenae 20,9-21 statutae correspondent legibus 18,7-23 latis. Coitus cum matre 18,7 omnino, uti dicebamus, censendus est puniri poena 20,9. Mulieris, quae viri mater non est sed eius patris uxor, filia non ex hoc patre genita 18,11 aequiparatur sorori : quodsi ergo vir cum ea rem habuerit, subiacent ambo poenae 20,17 statutae. Desideratur poena in coitum 18,10 cum nepte : aut versus excidit, aut ille incestus a fortiori inclusus censebatur incestu 20,12 cum nuru commisso ; certissime morte plectebatur.

δ. Epilogus Lev. 20,22-26.

Est is omnino similis eius, qui 18,24-30 (cf. 20,7 sq.) habebatur. v. 22 « *Custodite* » *omnes* « *leges meas atque* » *omnia* « *iudicia* » *mea*, « *et facite ea, ne* [*et*] *vos evomat terra, quam intraturi estis et habitaturi* ». Bene quoad sensum *Vulg.* adscripsit *et*, cum illico v. 23 exemplum in medio proferat Chananaeorum ob illas leges neglectas destructorum. v. 23 « *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim haec fecerunt et abominatus sum eas* », v. 24 « *vobis autem loquor : Possidete terram eorum,*

quam dabo vobis in haereditatem, terram fluentem lacte et melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis ». Quia Deus separavit eos a ceteris populis, debent ipsi item ab iisdem se separare atque discernere moribus; debent etiam separare se ab immundis animalibus, quae Deus lege separavit a mundis. v. 25 « *Separate ergo et vos iumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda, ne polluatis animas vestras in pecore et avibus et cunctis, quae moventur in terra et quae vobis ostendi esse polluta* ». *Hebr. quae separavi vobis, ut sint immunda.* Ergo ciborum leges genti electae in memoriam revocare debebant eorum prae ceteris nationibus electionem (*Calm.*) et, quae ex hoc consequebatur, sanctitatis obligationem. v. 26 « *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei* ». « Ex quo colligitur, sanctitatem importare proprie munditiam, et oriri ex separatione ab iis, quae inquinant » (*Ians.*).

Appendicula de habentibus pythonem Lev. 20,27.

v. 27 « *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur : lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos* ». Vide supra.

4. *Leges de munditia sacerdotum et victimarum* Lev. 21 sq.

Aequum erat, ut qui tot legibus populi munditiem inculcaverat, sacerdotum item munditiem specialibus legibus sepiret. Id praestitit 21,1-22,16. Quas sacerdotibus 21,1. 17; 22,2 inscripsit, apte formula 21,15. 23; 22,9. 16 conclusit : « Ego Dominus, qui sanctifico vos ». Unus idemque sc. scriptor, qui modo 20,24. 26 populum celebraverat, quod esset a Deo *separatus* a populis, nunc sacerdotes celebrat, quod in hoc populo separato sint prae ceteris *sanctificati*. Agit vero 21,1-15 de iis, quae sacerdotes munditiae ergo servare debeant in funeribus et nuptiis; 21,16-24 describit irregularitates, quibus sacerdotes cultu excluduntur; 22,1-9 recenset alias sacerdotum immundities et 22,10-16, eodem divino eloquio, de sacerdotum familiis agit.

Convenienter item tractatui de munditia sacerdotum adiectus est alter 22,17-25 de munditia victimarum, i. e. de iis quae in pecoribus mundis requirebantur, ut in victimas possent assumi. Quia vero haec non a solis sacerdotibus in victimis admittendis, sed a civibus quibusque in illis seligendis observari oportebat, hic tractatus non solis sacerdotibus, sed Israelitis universis inscribitur. Additur v. 26-30 appendicula sane ad eosdem directa. Clauditurque v. 31-33 universa cap.

21 sq. pericope, quae cum potissimum ad sacerdotes dirigatur, rursum obsignatur formula : « Ego Dominus, qui sanctifico vos ». Clausula triplex habet « Ego Iahve ».

Legum harum initia aliqua similia sunt eorum, quibus alias leges vidimus ordiri. Intime sibi correspondent 21,17 איש מזרעך לדרתם אשר, et 22,3 לדרתם כל איש אשר. Tandem 22,18 iterum habetur expressio איש איש מבית ישראל אשר.

Causatur *Dillm.*, expressionem 21,1 « Loquere ad sacerdotes filios Aaron » in Pentateucho non legi. Verum id est, sed expressio de se est simplicissima, et h. l. aliqua eius adhibendae ratio cerni potest in eo, quod a legibus tam sacerdotes quam populum attingentes transitus fiat ad leges, quae solos sacerdotes respiciant. Causatur idem, dum sequens oratio ad sacerdotes dirigatur, hos appellari 3ª pers., imo v. 8 directe populum appellari. Sed Deus Moysi dicens, quid ipse dicere debeat Aaronitis, id dicere potest aut 2ª pers. tamquam Moysis ore prolata ad ipsos, aut 3ª pers. tamquam Dei ore prolata ad Moysen. Ceterum notentur haec. 21,1-22,16 de sacerdote vel pontifice generatim est sermo 3ª pers. *sing.*; sed formulae textui legum interseri vel appendi solitae scribuntur 3ª pers. *plur.* Ita 21,6; 22,9; 21,23 (« qui sanctifico eos ») ; 21,8 ubi omnino cum *Sam. LXX Vulg.* pro מקדשכם corrigendum est מקדשם, cum in hac pericope semper sacerdotes exhibeantur ut *sanctificati* e populo, dum in praecedentibus populus exhibebatur *separatus* e gentibus. Praeterea obscurior esset ratio, debere populum sanctos habere sacerdotes, quia Deus sanctificaverit populum : plana e contra est ratio, sanctos habendos esse sacerdotes, quod Deus sanctificaverit eosdem. Porro e formulis istis 3ª pers. *plur.* quandoque penetravit in orationem immediate antecedentem vel consequentem, fortasse librariorum incuria : ita 21,5. 7, ubi notandum extremo v. 7 et toto v. 8 (contra Vulg.) orationem ad numerum *sing.* redire. Item 22,9 verba scribuntur plurali, sane quod versus desinat in consuetam formulam « qui sanctifico eos », suffixum habens plurale. E contra, quem ib. v. 8 *Sam. Vulg.* habent pluralem, is ad solam punctationem revocari potest. Rursum 22,18-25 et 27-30 sermo habetur 2ª pers. *plur.*, fortasse quod is sit ad sacerdotes *et* populum. — Notentur tandem haec. 21,17 a singulari « homo de semine tuo » transitur ad pluralem « generationes eorum », cum semen illud sit collectivum quid multos includens. 22,3 iungendum cum *LXX* : « Dic ad eos : In generationibus vestris, omnis homo de stirpe vestra etc. ». 22,18 de singulari transitur ad pluralem, sed ille singularis reapse est collectivus. Pro תעשה 22,23 habet *Sam.* תעשו (cf. v. 24). Ut Deus 21,17 Aaroni dicat « Homo de semine *tuo* » et, aliquo interiecto intervallo, pergat v. 21 « homo de semine *Aaron* », minima aliqua est stili inaequalitas. Restat tandem illud 21,8 stilum ad populum converti, quod Vulg. quidem supprimit. Textus ita sonat : « et sanctum *habebis* eum, quia panem Dei *tui* ipse offert; sanctus erit *tibi*, quia etc. ». Respondeo igitur, orationem 21,1-15 utique superscriptione ad solos sacerdotes *inscribi* v. 1, ideoque ad solos sacerdotes, non ad populum spectasse inquirere, quis sacerdotio esset excludendus etc.; tamen legem hanc solis sacerdotibus inscriptam *lectam* esse v. 24 etiam populo, quo sacerdotum sanctitatem plenius perspiceret, ideoque in ea potuisse alloquium etiam ad populum dirigi.

a. Statuta quoad luctum et nuptias Lev. 21,1-15.

Arg. — Agitur de simplici sacerdote v. 1-9, de pontifice v. 10-15.

Sacerdos quomodo se gerere debeat in luctu v. 1-5 definitur, adscripta clausula v. 6; quomodo in seligenda uxore v. 7, addita clausula v. 7 sq. Pro appendice et sine clausula adscribitur v. 9 de sacerdotis filia prostitutionem exercente. Pontifex ab omni luctu interdicitur v. 10-12, adscripta clausula « Ego Iahve »; statuitur v. 13-15, qualem debeat ducere uxorem, adscripta totius legis (cf. v. 23; 22,16. 32) clausula.

α. Statuta pro sacerdotibus quibuslibet Lev. 21,1-9.

v. 1 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron et dices ad eos : Ne contaminetur* [*sacerdos*] *in mortibus civium suorum* », — « tangendo cadaver Israelitae, aut curando funus eius, multo magis curando funus extranei » (*Vat.*). *Quoad animam* i. e. cadaver (cf. 19,28)... *in populo suo* (suff. sing. habet *Sam.* etiam v. 4. 14 sq.; cf. 19,16), « cum reliquo populo » (*Calm.*) — v. 2 « *nisi tantum in consanguineis ac propinquis* », *Hebr. : in consanguineis, qui proximi sunt ei,* et statim enumerantur : « [*i. e.*] *super patre et matre et filio et filia, fratre quoque* » v. 3 « *et sorore virgine, quae non est nupta viro* », ideoque in domo paterna degit. An vero exceptio extendatur ad sororem viduam liberisque orbatam, quae 22,13 tractari iubetur uti puella, tacente scriptura disquirere superfluum est (cf. *Bonfr.*). Addit vero *Hebr. : quae propinqua est ei,* qua voce crediderim excludi illam 18,11 paternae uxoris filiam, quae legis tantum fictione, non sanguinis communione soror habebatur. An sacerdos non lugebat propriam *uxorem?* Textus eam ignorat, vel quod res videretur evidens, vel quod de solis consanguineis agatur. Ex Ez. 24,16 sqq. effici videtur insuetum fuisse uxorem non plangere. Cf. Ez. 44,25. v. 4 « *Sed nec in principe populi sui contaminabitur* ». v. 5 « *Non radent caput nec barbam* », *nec barbae cincinnos* (cf. ad 19,27) *praecident,* « *neque in carnibus suis facient incisuras* », quod etiam non sacerdotibus 19,28 interdicebatur. Iam ratio huius legis assignatur v. 6 : « *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius : incensum enim Domini* [*et*] *panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt* ». « Eius ara perinde est ac mensa, in quam sacrae illae dapes inferuntur... In principes obsequium vetat, ne quis coram illis sistat se nisi decore atque honeste vestitus » (*Calm.*).

v. 4 בעל בעמיו esse corruptum omnes fatentur. Vertendum esset : *Non contaminabitur dominus in populo suo ad profanandum ipsum.* At quis iste *dominus? Vulg. Syr.* legebant בבעל עמיו, et facile illud ב locum poterat mutare, cum etiam extremo v. 1 eadem vox עמיו legeretur eandem habens praepositionem ב; aut legebant לבעל עביו. Mediam aliquam lectionem, sed eam certe falsam habent *LXX* : ἐξάπινα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ,

i. e. כבלע בעמיו (cf. Num. 4,20 et *Bonfr.*). Praeferenda omnino est lectio *Vulg. Syr.* Si בעלי העיר Iud. 9,2 designat *viros civitatis*, tum h. l. בעל עמו designat *viros cognationis eius*, is quippe est nativus vocis עם sensus, unde evolvitur sensus *populus*. Ergo : contaminetur in funeribus proximorum cognatorum (patris, matris etc.), sed non *reliquorum cognatorum*, qui iis, qui enumerantur, sunt remotiores. — אשי יהוה potest esse *ignis sacer*, sed eum sacerdos non *affert*, cum sit semper in altari : ergo *combustiones Domini* seu victimae, quae sunt *panis Dei* (nulla adscripta copula), quia Deo quasi pro epulo proponuntur.

v. 7 « *Scortum et* [*vile*] *prostibulum* » — seu verius *defloratam*, sc. extra matrimonium ; secundum v. 14 expressio non videtur includere viduam — « *non ducent uxorem nec eam, quae repudiata est a marito* », quia etiam huic aliqua semper suspicio adhaeret, « *quia consecrati sunt Deo suo* ». Et ne fastidiosi videantur non sacerdotibus hanc legem observantes, hos ipsos iam Deus directe appellat v. 8 ; imo secundum *Hebr.* etiam ultimum v. 7 incisum, numero singulari constructum ad hoc directum Dei alloquium est trahendum. v. 8 : *Et sanctum eum habebis, quia panem Dei tui* — i. e. sacrificia (cf. v. 6) — *ipse profert; sanctus erit tibi, quia ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* « *Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos* ».

Quanta ordini sacerdotali debeatur reverentia, patet ex supplicio vel sacerdotis filiae infligendo, si eius nomini infamiam intulit v. 9 : « *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur* ».

Agitur de *scortatione* seu prostitutione. תחל *Syr.* vertit *coeperit*, quo fortasse recidit *Vulg. deprehensa fuerit. LXX Chald.* verbi significationem praeferunt *profanare*. Puncta niphal : *si profanata fuerit scortatione, patrem suum*, eius honestum nomen *profanavit*.

β. Statuta pro summo pontifice Lev. 21,10-15.

Is primum luctu mortuorum interdicitur. v. 10 « [*Pontifex i. e.*] *sacerdos magnus inter fratres suos, super cuius caput fusum est unctionis oleum, et cuius manus* [*in sacerdotio*] *consecratae sunt, vestitusque est* [*sanctis*] *vestibus* », — *Hebr. : ut induat paramenta*, iisque indutus sacratissimis religionibus fungatur ; ad has unctio parat viam, harum reverentia pontifici temperandum est a luctu — « *caput suum non discooperiet* » (cf. 10,6 ; 13,45), « *vestimenta non scindet* », occasione funeris. Non hanc igitur legem transgressus est Caiphas Matth. 26,65 (*Bonfr.*). v. 11 « *Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino : super patre quoque suo et matre* », et a fortiori super fratre et sorore virgine (v. 2 sq.), « *non contaminabitur* ». v. 12 « *Nec egre-*

dietur de sanctis » κατὰ πρόφασιν πένθους (*Philo :* De monarchia II. § 12), alias enim libere egrediebantur pontifices, « *ne polluat sanctuarium Domini* » : hoc, praeter praecedens incisum, trahatur ad omnia v. 10 sqq. dicta. Porro, sicut v. 6 et 7 sq. ratio adscribebatur sanctitatis sacerdotum, ita iam adscribitur ratio maioris sanctitatis pontificis : « *quia oleum sanctae unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus* ».

Pontifex in re luctus primum interdicitur iis omnibus, quae v. 1-5 simplices sacerdotes vetantur, et praeterea aliis quibusdam, quae sola v. 10-12 efferuntur. Caput non solum non radet, sed neque discooperiet; non solum carnem non incidet, sed neque vestimenta scindet; ad nullum omnino cadaver accedet, nullius funeris causa sanctuario egredietur.

v. 13 « *Virginem ducet uxorem* ». v. 14 « *Viduam autem et repudiatam et sordidam* » — *Hebr. defloratam* — « *atque meretricem non accipiet, sed puellam* » *virginem* « *de populo suo* ». Ita contra *Hebr.* עביו omnes. *LXX* vocem interpretati sunt, ut puella debuerit esse stirpis sacerdotalis; sed textui videtur satisfacere quaelibet puella hebraea; non vero ad iudaismum conversa, quam sicut etiam viduam simplici sacerdoti fas erat ducere. v. 15 « *Ne commisceat stirpem* [*generis*] *sui* [*vulgo*] *gentis suae* », *Hebr. : ne profanet semen suum in populo suo*, quod fit quolibet matrimonio minus honesto — « *quia ego Dominus, qui sanctifico eum* » : eadem clausula atque v. 8.

b. Statuta de irregularitatibus permanentibus Lev. 21,16-24.

Arg. — Enuntiata v. 17 sq. lege generali defectibus naturalibus ineptos reddi sacerdotes ad munia sacra peragenda, v. 18-20 illi defectus enumerantur, v. 21-23 limites irregularitatis definiuntur.

v. 16 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 17 « *Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias* » — *Hebr. per generationes eorum*, sc. seminis seu Aaronitarum (cf. Ex. 12,14), omni futuro tempore — « *qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo* », seu verius *Dei sui*. Panis autem Dei secundum v. 6. 8 itemque secundum v. 21 (Hebr.) generali nomine sacrificia omnia tam cruenta quam incruenta complectitur. v. 18 « *Nec accedet ad ministerium eius* ». Sed aliter *Hebr. : quia omnis homo, in quo est macula, non accedet*, seu non offeret. Ratio, cur, quoties in aliquo sacerdote macula deprehendatur, is ab altari relegandus sit (v. 17), est quia Deus generalem legem tulit (v. 18) eiusmodi non esse admittendum.

Iam singulae irregularitates enumerantur : « *Si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi* [*vel torto naso*] », — חרם et שרוע vi etymi

significant, illud *findere* seu *scindere*, hoc *protendere*. Vocem sat arbitrarie *LXX* ad nasum et aurem restrinxere : κολοβόρριν et ὠτότμητος. *Vulg.* utramque vocem ad nasum revocavit : at quis tandem definiturus erat, qui nasi neque breviores essent neque promissiores? Cum *Cai.*, *Vat.*, *Calm.* siste in generali vocum significatione, et verte *si mutilus, si monstruosus*. Mutilus est, qui aliquo membro caret; monstruosus, qui v. g. sex unius manus digitos habet. Adverte, 22,23 etiam in pecoribus haberi שרוע et קלוט, quae distinctio non sane a nasis petitur — v. 19 « *si fracto pede, si manu* », v. 20 « *si gibbus* », — ἅπαξ λεγόμενον גבן (item *Chald.*) *LXX* vertunt κυρτός, *Syr.* כפיפא *curvatus* — « *si lippus* », — fortasse pro דק legebat *Vulg.* רק vel רך (cf. Gen. 29,17). *LXX* ἔφηλος *lentiginosus*. Sed alia lectio habet νᾶνος, *gall.* « un nain ». Quocum concordat *Syr.*, si pro improbabili lectione זעקא (a radice significationis *clamare*) substituas probabiliorem זעירא, a radice *minutum esse*. Ergo *si nanus* — « *si albuginem habens in oculo* », — תבלל : ambigunt versiones. *Chald.* חיליז, *Syr.* יתירין, quorum me fugit sensus. *LXX* πτίλλος, quod idem sane atque πτιλός, quo oculis circa rubescentibus pili palpebrarum excidunt. Cum Vulg. consentiunt *Aq. Symm. Theod.* λεύκωμα. Sed alia lectio *Aq.* ὑπόχυμα, et altera minime spernenda στρεβλός, i. e. strabo seu *obliquitas* oculorum. Intelligitur sane, uti in toto hoc elencho, vitium aliquod permanens — « *si* [*iugem*] *scabiem* », — גרב : idem sonat *Chald.* גרבן, *LXX* ψώρα ἀγρία; *iugem* sapienter utique supplevit *Vulg.* — « *si impetiginem* [*in corpore*] » — ילפת cf. 22,22 : idem sonat *LXX* λειχήν, *Chald.* חזזן. *Syr.* חקרודא (?) — « *vel herniosus* » — מורח אשך, quod ἅπαξ λεγόμενον *Chald.* vertit *contritus testiculis*, quod idem videtur esse atque *Syr.* דחדא אשכא. *LXX* μονόρχις. Tamen *Vulg. hernia* videtur praeferenda : omnes quippe recensiti defectus eiusmodi sunt, qui trans vestes vel praeter vestes cernuntur, cuiusmodi non sunt contriti testiculi.

v. 21 repetit v. 17 dicta, ut a iuribus, quibus irregularitate aliqua laborantes interdicuntur, ad ea explicanda procedat, quae illis maneant intacta : « *Omnis, qui habuerit maculam, de semine Aaron sacerdotis non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo* ». Aliter *Hebr. : non accedet ad offerendas combustiones Iahve : macula in ipso est, panem Dei sui non accedet offerre*. E quibus tam emphaticis verbis colligitur, idem h. l. esse *panem Dei sui*, quod *combustiones Iahve*, ergo non solos panes propositionis designari. Hinc etiam v. 22 *panis Dei sui* sunt omnis generis sacrificia : « *Vescetur tamen panibus*, [*qui offeruntur*] *in sanctuario* »; *Hebr. de sanctissimis et de sanctis;* v. 23 « *ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, non accedat ad al-*

tare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus, qui sanctifico eos ». v. 24 « *Locutus est ergo Moyses ad Aaron et ad filios eius et ad omnem Israel* » — supplet *Vulg.* : « *cuncta, quae fuerant sibi imperata* ».

Admirationem facit, quod Moyses dicatur *cuncta* locutus esse *ad populum*, cum tamen cap. 21 relata non sit iussus ad populum dicere, utique vero ad sacerdotes. Reapse ea sacerdotes spectabant, non populum. Accedit sententiam esse mancam. Quodsi ea primitus h. l. legebatur, dubium non est, Vulgatam textum aut integrum praeservasse aut feliciter restituisse. At critice aeque probabile est, nihil eius textus h. l. primitus fuisse, sed ortum esse e defigurato textu 22,1 sq. : Et locutus est... Moyses... ad Aaron et filios eius ». Defiguratum esse hunc textum inde etiam confirmatur, quod initio item cap. 22 aliqua sint corrupta : sc. v. 3 illud לדרתיכם, quod propter suffixum trahendum est ad sequentia, non poterat primum sententiae locum ante כל איש obtinere. Igitur nostrum v. 24 delendum censeo.

Sancta sanctorum illae sunt oblationes, quae intimius ad Deum pertinent : panes propositionis (24,9), incensum (Ex. 30,36), quae in ipso sanctuario offerebantur; sacrificia pro peccato et pro delicto (Lev. 6,25. 29 [18. 22]; 7,1. 6; 10,17; 14,13; Num. 18, 9), quae ad altare immolabantur (Lev. 1,11; 14,13); mincha (2,3. 10; 6,17 [10]; 10, 12), cuius pars aliqua altari imponebatur, dum in sacrificio gratiarum actionis nihil carnis eo deferebatur. Cf. etiam 27,28. Holocaustum, licet omnium esset sanctissimum, nunquam sancta sanctorum praedicatur, quia nihil eius hominibus reservabatur. Sancta sanctorum soli manducabant Aarone nati, et quidem viri 6,18. 29 [11. 22]; 7,6; Num. 18,10), in loco sancto i. e. in atrio (Lev. 6,26. 29 [19. 22]; 7,6; Num. 18,10), eaque manducantes sanctificabantur (Lev. 6,18. 27 [11. 20]). In mincha farina manducabatur azyma (6,18 sq. [9 sq.]). — *Sancta* erant sacrificia gratiarum actionis (7,31 sqq.; 10,14 sq ; 23,20; Num. 6,20 sq.; Ex. 29,27 sq.), primogenita animalium mundorum (Num. 18,15 sqq.), primitiae (Num. 18,12 sq.), decimae (Num. 18,26 sqq.; Lev. 27,30 sq.), Deo devota (Num. 18,14). Horum nulla in sanctuarium inferebantur, solus sanguis et adeps sacrificiorum gratiarum actionis et primogenitorum altari adhibebantur. Exceptis decimis, haec erant servanda. Aaronitae viri atque feminae soli iis participabant (Lev. 10,14; 22,10 sqq.; Num. 18,11. 19), debebant esse mundi (Lev. 22,3 sqq.; Num. 18,11. 13) comedebantque in loco mundo (Lev. 10,14). *Kn.*

c. Statuta de irregularitatibus temporaneis Lev. 22,1-9.

Arg. — Uti 21,17 sq., ita 22,2 generale principium praemittitur cuius v. 3-8 applicationes recensentur, adiecta clausula v. 9. Cui legi additur appendicula v. 10-16, et ipsa in brevem desinens clausulam (« Ego Iahve etc. »), agens de iis quibus, cum sacerdotes ipsi non sint, temporanee fas sit cum sacerdotibus comedere de sanctis.

Cap. XXII v. 1 « *Locutus quoque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere ad Aaron et ad filios eius, ut careant* » — *ut se retrahant* — « *ab his, quae consecrata sunt filiorum Israel* », — a sanctis et a fortiori a sanctis sanctorum, quae 21,22 Hebr. habet nosque ibidem

explicabamus. Oratione indirecta similiter Dei oratio inchoabatur 16,2; Ex. 14,2 — « *et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quae ipsi offerunt* ». שם קדשי uti 20,3 vertas *nomen sanctum meum* (*LXX*); ultimumque incisum *quia ipsi consecrati sunt mihi*. Principio generali adscribitur ratio, similiter atque 21,18 adscribebatur. « *Ego Dominus* ».

אשר הם מקדשים לי non est sententia relativa dependens ab immediate praecedentibus (*Vulg.*), quia nomen Dei sanctitatem accipit neque a sacerdotibus neque ab offerentibus, sed illis potius sanctitatem impertitur; neque dependens a prioribus (*a sanctis, LXX*), quia intercedit sententia *et non contaminent etc.*, quae tum fere ut adiectitia erit expungenda; sed cum *Syr.* אשר sumendum est sensu causali et participium punctandum hophal : *quia ipsi* (sacerdotes) *consecrati sunt mihi*, ideoque non decet eos nomen meum contaminare, quando defectu aliquo ad tempus laborant.

Enuntiato v. 2 principio debere aliquando eos quoque sacerdotes, qui permanenti defectu non laborent, a sacris se retrahere, v. 3 primum traditur generalis principii applicatio, ut quicumque immunditiam incurrerit se retrahat, postea gravissimae aliquae immunditiae seorsim efferuntur. v. 3 « *Dic ad eos et ad posteros eorum* » : — initio cap. 21 monebamus, ultimam vocem propter suffixum trahendam esse ad sequentia, poniturque ea absolute : *In generationes vestras*, supple : fertur haec lex, est lex perpetua — « *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino* ». Cum perire de populo sit idem atque iuribus et promissionibus Israelitarum excidere, perire de coram Domino est excidere privilegiis sacerdotum, quorum est adstare iugiter coram Domino (*Dillm.*). « *Ego sum Dominus* ».

v. 4 « *Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quae sanctificata sunt mihi, donec sanetur* », i. e. mundetur ritu et conditionibus cap. 14 sq. descriptis. Minores immunditiae intra diem absolvuntur : « *Qui tetigerit immundum super mortuo* » — πάσης ἀκαθαρσίας ψυχῆς, sive ipsum cadaver, aut aliquem aut aliquid cadaveris contactu inquinatum. An *Vulg.* pro לו alio loco legebat לו? נפש vero h. l. significare *mortuum* docet v. 5 de vivis agens — « *et* » ille, « *ex quo egreditur semen* [*quasi*] *coitus* » (cf. 15,16. 18), v. 5 « *et qui tangit reptile* », *quo inquinetur* (cf. 11,29 sqq.), « *et quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus* », — Sed *Hebr. : aut hominem, quo inquinetur secundum omne inquinamentum eius*, v. g. seminifluum — v. 6 « *immundus erit usque ad vesperum et non vescetur his, quae sanctificata sunt. Sed cum laverit carnem suam aqua* » v. 7 « *et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctifica-*

tis, quia cibus illius est ». v. 8 « *Morticinum et captum* [*a bestia*] *non comedent, nec polluentur in eis* ». Cf. Ez. 44,31 itemque Lev. 17,15 sq. « *Ego sum Dominus* ». Sequitur generalis sacerdotum adhortatio v. 9 : « *Custodiant praecepta mea* » (cf. 18,30; Gen. 26,5), « *ut non subiaceant peccato et moriantur* [*in sanctuario*], *cum polluerint illud* ». Nihil de *sanctuario* habet *Hebr.*, et *LXX* tria pronomina singularia referunt ad *praecepta*. Praecepta servata conferunt iustitiam et vitam, profanata peccatum et mortem. Quae mors infligetur a Deo, non necessario transgressoribus omnibus. Concluditur formula huius pericopae consueta (21,15; 22,16. 32) : « *Ego Dominus, qui sanctifico eos* ».

Appendicula de sacerdotum convictoribus Lev. 22,10-16.

זר *alienus* varie pro contextu applicatur. Designat hominem non hebraeum Ex. 30.33, non sacerdotem (h. l. et Ex. 29,33; Num. 3,10. 38; 18,7), non levitam (Num. 1,51; 18,4), non consanguineum (Deut. 25,5). Ignis (10,1; Num. 3,4; 26,61) et thymiama (Ex. 30,9) non sacra vocantur aliena. Porro h. l. *alienigenae* non intelliguntur non hebraei, quos de sanctis non participare evidens erat, sed hebraei non sacerdotes (*Cai.*).

v. 10 « *Omnis alienigena non comedet de sanctificatis* ». Haec generalis praemittitur regula, mox applicanda et explicanda. « *Inquilinus sacerdotis* » (Gen. 23,4), qui prope illum incolit, sed eadem non habet iura, « *et mercenarius* » (Lev. 19,13; Ex. 22,15) « *non vescentur ex eis* ». Non enim sunt de sacerdotis familia. v. 11 « *Quem autem sacerdos emerit* » *pretio argenti,* « *et qui vernaculus domus eius fuerit* » (Gen. 14,14; 17,12 sq. 23. 27), i. e. servus in domo eius natus, « *hi comedent ex eis* » : servi tam emptitii quam nati. v. 12 « *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo* » — *Hebr. viro alieno*, sensu supra explicato — « *nupta fuerit, de his, quae sanctificata sunt,* [*et de primitiis*] *non vescetur* ». Pertinet ipsa iam ad familiam laicam. v. 13 « *Sin autem vidua vel repudiata et absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui* ». Repetitur porro regula generalis : « *Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem* ». Mulcta statuitur in eos, qui inadvertenter de his comederint, v. 14 : « *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam* » (cf. 4,2), « *addet quintam partem cum eo,* [*quod comedit*] », (cf. 5,16), « *et dabit sacerdoti in sanctuarium* ». 5,15 dandus praecipitur praeterea aries : sc. ibi agebatur de parte sanctorum Deo, hic de parte sacerdotibus reservata (*Tost.*); et erat aequum, hic leviorem infligi mulctam. v. 15 « *Nec contaminabunt* » sacerdotes, aliqua harum regularum neglecta, « *sanctificata filiorum Israel, quae offerunt Do-*

mino », v. 16 « *ne forte sustineant iniquitatem delicti sui* », — *Hebr. : ne faciant eos,* sc. populum sacerdotes, *portare nefas delicti,* ne eos delicto implicent — « *cum sanctificata comederint. Ego Dominus, qui sanctifico eos* ». (Cf. 21,15; 22,9. 32).

d. Statuta de victimis Lev. 22,17-25.

Arg. — Indicata v. 18 legis materia, agitur de requisitis in victimis v. 18-20 holocaustorum, v. 21-25 pacificorum; de victimis pro peccato et pro delicto siletur.

v. 17 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 18 « *Loquere ad Aaron et filios eius et ad omnes filios Israel, dicesque ad eos : Homo de domo Israel et de advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens vel sponte offerens* » (Lev. 7,16; Ex. 35,29) : — sed aliter *Hebr. qui profert donum suum,* קרבנו, qua voce generali sacrificia omnia includuntur; nullumque eorum excipi produnt sequentia verba : *usque ad omnia quae ex voto, et omnia quae spontanee offerunt.* Quo anacolutho postquam expressum est agi de omnibus quorumvis hostiis, ad primam hostiarum classem descenditur — « *Quidquid [illud] obtulerit in holocaustum Domini* », v. 19 « *ut offeratur per vos* », — sed *Hebr. : ut sit acceptabile pro vobis,* quae sc. defectu laborant hostiae, non sunt acceptabiles — « *masculus immaculatus erit ex bobus et ovibus et ex capris* ». Cf. Lev. 1. v. 20 « *Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile* » *vobis.* Agitur porro de victimis pacificorum : v. 21 « *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens vel sponte offerens* », — constructio non est eadem atque v. 18 — « *tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret* », sed non necessario marem (Lev. 3), « *ut acceptabile sit : omnis macula non erit in eo* ». Sequuntur defectus, qui ab omni victima tam holocausti quam pacificorum abesse debent, v. 22 : « *Si caecum fuerit, si fractum* » (cf. Ex. 22,9), « *si cicatricem habens* », seu potius scissuram, vulnus, — minus feliciter *LXX* ad *linguam* et *Ps. Ion.* ad *supercilia* expressionem restrinxere — « *si papulas* » seu pustulas, — *LXX* μυρμηκιῶντα, *verrucas habens.* יבלת, ἄπαξ λεγόμενον, a radice יבל fluere (?), explicant esse *ulcera,* quo revocari potest *Vulg.* Ulcus in animali facile deteges, non vero pustulas et verrucas — « *aut scabiem, aut impetiginem* » (cf. 21,20), « *non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini* ». Adduntur defectus duo, quibus animal ab holocausto quidem aut voti solutione, non vero a voluntaria oblatione arcetur, v. 23 : « *Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes; votum autem ex eis*

solvi non potest ». Cum שרוע ex 21,18 sit *monstruosum*, pronum est coniicere קלוט, uti ibi חרם, significare *mutilum;* quod habent *Targ.* יתיר — חכיר. Arbitrarie *LXX Vulg. Syr.* sensum ad *aures* et *caudam* limitant, *Ps. Ion.* ad *renes* vel *testiculos.* v. 24 « *Omne animal, quod vel contritis vel tusis vel sectis ablatisque* [*testiculis*] *est, non offeretis Domino* », — excluditur castratio quomodovis effecta : per compressionem, contusionem, avulsionem vel abscissionem — « *et in terra vestra hoc omnino ne faciatis* ». v. 25 « *De manu alienigenae non offeretis panes Deo vestro* », — *panem* « i. e. sacrificium » (*Vat.*), nam quaevis victima dicitur panis seu cibus Dei; et sequens incisum apud *Hebr.* ita sonat : *secundum omnes istas res.* Ergo : neque ab alienigena, non hebraeo (בן נכר) accipiatis ullum animal pro victima, defectu aliquo affectum — « [*et*] *quidquid* [*aliud*] *dare* [*voluerit*], *quia corrupta et maculata sunt* [*omnia*] » propter talem defectum : « *non suscipietis ea* », seu verius : *non erunt acceptabilia vobis.*

Ultimum v. 24 incisum *Vulg.* ad verbum reddidit, et *Ps. Ion.* illud *facere* interpretatus est *castrare.* At ea generalis castrationis prohibitio proprium locum non habet in elencho defectuum victimarum, videtur animalium castrationem de se non inutilem proscribere, at pro Chanaanitide tantum, non pro deserto. Verum עשה etiam sensum induit *sacrificandi* : Ex. 29,36. 38. 39. 41; Lev. 9,7; 15,15; 16,9; Iud. 6,19; Os. 2,8 (10). Eundem sensum habet *Chald. Syr.* עבד. Ergo melius *Vat., Malv., Calm.* : *et in terra vestra non sacrificabitis.* Et melius etiam *Hesych.* incisum iungit versui 25 : neque in terra vestra, i. e. inter vos, sacrificabitis, neque de manu alienigenae offeretis victimam Domino affectam aliquo ex defectibus recensitis. Est haec igitur generalis aliqua ante dictorum v. 18-24 clausula, qua etiam implicite conceditur alienigenis proferre victimas Domino, quae nullo defectu laborent.

Appendicula de victimis Lev. 22,26-30.

Adduntur quaedam de victimis, quae non earum defectus, sed alias quasdam circumstantias respiciunt. v. 26 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 27 « *Bos, ovis et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suae, die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino* ». Cf. Ex. 22,30. « Cum ea pecora recens nata necdum sint apta ad cibum, nec ea decet Deo in sacrificium, quod convivii quamdam speciem habet, offerri » (*Bonfr.*). v. 28 « *Sive illa bos sive ovis* », — *Hebr.* ea utitur voce, quae praeter ovem etiam capram designet — « *non immolabuntur una die cum foetibus suis* », ut excludatur « crudelitatis species » (*Cai.*). Similes leges, non easdem, habes Ex. 23,19; Deut. 22,6 sq. v. 29 « *Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis* », v. 30 « *eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane*

alterius diei ». Lex eadem atque 7,15 ; non plane eadem atque 19,5 ; et cf. quae ib. diximus.

e. Clausula Lev. 22,30-33.

Sequitur clausula pro cap. 21 sq., triplici « Ego Dominus » insignita; praeterea consueta 21,8. 15. 23; 22,9. 16 clausula extremo v. 32 illustrior redditur adscripto v. 33. « *Ego Dominus* ». v. 31 « *Custodite mandata mea et facite ea. Ego Dominus* ». v. 32 « *Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel. Ego Dominus, qui sanctifico vos* », v. 33 « *et eduxi de terra Aegypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus* ».

E. Catalogus festorum Lev. 23.

Festa omnia (v. 3. 7. 21. 24 sq. 27 sq. 35 sq.) labore vacant suntque מקראי קדש, *convocationes sacrae*, de qua expressione diximus ad Ex. 12,16. Non edicit ea plane idem atque חג, quod festum dicit adnexam habens *peregrinationem* ad sanctuarium. Nulla igitur in eo est contradictio, h. l. recenseri sex convocationes, Ex. 23,14-17 vero tria festa adnexam habentia peregrinationem. Porro convocationes illae sunt sabbatum v. 1-3, Phase v. 4-8, pentecoste v. 9-22, novilunium septimi mensis v. 23-25, dies expiationis v. 26-32, festum tabernaculorum v. 33-44. Singulae pericopae inchoantur phrasi « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens », excepta secunda. Praeterea catalogus v. 2 inchoatur formula « Haec sunt festa Domini, quae proclamabitis convocationes sacras », eadem concluditur v. 37; sed eadem item repetitur v. 4 ante secundum festum, eo ipso loca ubi desideratur formula v. 1. Cuius anomaliae rationem explicat v. 38 asserens, catalogum non agere de sabbatis, uti neque de voluntariis oblationibus : ergo v. 3 primitus in catalogo non erat, sed post v. 1 sq. immediate sequebatur v. 5. Aliquis vero Moyse recentior inseruit v. 3 expressionibus iisdem fere, quibus alibi sabbatum celebratur, adscripto nomine מקראי קדש, quod secus sabbato non tribuitur. Idem v. 4 repetiit formulam v. 2, sed de repetenda phrasi v. 1 non cogitavit. Alia anomalia in eo cernitur, clausulam v. 37 sq. non extremae, sed mediae pericopae, quae de festo tabernaculorum agat, adscribi. Crediderim id festum in deserto sacrificiis potissimum (v. 36) esse celebratum; licet enim Sinaitis Moysis tempore florentior esset, quam nunc est, at morem decerpendorum ramorum et frondium (v. 39 sqq.) crediderim nonnisi in terra sancta postmodum observari potuisse.

Reapse appendix v. 39-43 supponit v. 39 populum iam incolentem terram suam ibique annuas colligentem segetes. v. 43 umbracula instituuntur, ut sint memorialia tabernaculorum, quae Hebraei in deserto incolebant : at memorialibus opus non erat, quamdiu ipsa tabernacula perdurabant. Ergo ea appendix nonnisi in terra sancta tandem observanda adscribitur ideoque a priore legis parte v. 34-36 v. 37 sq. discernitur. Aliquae pericopae brevissime tamquam res notae absolvuntur; praeter illam, quae de sabbato irrepsit, pericopae de Phase, de septimi mensis novilunio, de die expiationis; dum ritus in pentecoste et tabernaculorum festo observandus fusius describitur. Formula item « Ego Iahve Deus vester » non adiicitur iis festis, quae antea iam fuerant instituta (Phase, novilunio septimi mensis, diei expiationis), sed iis quorum h. l. prima habetur mentio, pentecoste (v. 22) et festo tabernaculorum (v. 43).

1. *Sabbata* (*serius adiectum*) Lev. 23,1-3.

Cap. XXIII v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Hae sunt feriae Domini, quas vocabitis sanctas* ». *Hebr. : quas vocabitis convocationes sanctas* seu, cum eadem radix bis eodem contextu adhibita eodem interpretanda sit sensu : *quas convocabitis conciones sacras* (cf. Ioel 1,14; 2,15; Is. 13,3; Ier. 36,7). v. 3 « *Sex diebus facietis opus : dies septimus, quia sabbati requies est,* [*vocabitur*] *sanctus* », *concio sacra* erit. Sed eiusmodi nunquam praeceptae fuere sabbatis. « *Omne opus non facietis in eo : sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris* ». Cf. v. 14. 21; alias additur « lex perpetua in generationibus vestris » (v. 14. 21. 41).

2. *Phase* Lev. 23,4-8.

v. 4 « *Hae sunt* [*ergo*] *feriae Domini sanctae* », *conciones, quas convocare debetis* seu « *quas celebrare debetis temporibus suis* ». v. 5 « *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum* » (cf. quae diximus ad Ex. 12,6), « *Phase Domini est* ». v. 6 « *Et quintadecima die mensis huius, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis* ». v. 7 « *Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque* »; *Hebr. : die primo concio sacra erit vobis;* « *omne opus servile non facietis in eo* », v. 8 « *sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior et sanctior* », — ignorat comparativos *Hebr. : die septimo concio sacra* — « *nullumque servile opus facietis in eo* ».

Notabat iam *Cai.*, sabbatis prohiberi omnem מלאכה, in festis vero solam מלאכת עבדה, monetque *Sa*, certe licitum fuisse cibos parare (Ex. 12,16). Cum עבד imprimis de *agricultura* praedicetur, eius opera inhiberi censet *Dillm.*; cum vero idem verbum etiam *sacra facere* significet, hinc erronee *LXX* ἔργον λατρευτόν. — Sequentibus ambigitur, utrum עמר vertendum sit *manipulus* (*Vulg. LXX*) an mensura *gomor* (*Syr.* ܟܦܐ; *Cai.*), quae est vocis significatio consueta. Priorem significationem non efficit textus obscurus Iob 24,10, utique vero textus Deut. 24,19; et cf. chald. עומרא et עמירא utramque significationem habentia. *Bonfr.* suggerit fortasse unam ab altera significationem esse profectam. *Ios.* (Ant. III. 10. 5) non manipulum, sed gomor ad altare esse allatum sentire videtur : « Siccato spicarum *manipulo* et contuso atque a furfuribus horreis purgatis, ad altare *assaronem* Deo offerunt, ac pugillum unum ex eo in aram iniicientes reliquum ad usum sacerdotum relinquunt ». Habes hic ritum quoque descriptum, qualis Iosephi certe tempore observabatur.

3. *Pentecoste* Lev. 23,9-22.

v. 9 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 10 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis* », — lex haec traditur non in deserto Sinai sed in terra promissa observanda; non hinc sequitur fuisse omnino nova, cum antea iam Hebraei (cf. Gen. 26,12), probabilius etiam in Aegypto agros severint, populique antiquitus plerique occasione messis festa celebraverint, ritu sine dubio a maioribus tradito. Quia porro pentecostes tempus a paschate computatur, pascha messis initium habet uti pentecostes finem, messisque pentecoste complenda inchoatur primorum manipulorum in paschate oblatione, ideo h. l. ad pascha redit oratio — « *et messueritis segetem, feretis manipulos* » — scribe singularem : manipulum, seu gomor — « [*spicarum*] *primitias messis vestrae ad sacerdotem* ». Hordeum (*Ios.*) erat, quod tritico citius maturescebat : cf. 2 Reg. 21,9; Ruth 1,22 et 2,23. v. 11 « *Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, et sanctificabit illum* ». Idem verbum habetur, quod initio versus, ergo : elevabit, elevando huc illuc movebit.

Diem post sabbatum explicabant *LXX* τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης, et *Ios.* l. c. diem 16 Nisan (cf. *Targ.*) : quae testimonia invicte probant, Iudaeos posteriores nomine *sabbati* intellexisse primam diem azymorum, pro qua v. 7 cessatio non ab omni opere sed ab opere agriculturae praescribebatur. At neque ea ibi requies voce שבת exprimitur, neque haec secus vox aliam praeter diei septimi requiem aut alia praeter sabbata festa designat. Cum vero probabilius Iudaei posteriores (cf. *Knabenbauer* in Matth. 26,17) quoad diem celebrandi paschatis a vera traditione aberraverint, neque eorumdem pentecostes computus censendus est esse omni exceptione maior. — *Sebuaei*, Samaritanorum quondam secta (*Epiphan.* c. Haer. 11; *M.* 41. 232 sqq. — Cf. *P. de Lagarde :* Mittheilungen IV. 133 sqq., Goettingen 1891), annum ecclesiasticum simul atque civilem mense septimo i. e. Tisri ordiebantur, celebrantes tum primum

azymorum atque inde primitiarum et pentecostes festa. Unde perspicies, eorum de festis placita impune h. l. negligi. Feruntur ii (cf. *Dillm.*) Lev. 23,11 *sabbatum* intellexisse ab initio messis primum. Quodsi ita praeter omnem cum v. 5 sqq. contextum sententiam interpreteris, habebis legem prorsus indeterminatam ideoque inutilem. Textus loquitur de sabbato, non de sabbato primo; messis in Palaestina fere singulis mensibus haberi potest, sicut etiam sementis. Etiam ubi sementis eodem fere tempore facta est, non uno in omnibus agris die fruges maturescunt. — *Caraitae*, Iudaeorum secta, intelligunt sabbatum hebdomadae azymorum. Quae sententia ipsi certe textui prae ceteris respondet. Modo sc. videbamus v. 10 sqq., si independenter a praecedentibus explicentur, indeterminata esse et inefficacia. Si illis iungantur. השבת vox articulum habens denotat sabbatum sacrosanctae illius hebdomadae, de qua v. 8 : ergo primitiarum oblatio fiebat uno die septidui a 16 ad 22 Nisan.

v. 12 « *Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, caedetur agnus immaculatus in holocaustum Domini* »; v. 13 « *et libamenta offerentur cum eo* », — *Hebr. mincha* — « *duae decimae similae conspersae oleo* » (cf. Gen. 18,6; Ex. 29,2) « *in incensum* » i. e. combustionem « *Domini odoremque suavissimum; liba quoque* » (Gen. 35,14) « *vini, quarta pars hin* » (Ex. 29,40). v. 14 « *Panem et polentam* » — frumentum tostum 1 Reg. 17,17; 25,18; 2 Reg. 17,28; Ruth 2,14 — « *et pultes* » — probabilius frumentum comminutum seu alicam : cf. quae diximus ad 2,14 — « *non comedetis [ex segete]* » recenti — vocem sapienter adscripsit *Vulg.* uti *LXX* νέα — « *usque ad diem, qua offeretis [ex ea] Deo vestro. Praeceptum est sempiternum in generationibus cunctisque habitaculis vestris* ».

v. 15 « *Numerabitis ergo ab altero die sabbati* », a die post sabbatum, « *in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas* » (Deut. 16,9), — *Hebr. septem sabbata*, et dicuntur *plena*, quo perspiciatur septimum sabbatum ad illum numerum pertinere inclusive, non exclusive (*Cai.*) — v. 16 « *usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septimae* », *Hebr. : usque ad diem consequentem sabbatum septimum*, « *i. e. quinquaginta dies* »,

Licet septem *sabbata* continua numerari nequeant, nisi simul numerentur hebdomadae interiectae, tamen nulla ratio est neque hic neque 25,8 neque Deut. 16,9 vocis שבת vertendae *hebdomada*. Hinc vero efficitur computus *Caraitarum* supra laudatus esse unice verus. Sc. manipulus sive gomor offerebatur die consequente sabbatum seu dominica hebdomadae azymorum; hinc numerabantur septem integra sabbata seu, includendo illam primam dominicam, dies quadraginta novem; inde dies consequens sabbatum septimum erat πεντεκοστή seu dies quinquagesima, festumque pentecostes semper celebrabatur die dominica. In sententia vero *LXX* et *Ios.* dies 16 Nisan semper debuisset esse dominica, quod est absurdum. *Hitzig.*, *Kn.*, *Dillm.* vertentes h. l. שבת hebdomadam, simul affirmant eo nomine designari tantum posse hebdomadam, quae sabbato claudatur; et sic eorum explanatio recidit in nostram.

« *Et sic offeretis sacrificium novum Domino* » v. 17 « *ex* [*omnibus*] *habitaculis vestris, panes primitiarum* » seu, *oblationis* (תנופה), « *duos de duabus decimis similae fermentatae, quos coquetis in primitias Domini* ». Non de binis decimis, sed de duabus (*Bonfr.*). v. 18 « *Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos, anniculos, et vitulum de armento unum et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis* », cum *mincha* sua, « *in odorem suavissimum Domino* ». Panes offerebantur, sed nihil eorum comburebatur 2,11 (*Tost.*). Holocaustum intelligitur idem, quod Num. 28,27, ubi tamen pro bove uno et arietibus duobus leguntur boves duo et aries unus. Mendum in nostrum h. l. textum irrepsisse tanto facilius concedam, quod item v. 20 irrepserit mendum. Sc. על שני כבשים merito a *Vulg.* ignoratur : ortum videtur esse corruptione praecedentis על לחם הבכורים; articulum ante כבשים habent etiam *Sam. LXX.* Praeter holocaustum v. 19 « *facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum* ». v. 20 « *Cumque elevaverit eos sacerdos* », sc. duos agnos, « *cum panibus primitiarum coram Domino* », *sancta erunt Domino*, « *cedent in usum eius* », sacerdotis.

Sequitur huius legis clausula (cf. v. 3. 7 sq. 14) v. 21 : « *Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum* ». *Hebr. : Et proclamabitis eo ipso die : concio sacra erit vobis.* « *Omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis et generationibus vestris* ». Clausulae appenditur lex iam 19,9 sq. in favorem pauperum lata, verbis vix non iisdem : conferas, quae ibi dicebamus. v. 22 « *Postquam autem messueritis segetem terrae vestrae, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester* ».

4. *Novilunium septimi mensis* Lev. 23,23-25.

Festi tubarum (Num. 29,1, ubi etiam sacrificia offerenda recensentur; cf. Ps. 80,4) ratio tamquam res nota (*Dillm.*) non exprimitur. « In hoc septimo mense plures sunt festi dies, quam in ullo alio mense, ac totus propemodum mensis festus est, adeoque tempus admodum idoneum est ad celebranda festa, quippe quod tunc omnes fruges terrae, non tantum frumenta, sed et poma et vina et alia fructuum genera de agris collecta fuerint. Ad haec ab hoc mense inchoatur numeratio septimi anni, qui est annus sabbati; inchoatur etiam ab eo numeratio iubilaei de quo postea 25,8 » (*Vat.*). Reapse in illo mense septimo habetur 1ª die festum memoriale, 10ª die festum expiationis, a 15ª die festum tabernaculorum. Cuiusnam rei 1ª die memoria celebrabatur? Praeceptorum divinorum, inquit *Cai.*, cum eo die 2 Esdr. 8,2 praelegerit populo legem Esdras : at legis praelegendae tum potuit esse specialis ratio, potuitve ille esse annus iubilaei (cum v. 17 sq. ib. cf. Deut. 31,10 sq.). Videtur potius

celebrata esse memoria divinorum beneficiorum, ad quae utique etiam praecepta pertinebant. At cur initio septimi mensis id factum est? Quia is mensis erat initium anni civilis, et ante exodum fuerat initium anni tam civilis quam sacri, suamque solemnitatem habebat ab antiquis statutam, quam Deus noluit abrogare. Sancivit ergo, eo die « ut tubis clangentibus homines quasi e somno excitarentur » (*Ians.*) ad divinorum beneficiorum recordationem. Qui mos, cum esset a maioribus acceptus, h. l. accuratius non explicatur.

v. 23 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 24 « *Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis erit vobis sabbatum* », — non שבת sed שבתון, requies, solemnitas — « *memoriale clangentibus tubis* », — ita iungunt *LXX Syr.;* vel cum *Vulg.* iunge *solemnitas memorialis clangentibus tubis*, et sic melius perspicitur ratio adscriptae vocis שבתון, quae secus vix aliud dicit quam v. 25 requiem ab opere servili — « *et vocabitur sanctum* ». *Hebr.* absolute : *concio sacra,* sc. erit. v. 25 « *Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino* ».

5. *Dies expiationis* Lev. 23,26-32.

De die expiationis cf. quae dicebamus ad 16,29 sqq. (cf. item Num. 29,7 sqq.). v. 27, uti etiam v. 39, orditur ab adverbio אך, quod reticet *Vulg.* Illud vertendum est, uti Gen. 44,28 etc. : *profecto,* denotatque rem a Deo specialius inculcari. Cur specialius? Proniores fortasse erant Hebraei ad hanc expiationem omittendam, quos v. 32 prodit ieiunium decurtasse, ut die naturali a mane ad vesperam, non vero civili et religioso a vespera ad vesperam affligerentur. Similiter v. 39 incipit appendix aliqua ad v. 34-36, quae ut exprimeretur aequalis cum praecedentibus esse momenti, potuit idem illud adverbium praefigi.

v. 26 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : 27 « *Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus* » : — *Hebr. : concio sacra ipse erit vobis* — « *affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino* ». v. 28 « *Omne opus* [*servile*] *non facietis in tempore diei huius* », — *Hebr. : in ipso hoc die*. Et nota, post מלאכה non haberi עבדה (cf. v. 7 sq. 21. 25), ergo pro hoc festo iniungi requiem stricte sabbatinam, ut hoc festum v. 32 merito dicatur שבת שבתון — « *quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester* ». v. 29 « *Omnis anima, quae afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis* », v. 30 « *et quae operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo* ». v. 31 « *Nihil ergo operis facietis in eo : legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris* ». v. 32 « *Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis* » *vespere* (vocem omittunt *Vulg. LXX*); « *a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata*

vestra », seu accuratius *sabbatum vestrum*, vel etiam *fruemini requie vestra*. Illa dies stricte ut sabbatum servabatur, adiecto ieiunio. Prudenter vero monetur esse servanda a vespera ad vesperam. Quodsi enim ieiunium observabatur die naturali a mane ad vesperam, et utraque nox epulum habebat, aequo facilior erat expiatio.

6. *Festum tabernaculorum* Lev. 23,33-44.

Festum tabernaculorum חג הסכות audit h. l. et Deut. 16,13. 16; 31,10; Zach. 14,16 sqq.; 2 Par. 8,13; 1 Esdr. 3,4; audiebat חג האסיף Ex. 23,16; 34,22. — v. 36 עצרת vertebat *Vulg.* duabus vocibus *coetus* et *collecta*, i. e. collectio, quae tam ex etymo quam ex usu nominis significatio est propria. In Pentateucho adhibetur de octavo die festi tabernaculorum (h. l. et Num. 29,35; cf. 2 Par. 7,9; 2 Esdr. 8,18) et septimo azymorum (Deut. 16,8), unde non inepte *LXX* omnibus his locis vertunt ἐξόδιον, non quasi radix עצר sonet *concludere*, sed quia revera agitur de exitu seu conclusione solemnitatum. Cum עצרת non solos exprimat coetus sacros (cf. Ier. 9,1 [2]), sed hi potius exprimantur vocibus מקרא קדש, cum octavus dies Num. 29,36 (cf. v. 13. 17. 20. 23. 26. 29. 32) reapse pauciores prioribus habeat victimas, fortasse expressio erit intelligenda de festivitate non tam sacra quam populari. Cf. *Chald. Syr. : eritis adunati*, ubi *Ps. Ion.* pie sed inconsultius addit « ad orandum coram Domino ».

v. 33 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 34 « *Loquere filiis Israel : [A] quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriae tabernaculorum septem diebus Domino* ». v 35 « *Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus* », i. e. *erit concio sacra;* « *omne opus servile non facietis in eo* ». v. 36 « *Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus* », *erit concio sacra*, « *et offeretis holocaustum Domino; est [enim] coetus [atque collectae], omne opus servile non facietis in eo* ».

Catalogi clausula Lev. 23,37 sq.

Cf. v. 2. 4. v. 37 « *Hae sunt feriae Domini, quas vocabatis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta* » seu *minchas, mactationes et libationes*, « *iuxta ritum uniuscuiusque diei* ». זבח, uti Ex. 10,25; Lev. 17,8; Num. 15,5, designat victimas eas omnes, quae holocausta non sunt. Affirmat porro v. 38 non fuisse in animo tractare hoc capite de iis, quae festa non sint : « *exceptis sabbatis Domini* », de quibus vide quae diximus p. 212, « *donisque vestris, et quae offeretis ex voto, vel quae sponte tribuetis Domino* ». Cum extrema duo nomina adscriptam habeant vocem *omnia*, accipi possunt ut duae species ad genus *donorum* pertinentes.

De festo tabernaculorum appendicula Lev. 23,39-44.

v. 40 quatuor habet expressiones ad designandas arbores. Cum secunda et quarta nomina sint specierum, palmae et salicis, probabile videtur etiam prima et tertia species designari. *Fructus arboris pulchrae* vel *pulchri fructus arborei* est expressio nimis indeterminata neque ferenda in textu legis. *Chald.* vertit אתרוגין, *citrus aurantium* (orange). עבת repetitur 2 Esdr. 8,15 et habetur etiam Ez. 6,13; 20,28. Vi etymi utique edicit arborem frondosam, *Chald. Syr.* vertunt *myrtum*. Tamen 2 Esdr. 8,15 praeter עבת enumeratur הדס, quae etiam censetur esse myrtus. Cf. *Bonfr.* — *Ios.* (Ant. III. 10. 4) ait, eo festo Hebraeos « gestasse manibus fasciculum e myrto et salice cum spadice palmae compositum, addito Perseae pomo », pro quo idem (XIII. 13. 5) scribit κιτρίων. — Quoad אך initio v. 39, cf. quae diximus ante v. 26.

v. 39 « [*A*] *quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis* [*omnes*] *fructus terrae vestrae* », tamquam festum absolutae messis, « *celebrabitis ferias Domini* », solemnitatem Domino messis largitori, « *septem diebus; die primo et die octavo erit* [*sabbatum i. e.*] *requies* ». v. 40 « *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimae* » (v. s.) « *spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium et salices de torrente, et laetabimini coram Domino Deo vestro* », ramos illos et fructus *gestantes* (2 Mach. 10,7). Ex eiusdem ut plurimum generis ramis (2 Esdr. 8,15) etiam umbracula conficiebantur, at certe non e pomis aurantiis. v. 41 « *Celebrabitisque solemnitatem eius* », i. e. *Domino*, « *septem diebus per annum. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa* » — *Hebr. illud* — « *celebrabitis* ». Quaedam iterato inculcantur : festum non erit profanum, sed Domino celebrabitur, et quidem quotannis, etiam annis famis, toto septiduo, et quidem initio anni civilis. v. 42 explicat nomen festo v. 34 attributum : « *Et habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis* », i. e. umbraculis. Tandem festi ratio explicatur v. 43 : « *ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti* ». סכה non est necessario umbraculum e ramis confectum (cf. Gen. 33,17). Est habitaculum mobile, v. g. tentorium. Exeunte messe, quando Hebraei omnem terrae promissae benedictionem collegissent, iubebantur gratis animis meminisse temporis in deserto transacti, ubi vaga habitacula et vix ullae messes. « *Ego Dominus Deus vester* ». v. 44 « *Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel* ».

F. Ordinatio de oleo lucernarum et de panibus propositionis Lev. 24,1-9.

Cap. 24 duabus partibus constat : primum duabus legibus v. 2-4 et 5-9, nulla inter se vel ad calcem clausula, ne formula quidem « Ego Iahve », distinctis; dein facto historico v. 10-23, quod v. 13-22 continet aliquod divinum eloquium formula « Ego Iahve Deus vester » v. 22 obsignatum.

Dubium movent duae leges v. 2-9, ubi v. 2 sq. verbotenus idem sunt cum Ex. 27,20 sq. ; suspicetur quis has leges, quae novi vix quidquam edicant, aliunde huc esse delapsas. Tamen aliquid novi habent. Quod Ex. 27,20 Moysi Deus mandaverat, ut *edoceret* Israelitas de oleo pro candelabro providendo, id nullibi legebamus *impletum :* porro h. l. iteratur mandatum illudque e v. 33 intelligitur esse impletum. Panum autem propositionis antehac (Ex. 25,30; 35,13; 39,35 [36]; 40,21 [23]) numerus, moles ritusque offerendi haud describebantur. Tandem e v. 23 colligimus, mandatum providendi olei et panum eodem, quo factum v. 10 sqq. evenit, tempore populo esse promulgatum. Id quippe edicunt verba : « Feceruntque filii Israel, sicut praeceperat Dominus Moysi ». Quae si de solo blasphemi supplicio exponantur, habetur tautologia cum praecedente v. 23 sententia; si vero ad leges etiam v. 2-9 extendantur, illud novum edicunt, populum abhinc suppeditasse oleum et panes, quae eousque fortasse Moyses non e certis acceptis providerat. Ergo censemus v. 2-9 et 10-23 individue connecti inter se.

Hic iam oritur quaestio, annon forte Ex. 27,20 sq. sit adiectitium atque e nostro loco illuc translatum. Quod quis inferat etiam exinde, quod Ex. 27,21 *Aaronis* officium demonstretur, cum is nonnisi sequente capite ad sacerdotium electus esse demonstretur. Potuitque recentiori cuidam videri, in prima de tabernaculo instruendo revelatione omnino etiam aliquid de candelabri oleo et panibus propositionis dici oportuisse. Quae tamen ratio efficax non est, cum secus aeque de panibus propositionis Ex. 27 fuisset agendum. Aaronis vero 27,21 mentio tanto facilius explicatur, quod eius ad sacerdotium electio versu immediate sequenti referatur.

Quaestionem, totumne Lev. 24 suo loco legatur, an aliunde sit huc delapsum, de Lev. 24,10-23 tractantes attingemus.

Cap. XXIV v. 1 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter* ». v. 3 « *Extra velum testimonii in tabernaculo foederis ponet* [*que*] » — omitte copulam

cum *Hebr. Sam. Chald.* — « *eas Aaron* » — *Sam. LXX* et aliqui codices hebraei *et filii eius*, uti Ex. 27,21 — « *a vespere usque ad mane coram Domino, cultu* [*rituque*] *perpetuo in generationibus vestris* ». v. 4 « *Super candelabrum mundissimum* », i. e. ex auro mundissimo (Ex. 25,31), « *ponentur semper in conspectu Domini* ».

v. 5 « *Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes* », placentas (cf. 2,4 et Ex. 29,2), « *qui singuli habebunt duas decimas* » (cf. Ex. 29,40). v. 6 « *Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam* », i. e. auro purissimo (Ex. 25,24) deauratam, adiectivum quippe uti supra v. 4 accipitur, « *coram Domino statues* ». At *Hebr. : et pones eos ordinibus duobus, senos in utrovis ordine;* itemque v. 7 iubetur thus imponi *ordinibus* (*Cai.*). Fortasse seni panes invicem superponebantur, et thus supremo tantum utrimque pani imponebatur. Porro duodecim panes totidem tribus repraesentabant (*Ians.*). v. 7 « *Et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini* ». *Hebr. : et erit in cibum ad monimentum, combustio Iahve;* quibus verbis (cf. 2,9 sq.) illis panibus tribuitur ratio sacrificii ; non vero recensebantur Lev. 2 et 6,14-18, quod loca illa agant de sacrificiis privatorum, panes vero nomine populi proponerentur. Tempore *Iosephi* (III. 10. 7) incensum duabus lancibus aureis panibus imponebatur, quo rursum suggeritur, senos panes fuisse invicem impositos. At Moysis iam aevo eas lances esse adhibitas testimonium non efficit. v. 8 « *Per singula sabbata mutabuntur coram Domino* [*suscepti*] *a filiis Israel foedere sempiterno* », v. 9 « *eruntque Aaron et filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto : quia sanctum sanctorum est* » *ei* « *de sacrificiis Domini iure perpetuo* ».

Hebr. v. 7 : *et erit* (fem.) *in panem in recordationem combustio Domini.* Si, quod est obvium, haec referas ad solum *thus*, dure illud dicitur fieri in panem seu cibum, cum thus nullatenus rationem cibi habeat. Neque admitti potest quod explicat *Vat.*, thus fuisse « vice panis cremandum », primum quia id textus minime dicit, dein quia panes propositionis nullatenus erant sacrificium, nihil eorum cremabatur, nihil eorum vice cremandum erat. Quae eadem difficultas obtinet, si verba referas ad *pánes et thus :* quomodo enim panes cum thure dicantur combustio Domini, cum panum nihil omnino comburatur? Tandem, quomodovis iungas, dura est constructio ob duplex ל. *LXX* imponi panibus iubent *thus et sal*, ויהלה, quam vocem oriri potuisse corruptione sequentis ללחם evidens est. Potuit tamen aeque facile ללחם oriri corruptione praecedentis ויהלה. Unde haud improbabile videtur textum primitus fuisse hunc : *Et pones super ordines thus lucidissimum et sal, et erit* — thus, vel thus cum sale — *in recordationem combustio Domini.*

G. Blasphemi supplicium Lev. 24,10-23.

v. 15-22 habetur lex, quae aliarum legum formam imitatur; orditur

sc. vocibus איש איש כי (cf. Lev. 15; 17,3. 8. 10. 13; 18,6; 20,2. 9; 22,4. 18), dum v. 17. 19 narrationem producit simpliciore formula ואיש כי, desinitque v. 22 in clausulam « Ego Iahve etc. ». Item prius v. 23 incisum correspondet 23,44; 21,24; ultimum eiusdem versus incisum est ad instar 16,34; 8,36; Num. 1,54; 2,34. Sed illud ea lex peculiare habet, ut sit contexta narrationi cuidam historicae v. 10-14 : cf. medium incisum v. 23. Eiusmodi leges narrationi intime contextas etiam habes Ex. 12; 13,1-16; 20; 25-31; Lev. 10,8-11; 16; cf. Num. 15,37-41. Pertinet igitur Lev. 24 ad continuam historiae mosaicae narrationem, quae est horum sacrorum librorum fundamentum.

Quaeritur porro, cur Lev. 24 pracise insertum reperiatur inter catalogum festorum (cap. 23) et legem de anno sabbatico et iubilaeo (cap. 25), quo etiam contextus interrumpi videatur. Ubi tres se offerunt hypotheses. Prima, Lev. 24 primitus alio loco fuisse insertum, v. g. post cap. 26 vel 27, et librariorum incuria huc tandem esse delapsum. Secunda, Lev. 24 ab ipso primo legum collectore h. l. minus sapienter esse insertum, cuiusmodi error auctori etiam inspirato contingere potest. Tertia, ab eodem sapienter h. l. esse insertum; quod Lev. 23 et 25 affines tractent materias, non probare individue primitus cohaesisse, aut eodem tempore esse nata, cum in legibus in Lev. collectis quandoque materiae minime affines se contingant, ideoque fortuita esse possit rerum cap. 23 et 25 tractatarum affinitas. Sed demus etiam, voluisse Deum illas materias affines festorum et iubilaei duabus legibus, eodem circiter tempore definire, at potuit post primam legem editam, altera nondum promulgata, ille vir blasphemia Dei iram provocare. Ergo non est sufficiens ratio affirmandi inversi capitum ordinis, assentimurque *Sylvio* dicenti: « Cur autem praesens historia h. l. narretur, non alia videtur inquirenda esse ratio, quam quod evenerit sub tempus, quo praecepta priora fuerunt data ».

v. 10 « *Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis quem peperverat de viro Aegyptio* » — e qua origine fortasse contraxerat filius blasphemandi pruritum (*Sylv.*); omnino quippe nititur narrator a scelere tam atroci gentem electam excusare — « *inter filios Israel, iurgatus est in castris cum viro Israelita* ». Illud *inter filios Israel* trahit *Malv.* ad *de viro Aegyptio*, et falso hinc infert eum Aegyptium amplexum esse Israelitarum fidem. Potius iunge cum *egressus :* ille vir egressus de tabernaculo suo vel aliunde in publicum, *in medium filiorum Israel*, peccatum patravit omnino publicum et scandalosum. v. 11 « *Cumque blasphemasset* » *filius mulieris Israelitidis* « *nomen et maledixisset ei, adductus est ad Moysen. Vocabatur autem mater*

eius Salumith », — idem nomen mulieris 1 Par. 3,19, virorum 1 Par. 23,9. 18; 2 Par. 11,20; 1 Esdr. 8,10 — « *filia Dabri de tribu Dan* ». Filii nomen supprimitur, uti etiam viri Aegyptii. v. 12 « *Miseruntque eum in carcerem, donec nossent, quid iuberet Dominus* ». *Hebr. : ad declarandum ipsis secundum os Domini;* ut consulto Domino Moyses ipsos, quid actu opus esset, edoceret; et hinc, *ut iudicaretur ille etc.* (*LXX*).

Cum נקב etiam significet *declarare* (Gen. 30,28), *Targ. Syr.* vertere פרש *clare pronuntiare, LXX* ἐπονομάσας; tamen sequens verbum vertere omnes *maledixit* vel *blasphemavit*, praeter *Chald. ad iram provocavit* et *Syr. extulit.* Tamen verbi נקב significatio *detestari, blasphemare* constat e Num. 23,8. 25; Iob 3,8; 5,3; Prov. 11,26. — v. 16 priore loco omnes habent *nomen Domini;* item altero loco *Vulg. LXX*, et ib. *Syr. nomen meum.* Ergo hoc altero loco lectio dubia. Dum igitur probari nequit, in textu legis divinae v. 16 fucata quadam reverentia expunctum esse nomen divinum, id in narratione v. 11 factum esse omnino est concedendum. In toto V. T. pro שם יהוה vel solo יהוה nunquam scribitur absolute השם, quae Iudaeorum posteriorum fuit praxis (cf. *A. Geiger :* Urschrift etc., p. 273 sq.). Intolerabile his videbatur nomen sacrosanctum iungere verbo, quod blasphemandi haberet sensum.

v. 13 « *Qui locutus est ad Moysen* » v. 14 « *dicens : Educ blasphemum extra castra* ». « Tanta est blasphemiae enormitas, ut blasphemus non tantum non sit permittendus vivere in communi aliorum hominum consortio, sed nec ibi eum mori deceat » (*Sylv.*). Cf. Act. 7,57. Ceterum extremum supplicium consueverat extra castra vel urbem sumi. « *Et ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius* », non ut culpam suam in illum devolverent (*Oleaster* ap. Est.), nam mere audientium nulla fuerat culpa; non tamquam in hostiam (*Bonfr.*), nam blasphemus nullatenus ut hostia immolabatur; sed « tamquam testes blasphemiae. Qua ceremonia significabant primo se affirmare, quod res ita vere contigisset et caput istud esset reum et morti obnoxium; secundo tacite rogabant Deum, ut illum puniendo poenam a se et a republica averterent » (*Ians.*). « *Et lapidet eum populus universus* ». An hic uti Deut. 17,7 testes primos lapides iecerint, non liquet.

Lex de blasphemia et percussione Lev. 24,15-22.

Arg. — Cur legi v. 15 sq. de sermone in Deum irreverenti et de blasphemia addantur alia de homicidio etc., fortasse quaeres. Ratio potuit esse, quod ea edicta eo praecise tempore fuerint magis necessaria, quare Deus hac occasione usus sit ad ea promulganda. Praeterea adverte, v. 17 blasphemiam *quoad poenam* aequiparari homicidio; v. 18-20 enuntiari legem talionis, qua iniuria illata *aequali* iniuria

puniatur. Unde rursum sequitur, blasphemiam, quam vulgi homines flocci faciunt, non esse minus malum homicidio, imo aequale et fortasse maius, cum gravior morte poena infligi nequeat.

v. 15 « *Et ad filios Israel loqueris : Homo, qui maledixerit Deo suo* », — *LXX* ignorant suffixum — « *portabit peccatum suum* »; v. 16 « *et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur* ». Cum tam קלל (Num. 22,6 cf. cum Deut. 23,5) quam נקב (Num. 23,7 sq.) idem sonet atque ארר, omnia haec verba unicam exprimunt maledictionem, h. l. in Deum blasphemiam, idemque parallelismo quodam edicit v. 15 et 16ª; *portabit peccatum suum* generaliori modo eandem poenam enuntiat, atque *morte moriatur*. Ergo voce *Deus* v. 15 non designatur iudex (*Cai.*), non gentilium deus, sive eum bona fide deum esse quis reputet (*Theodoret.*), sive non reputet (*Philo :* Vita Moysis III), sed Deus verus alio quolibet praeter Iahve nomine appellatus. v. 17 « *Qui percusserit* [*et occiderit*] *hominem, morte moriatur* ». Illud *et occiderit*, omnino secundum contextum, etiam *LXX* h. l. suppleverunt, itemque v. 18 et altera v. 21 parte. v. 18 « *Qui percusserit animal, reddet* [*vicarium, i. e.*] *animam pro anima* », animal eiusdem omnino conditionis. v. 19 « *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei* ». Et illico, quae maculae intelligantur, explicatur : v. 20 « *fracturam pro fractura* » (Lev. 21,19), « *oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur* ». Cf. Ex. 21,24 sq. v. 21 « *Qui percusserit iumentum, reddet aliud; qui percusserit hominem, punietur* », seu verius *occidetur* (*Hebr.*). Hic versus repetit v. 17 sq. : fortasse sunt duae unici textus versiones. v. 22 *Unum* ideoque « *aequum iudicium sit inter vos, sive peregrinus sive civis peccaverit* », — *Hebr. : sit* — « *quia ego sum Dominus Deus vester* ». Cf. Ex. 12, 49. Aequalitatem h. l. crediderim restringi ad causas percussionis et mutilationis.

v. 23 « *Locutusque est Moyses ad filios Israel, et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel, sicut praeceperat Dominus Moysi* ».

H. Libri legum epilogus Lev. 25 sq.

Unum duo capita complectitur eloquium, quod patet cum e 25,1 et 26,45 inter se comparatis, tum e deficientibus initio cap. 26 verbis « Locutus est Dominus etc. ». Dirigitur ad *universum populum* illudque

respicit tempus, quo is *in terra sancta* (25,2) futurus sit permanenter stabilitus. Cui pro *cultu Dei* ib. fideliter observato 25,1-26,2 indicuntur *praemia* 26,3-13, pro eodem neglecto 26,14-45 *poenae*, ita tamen ut semper poenitentibus praesto futura sit *venia*. Hoc eloquium proprie agmen claudit divinorum in Lev. eloquiorum; quod patet cum ex ea quam modo exponebamus materia, tum e stilo solemniore, maxime vero ex eo quod cap. 27 instar supplementi adnectatur.

Formulae « Ego Iahve Deus vester » et « Facite praecepta mea etc. » 25,17 sq. separant sermonem de iubilaei effectu quoad fruges v. 14-17 ab appendicibus v. 23-28 illi immediate iungendis. Ante alias v. 39-55 appendices inseritur v. 38 formula « Ego Iahve Deus vester, qui eduxi vos etc. ». 26,1 sq., quibus cap. 25 connectitur cum 26,3 sqq., bis habet « Ego Iahve Deus vester » et semel « Ego Iahve ». Praemiorum tractatus 26,13 absolvitur formula « Ego Iahve Deus vester, qui eduxi vos etc. », et poenarum tractatus v. 44 sq. formula « Ego Iahve Deus eorum, qui eduxi eos etc. » et « Ego Iahve ». Sequitur v. 45 *subscriptio* legis non huius tantum, sed aliarum item legum.

1. *Cultus Iahve praestandus* Lev. 25,1-26,2.

Verba initio 26,1 « Ego Dominus Deus vester » *Hebr. Sam. Chald. Syr.* trahunt ad priora, *Hebr.* etiam reliquum v. 1 et v. 2. Reapse haec intime cap. 25 spectant. Antequam Deus 26,3 sqq. observatorum *mandatorum* et *praeceptorum* praemia recenset, breve eorum mandatorum summarium proponit 26,1 sq. Repetit ea de cultu divino mandata, quae nulla non occasione inculcabat : *cultum unius Dei imaginibus carentem, sabbati et sanctuarii religionem.* Uberiorem haec explanationem h. l. non exigebant. Praemittit tamen Deus cap. 25 novam aliquam sabbati extensionem, *annum sabbaticum*, eique adnectit materiam affinem *iubilaeum*.

Hae leges apud solos Israelitas exstant; sed nota, observandi quoque sabbati, quod a mundi exordio consecraverat Deus, vix ulla inter gentes reperiri vestigia. Ergo neque affirmare fas est, ante Moysen nullam inter Hebraeos fuisse anni septimi et quinquagesimi sanctitatem. Non fuerat ea utique lege divina sancita, cum ne sabbati quidem lex exstaret divina. An eam observaverint patriarchae ante et post diluvium, ignoramus. In Aegypto non facile observabatur, tum quod ab Aegyptiorum moribus ea lex abhorreret, cum quod Hebraeorum plerique ibidem agricolae non essent. Ob eandem rationem haud poterat plene servari in deserto, sed traditur *postea* servanda, quin inde concludere fas sit legem eam esse omnibus numeris et praeter omnem morem novam. Fortasse textibus cuneiformibus aliquando edocebimur, an Babyloniorum sossus, i. e. annus 60us, simili ratione atque Hebraeorum iubilaeum fuerit observatus.

Critica textus cap. 25 difficilior, quod is in aliquibus sit corruptus.

Tamen, attentis et textus Masorethici divisionibus et iis, quae de sacri textus articulis certis formulis distinguendis toties observabamus, sequentia suggerimus. Merito igitur *Masor.* v. 8 a praecedentibus distinguunt, cum is misso anno sabbatico de iubilaeo sermonem inducat. v. 17 sq. offendimus unam e consuetis clausulis, quae sermonem v. 14-17 de frugum venditione concludit; alteram v. 38. Porro v. 19-22 ostendemus loco esse movendum atque ad calcem sermonis de anno sabbatico transferendum. Accipe iam capitis conspectum.

a) Annus sabbaticus v. 1-7 (Masor. ס) et v. 19-22.
b) Iubilaeum. Illud indicitur v. 8-12, eius effectus v. 13 generali propositione enuntiantur, postea singillatim describuntur :
α) quoad fruges v. 14-17, additurque clausula v. 17 sq.

Appendices : א) terra ipsa non venditur v. 23 sq. (ס);
ב) pauperibus indulgentia exhibenda v. 25-28 (ס).

β) quoad domus et homines :
א) de domibus in urbe v. 29 sq. vel ruri v. 31 sitis; de domibus levitarum v. 32 34 (ס);
ב) de Hebraeo paupere in domo Hebraei degente v. 35-37; additurque clausula v. 38 (ס).

Appendices : א) de Hebraeo, qui se vendidit Hebraeo v. 39-46 (ס);

ב) de Hebraeo, qui se vendidit advenae v. 47-55.

Sequitur summarium seu clausula 26,1 sq.

a. De anno sabbatico Lev.25,1-7.

Arg. — Septimo quoque anno requies concedenda terrae; abstinendum ab agrorum cultura, messe, vindemia; iis, quae sponte nascuntur, vescendum.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai dicens* » : — locus rursum demonstratur, quia narratio 24,10-23 interruperat elenchum legum sinaiticarum (*Dillm.*) — v. 2 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino* », *Hebr. sabbatizabit terra sabbatum Domino.* Cf. Ex. 23,10 sq. Et explicatur eius requiei ratio v. 3 : « *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius* » : v. 4 « *septimo autem anno sabbatum erit terrae, requietionis Domini* », « h. e. quiescere permittetur terra in Dei honorem et symbolum quoddam memorativum divinae illius quietis septimo die » (*Bonfr.*). « *Agrum non seres et vineam non putabis* ». v. 5 « *Quae*

sponte gignet humus » *tua* « *non metes, et uvas primitiarum tuarum non colliges* [*quasi vindemiam*] : *annus enim requietionis terrae est* »; v. 6« *sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillae et mercenario tuo et advenae, qui peregrinantur apud te* »; v. 7 « *iumentis tuis et pecoribus omnia, quae nascuntur, praebebunt cibum* ».

v. 5 agit de iis, quae agro non sato et vinea non putata nascuntur. Hinc *additum segetis tuae* sunt spicae e granis tempore messis deciduis natae. Quid sint עִנְּבִי נִזְרֶךָ e contextu patet : sunt uvae natae in vitibus non putatis. *Vulg.* LXX (τοῦ ἁγιάσματος) videntur has uvas comparasse *nasiraeis* non tonsis. Imo *Ew.* (Altertümer p. 489) hinc infert, nasiraeorum institutum tempore sacri narratoris iam exstitisse perantiquum. E contra Chald. vertit שִׁבְקָךְ (cf. Ez. 17,6) et Syr. שִׁבְשְׁתִּיכוֹן, *palmites*. *Sam.* נִזְרֶיךָ, ergo *vites consecratae* : sicut sc. homines consecrabantur coma intonsa, ita vites palmitibus non putatis. Haec explicatio sistit in radicis significatione consueta, neque quidquam habet de nasiraeorum instituto.

b. De iubilaeo Lev. 25,8-55.

De *iubilaeo* notanda sequentia.

1. Annus iubilaei semper fuit quinquagesimus, non quadragesimus nonus. Ita habet explicite v. 10. « Numerandae » praescribuntur v. 8 septem hebdomadae annorum eadem omnino ratione, atque 23,15 « numerabantur » septem hebdomadae dierum, quas excipiebat dies pentecostes, qui quinquagesimus erat, non quadragesimus nonus. Quinquagesimum fuisse post *Ios.* et *Philonem* sensere interpretes omnino plerique.

Contra quod placitum moventur difficultates potissimum duae, non e sacro textu petitae. Prima est, quoties iubilaeum immediate consequeretur annum sabbaticum, duos successive annos carituros fuisse semente et messe, unum annum quadragesimum octavum debuisse triennii annonam producere. Respondent, praeter soli fertilitatem recurrendum hic esse ad specialem Dei benedictionem v. 19-22 et cap. 26 promissam; futuram fuisse eam benedictionem continuationem quamdam cibi Hebraeis in deserto insigni plane miraculo praebiti. Facilior etiam habetur responsio ex iis, quae ad v. 11 et v. 19-22 dicemus. Obiicitur praeterea canon Rabbi Adda, qui supponens annos sabbaticos a mundi exordio observari consuevisse, docet cuiusque eventus in computo sabbatico locum definiri posse, numero annorum a mundi exordio ad eum eventum diviso per septem. Atqui secundum nos, nonnisi subtracto primum iubilaeorum ab initio mundi ad eventum numero, residuum dividere fas esset per septem. Respondeas, eum canonem excogitatum esse quarto post Christum saeculo, quando iubilaea inde a diruta a Romanis Hierosolyma, imo secundum aliquam Talmudistarum traditionem inde ab exsilio babylonico computari desierant.

2. Annus iubilaei, uti etiam anni sabbatici, non incipiebat initio anni sacri mense Nisan, sed initio anni civilis mense Tisri. Quoad annos sabbaticos habes v. 3 sq., qui demonstrant annum incipientem a sementis tem-

pore, i. e. autumno. Sed annus iubilaei in eodem contextu atque annus sabbaticus descriptus evidenter est eiusdem cum anno sabbatico rationis, ergo incipit mense Tisri.

3. Annus iubilaei incipiebat die prima mensis Tisri, illud quippe erat initium anni civilis. Neque obest, v. 9 sq. clangorem tubarum praescribi pro die mensis decima. Eo quippe clangore » annuntiabatur « non ipsissimum anni initium, sed simpliciter iubilaei annus. Die prima 23, 24 clangebantur tubae pro sabbato memoriali, ergo alio die clangendae erant pro iubilaeo. Pro iubilaeo, qui annus esset nequaquam iubilationis, sed restitutionis, aptissime tubae clangebantur v. 9 « die propitiationis ». Neque periculum erat, ne quis inter diem primam et decimam aut sereret aut meteret, cum et messis ante diem primam esset plane absoluta, et sementis ante diem decimam certe non inchoaretur.

4. Radicis יבל quam novimus significatio est *ducere, ferre.* Ei ad nomen יובל explicandum aliqui gratuito affingunt *resonandi* significationem, eamve confundunt cum יבב vel ילל. Vocem hebraeam retinent *Vulg. Chald. Theod.;* reliqui non vertunt, sed circumscribunt : *LXX* ἀφέσεως, *Syr.* בוביא i. e. *reversio, Aq.* παραφέρων (ubi cf. Field ad Ex. 19, 13). *LXX* σημασίας αὐτῆς non videtur esse (cf. v. 15) nisi altera vocis יובל versio. *Rabbi Akiba* aiebat nomen apud Arabes habere significationem *aries.* Quam nostra quidem lexica arabica eidem non assignant. Sed cum יבל apud Phoenices secundum Inscriptionem Marsiliam lin. 7 *arietem* expresserit, reapse ea significatio reliquis est probabilior, קרן היובל est *cornu arietis,* quod clangebatur, et hinc ipse annus nactus est nomen יובל. Significatio *iubilandi* secundum etymon a voce utique exsulat, uti etiam a « die expiationis » v. 9. — Cf. *P. Schmalzl :* Das Iubeljahr, Eichstätt 1889.

α. De indole iubilaei Lev. 25,8-12.

v. 8 « *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum* », — *Hebr. : septem sabbata annorum,* sed cum omne sabbatum suum praecedat hexaemeron, efficiuntur anni 49, quod illico explicat textus — « [*i. e.*] *septies septem* » *annos,* « *quae simul faciunt annos quadraginta novem* ». v. 9 « *Et clanges buccina* » — שופר cf. Ex. 19,16, pro quo Ios. 6,5 (cf. v. 4. 6. 8. 13) substituitur קרן, unde vera esse dignoscitur explicatio *Hier.* (in Os. 5,8; *M.* 25. 86) : « buccina pastoralis est et cornu recurvo efficitur, unde et proprie hebraice Sophar, graece κερατίνη appellatur » — « *mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore* », seu verius *die* (23,27), « *in universa terra vestra* ». v. 10 « *Sanctificabisque annum quinquagesimum* ». Cum vero sint varii modi sanctificationis, illico qui modus intelligatur exponitur (*Cai.*) : « *et vocabis* », seu proclamabis, « *remissionem* », i. e. liberationem seu manumissionem, « *cunctis habitatoribus terrae tuae : ipse est enim*

iubilaeus ». Et explicatur illa remissio : « *Revertetur homo ad possessionem suam* », quam divendidit, « *et unusquisque rediet ad familiam* [*pristinam*] », a qua secessit in servitutem. v. 11 « *Quia iubilaeus est et quinquagesimus annus* ». In hoc consistit iubilaei sanctificatio, non v. g. in operis servilis prohibitione. « *Non seretis neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiae non colligetis* » (cf. quae dicebamus ad v. 5), v. 12 « *ob sanctificationem iubilaei, sed statim oblata comedetis* ». Clarius *Hebr. : de agro manducabitis proventum,* non in granaria congestum. Ceterum hanc agriculturae prohibitionem p. 530 sq. ostendemus probabilius esse expungendam.

β. De iubilaei effectibus Lev. 25,13-55.

v. 13 « *Anno iubilaei* » *huius* « *redient omnes ad possessiones suas* ».

ℵ. *Effectus quoad fruges* Lev. 25,14-18.

Arg. — Emitur non ager ipse, sed fructus agri usque ad iubilaeum proxime sequens. Hinc pretium crescit vel decrescit proportione numeri annorum maioris vel minoris usque ad illud iubilaeum. Qua in re iuste agendum est, non dolose.

v. 14 rursum (cf. 19,33; Ex. 22,21 hebr. 20) inculcatur principium de proximo non opprimendo, circumveniendo : proximus intelligitur primum popularis, quin ideo licentia concedatur extraneorum circumveniendorum; tota haec redemptionis lex extraneos minime attingit. v. 14 « *Quando vendes quidpiam civi tuo vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum iubilaei emes ab eo* ». *Hebr. : annorum post iubilaeum,* ergo non qui supersunt usque ad iubilaeum proxime futurum (*Cai.*), sed qui effluxerunt a supremo quod decurrebat iubilaeo (*Vat.*) : « Si vicesimo anno a iubilaeo emes, non tanti emes, quanti emendum esset, si decem tantum anni praeteriissent. Nam si viginti anni elapsi essent, triginta solum superessent; si decem, quadraginta. Si ergo plures supersint anni a iubilaeo, pluris tibi vendet; si pauciores, minoris ». Practice illi duo computi coincidunt : nam, sicut pretium minuitur pro annis ab ultimo iubilaeo elapsis, ita solvitur ratione annorum usque ad iubilaeum proxime futurum. v. 15 « *Et iuxta supputationem frugum vendet tibi* ». *Hebr. : iuxta numerum annorum frugum* « accipiendarum » (*Bonfr.*) a te, vel etiam acceptarum ab ipso : nam sensus manet idem. v. 16 « *Quanto plures anni remanserint* [*post iubilaeum*], *tanto crescit et pretium, et quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris et emptio constabit : tempus enim frugum* » — *Hebr. numerum proventus* — « *vendet*

tibi » tamquam colonus; ager quippe nunquam venditur, sed Dei est (v. 23). v. 17 « *Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester* ». Admonitionem hanc (v. 14) apte repeti censet *Cai.* « propter facilitatem decipiendi indigentes, qui vendunt in huiusmodi aestimationibus ». v. 18 « *Facite praecepta mea et iudicia custodite et implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore* ».

Textus *Ios.* Ant. III. 12. 3, cum ob innatam obscuritatem tum ob variantes lectiones difficilis, ita videtur vertendus et explicandus : « Restituit autem » Moyses « agros etiam primis possessoribus hac ratione. Imminente iubilaeo, quod nomen remissionem sonat, conveniunt venditor agri et emptor, et computant proventum agrique expensas » per omnes inde a venditione annos. Supponitur autem ultimi ante iubilaeum anni *seges* adhuc prostare in agro. « Si reperiunt proventum superasse expensas, recipit agrum venditor », et cum illo segetem, quae in ipso prostat, tamquam compensationem iniquioris pridem accepti pretii. « Si excedant expensae, ad compensandum defectum cedit segetem » venditor, « sed retinet possessionem » agri. « Si proventus aequet expensas, partitur » segetem « proportione antea determinata ». An his Ios. textum Lev. 25 interpretetur ad mentem Moysis, non liquet.

v. 18-22 difficultatem habet. Secundum contextum hi versus utique iubilaeum respiciunt : at quaestio v. 20 de *anno septimo* (soli *LXX anno octavo*) refertur utique ad annum sabbaticum, et ad hunc refertur a *Cai., Bonfr., Sylv.* aliisque; aiunt quaestionem a pari vel a fortiori valere item de iubilaeo : quid edemus anno sabbatico, si illo non seramus? quid item anno iubilaei? At secundum contextum, in quo nunc v. 20 legitur, nulla erat ratio obiectionis in annum sabbaticum dirigendae, sed erat dirigenda in annum iubilaei. Imo maximam vim nanciscebatur obiectio tum, quando iubilaeum immediate consequebatur annum sabbaticum. Cur ergo, qui v. 20 loquuntur, supponantur suam obiectionem extenuasse, dirigentes praeter immediatum contextum in annum sabbaticum, quam longe efficacius direxissent in iubilaeum? Crescit difficultas v. 22 *seretis anno octavo*, ergo sabbaticum consequente. Quae responsio plane inefficax est iis in adiunctis, in quibus maxime expetebatur, quoties sc. ille annus octavus erat simul iubilaeum. Quomodo tum poterant iuberi serere anno octavo, qui v. 11 eodem anno serere prohibiti erant? Hinc auctores coguntur *annum octavum* restringere ad eum, qui sabbaticum consequatur, sed iubilaeum *non* sit. At iam difficultatem facit v. 21 promittens, annum sextum facturum esse *trium annorum fructum* sc. anni sabbatici, iubilaei et anni iubilaeum consequentis, pro quo durante iubilaeo non serebatur. Quare tenent *Bonfr., Gord., Calm. tres annos* non intelligi integros, sed annos sabbaticum et iubilaeum integros cum initio anni immediate sequentis. At quomodo non integre accipiantur *trium annorum fructus?* Aut nihil tertiae segetis habetur, et tum nullo modo adest tertii anni fructus; aut ad tertiam segetem pertingit computus, et tum plene et vere habentur triennii fructus. Quare, cum aliunde v. 23 satis apte continuet orationem v. 17, non est improbabilis sententia *Kn.*, v. 17 sq. et 23 primitus individue cohaesisse; putantque *Ew., Wellh.* v. 18-22 primitus consecutos esse v. 7 et solum annum sabbaticum respexisse, dein post v. 17 delapsos ita esse deformatos, ut quadamtenus, non tamen accurate anno etiam iubilaei adaptarentur. — Manet adhuc difficultas, proscribi tandem v. 11 pro iubilaeo agrorum culturam, ergo quoties iubilaeum immediate consequeretur annum sabbaticum, opus fuisse insigni plane miraculo, ut annus 48us segetem produceret

tam opimam, quae tribus integris annis esset satis. Supponas iam illud v. 11 sq. de non serendo neque metendo durante iubilaeo primitus in textu non fuisse, sed irrepsisse ad imitationem v. 4 sq. manu cuiusdam scribae de extendenda sabbati requie inepte solliciti. Quibus verbis expunctis fluit iam tota cum v. 1-7. 19-22, tum v. 8-11. 13-18. 23 sqq. oratio. Dices, adhuc superesse difficultatem in illo v. 21 *fructus trium annorum* : quorsum enim promittat Deus trium annorum cibum, quando sola duorum annorum annona desideratur? Respondeo, Deum loqui per hyperbolen : illis queritantibus defuturam secundi anni annonam, affirmat sua se providentia effecturum, ut unus tum annus tam amplam suppeditaret segetem, quae non duobus tantum sed vel tribus annis foret satis. Potuit tandem ea vox *trium* etiam esse occasio aliqua transferendorum v. 19-22 in eum, ubi nunc leguntur, locum.

Fragmentum de anno sabbatico huc delapsum Lev. 25,19-22.

Arg. — Hos versus immediate iungendos esse versui 7, supra docebamus. Deus tantam anni sexti fertilitatem promittit, quae septimi et octavi suppeditet annonam.

v. 19 « *Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes* ». *Hebr.*, uti extremo v. 18, *secure*. v. 20 « *Quodsi dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus neque collegerimus fruges nostras?* » v. 21 « *dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum* », v. 22 « *seretisque anno octavo et comedetis veteres fruges usque ad nonum annum* » exclusive : « *donec nova nascantur, edetis vetera* ».

Appendices de frugum venditione Lev. 25,23-28.

Arg. — v. 23 stabilit principium non agrum vendi, quippe qui Dei sit, sed solum ius frugum; quod ius v. 24 redimi queat. Si quis paupertate pressus ius sui agri divenderit, redimendi ius habet proximorum unus (v. 25) ordine v. 48 sq. definiendo; item ipse venditor ditior factus (v. 26 sq.), soluto frugum pretio pro numero eorum annorum, qui supersunt usque ad iubilaeum proxime sequens.

v. 23 « *Terra quoque non vendetur in perpetuum* », absolute, quem sensum voci ceteroqui obscuriori contextus vindicat, « *quia mea est* », non generali tantum dominio, sed quia « omne mihi dominium reservo et ius alienandi » (*Bonfr.*). « Capietis quidem fructum ex ea, sed meus est fundus » (*Vat.*). « *Et vos advenae et coloni mei estis* ». Unde sequitur principium generale, non ad solum iubilaeum restrictum (*Bonfr.*) : v. 24 « *unde cuncta regio possessionis vestrae sub redemptionis conditione vendetur* ». Quae conditio beneficium imprimis confert ei, qui paupertate pressus suum invitus vendidit agrum v. 25 : « *Si attenuatus* », ad incitas redactus « *frater tuus vendiderit posses-*

siunculam suam », — *Hebr. : de possessione sua,* non necessario totam — « *et voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat* ». *Hebr. : et veniat redemptor eius proximus illi.* Propinquiores propinquius redimendi ius habebant (Ruth 4,3 sqq.), « salvo iure, ut in anno iubilaei rediret possessio ad venditorem » (*Sylv.*), vel etiam ante eum annum, si venditor ditior factus pretium offerret. v. 26 « *Sin autem non habuerit proximum* », qui aut posset aut vellet redimere agrum (*Kn.*), « *et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire* », post aliquod tempus ditior factus, v. 27 « *computabuntur* [*fructus*] *ex eo tempore, quo vendidit, et quod reliquum est* », i. e. quod correspondet fructibus a tempore redemptionis ad proximum iubilaeum, « *reddet emptori sicque recipiet possessionem suam* ». v. 28 « *Quodsi non invenerit manus eius, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat usque ad annum iubilaeum; in ipso enim omnis venditio redibit* [*ad dominum et*] *ad possessorem* [*pristinum*] ».

ב. *Effectus quoad domos et homines* Lev. 25,29-38.

(1) *Quoad domos* Lev. 25,29-34.

Arg. — Domus urbanae redimi possunt, sed primo tantum post venditionem anno v. 29 sq.; domus rusticanae v. 31 redimuntur eadem conditione atque agri fruges; item v. 32 sq. levitarum domus tam in levitarum urbibus quam ruri; ager has urbes contingens divendi nequit v. 34.

v. 29 « *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus* ». Licentia haec concedebatur in favorem eorum, qui aut egestate pressi aut fraude decepti sua divendissent. v. 30 « *Si non redemerit et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam et posteri eius in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in iubilaeo* ». Dum ergo in agro patente tribus et familiae distinctae servabantur, in urbibus muratis eaedem confundebantur. Ibi providebatur, ne plures in egestatem dilaberentur, sed mediocris omnium esset opulentia; huc ut multi confluerent efficiebatur et, qui confluxissent, permanerent (*Bonfr.*). « Hoc enim allicit emptores et incolas urbis, si in ea domum stabilem et firmam comparare possint » (*Sylv.*). v. 31 « *Sin autem in villa fuerit domus, quae muros non habet, agrorum iure vendetur* », tamquam agri accessoria (*Bonfr.*) : « *si ante redempta non fuerit, in iubilaeo revertetur* [*ad dominum*] ».

v. 32 incipit absolute; *Et urbes levitarum* dein pergit : *domus urbium levitarum etc.* Non agitur de domibus, quas levitae possiderent in urbibus non suis (*Cai.*), quaeque communi subessent iuri. « *Aedes*

levitarum, quae in urbibus sunt, semper possunt redimi »; v. 33 « *si redemptae non fuerint* », — negatio, quam una habet *Vulg.*, omnino retinenda; secus nullus sensus — « *in iubilaeo revertentur ad dominos* » — pro בית ועיר lege, uti v. 32, בתי ערי. Additur eius privilegii ratio : « *quia domus urbium levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel* ». « Cum levitis nulli essent fundi, res utique poscebat, ut urbibus eorum et domibus ea darentur privilegia, quae lex concedit agris reliquorum Israelitarum » (*Calm.*). v. 34 « *Suburbana autem eorum* », i. e. ager eorum urbibus immediate attributus, « *non veneant* », non plena venditione alienentur uti aliorum in urbibus muratis domus, « *quia possessio sempiterna est* ».

(2) *Quoad pauperes decrepitos* Lev. 25,35-37.

Arg. — Hebraeus pauper et decrepitus, propria domo carens domi amice suscipiatur; necessaria ei absque usura praebeantur.

v. 35 « *Si attenuatus fuerit frater tuus* » (cf. v. 25) « *et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum* » — manus *tremit*, hinc est ad gravius opus inutilis, ἀδυνατήσῃ (*LXX*); voci illico (*Hebr.*) adscribitur *tecum*, quo discat quisque subveniendum sibi esse infirmis illis, qui prope ipsum reperiantur (*Kn.*). Constructio גר יתושב est abrupta : merito *LXX Vulg.* supplevisse *quasi*, nisi forte ea vox primitus erat in textu, docet collatus v. 40, qui idem etiam evincit immerito *Syr.* adscripsisse negationem (*non suscipies etc.*); ib. docemur utroque loco premi discrimen inter *servum* et inter *inquilinum* seu *advenam*. Sed hinc item patet aptius *LXX* ordiri apodosin ab altera versus parte : *Si attenuatus etc., suscipies eum* non ut servum, sed *ut advenam et inquilinum, et vivet tecum* tamquam aequalis, non tamquam inferior. v. 36 « *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti* ». Cf. Ex. 22,25 (24); Deut. 23,19 sq. (20 sq.); Ps. 14 (15), 5; Prov. 28,8; Ez. 18,8. 13 sqq.; 22,12. Docet v. 37 נשך esse usuram sumptam pro argento, תרבית vel מורבית (cf. *Chald. Syr.*) esse usuram impositam cibo, v. g. si quis paciscatur pro ephi hordei sibi fore reddendum ephi cum dimidio. « *Time Deum tuum, ut vivere* [*possit*] *frater tuus apud te* ». *Hebr.* uti v. 35 : *et vivat tecum.* v. 37 « *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges* ». *Hebr.* : *et cibum eius non dabis ei ad fenus.*

(3) *Clausula* Lev. 25,38.

v. 38 « *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, ut darem vobis terram Chanaan et essem vester Deus.* ».

(4) *Appendices quoad Hebraeos servos* Lev. 25,39-55.

Praecedente lege iam formula v. 38 conclusa, visum est aliquid deesse, quod Hebraeorum, qui servi essent, conditionem respectu iubilaei definiret. Id iam suppletur. Cum tota lex de iubilaeo a Moyse lata sit nonnisi in terra promissa tandem observanda, dubitaverit quis, utrum harum appendicum desiderium iam in deserto in animis Hebraeorum natum sit : quodsi is defenderit, posteriore aliquo tempore esse adiectas, equidem non repugno.

(*a*) *De Hebraeo, qui se vendidit Hebraeo* Lev. 25,39-46.

Arg. — Is habeatur non ut servus, sed ut necessarius ; anno iubilaei dimittatur liber cum suis.

v. 39 « *Si paupertate compulsus* » *tecum* (cf. v. 35) « *vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum* », *Hebr. : non laborabis per eum laborem mancipii;* v. 40 « *sed quasi mercenarius et colonus erit. Usque ad annum iubilaeum operabitur apud te* », v. 41 « *et* [*postea*] *egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum* ». Porro ratio redditur, cur Hebraeus nequeat pleno sensu Hebraei esse servus, v. 42 : « *Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Aegypti : non veneant conditione servorum* ». Servitium sit neque perpetuum (v. 40 sq.) neque durum (v. 40). v. 43 « *Ne affligas* », *conculces* « *eum per potentiam* », — eadem vox, qua Ex. 1,13 sq. servitus aegyptiaca describebatur — « *sed metuito Deum tuum* ». Veri nominis servi ex alienigenis petendi sunt, ad quos iubilaei privilegium non extenditur. v. 44 « *Servus et ancilla sint vobis de nationibus, quae in circuitu vestro sunt* », v. 45 « *et de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra. Hos habebitis famulos* » v. 46 « *et haereditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in aeternum ; fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam* ». Cf. v. 43.

(*b*) *De Hebraeo, qui se vendidit advenae* Lev. 25,47-55.

Arg. — Cum Hebraei omnes (similiter atque agri) Dei sint, non se divendunt, sed operam suam. Est ergo ius redemptionis, et quidem penes propinquos et penes ipsum illum, qui se vendidit. Pretium solvatur proportione annorum, qui supersunt usque ad iubilaeum. Anno iubilaei liberetur ille homo.

v. 47 « *Si invaluerit apud vos manus advenae atque peregrini* »,

i. e. si dives factus fuerit (v. 26), sed non agitur de « converso ad iudaismum » (*Bonfr.*), qui simpliciter subiaceret legi communi, « *et attenuatus frater tuus* » hebraeus « *vendiderit se ei aut cuiquam de stirpe eius* », v. 48 « *post venditionem potest redimi : qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum* », v. 49 « *et* » — pro hisce *et* corrige *aut* — « *patruus et patruelis* » *redimet eum*, « *et consanguineus* » (cf. 18,6) « [*et*] *affinis* » *redimet eum ;* sine copula additur *de cognatione eius*, explicans aut limitans illud *propinquus carnis ;* « *sin autem et ipse potuerit* » (cf. v. 26), « *redimet se* », — *Ps. Ion.* addit « ecclesiam » ; repetito verbo *Hebr.* clarius effert varias propinquorum classes, ad quos ea redemptio spectet — v. 50 « *supputatis* [*dumtaxat*] *annis a tempore venditionis suae usque ad annum iubilaeum, et pecunia, qua venditus fuerat, iuxta annorum numerum et rationem mercenarii supputata* ». *Hebr. : et erit argentum venditionis eius proportionatum numero annorum, secundum dies mercenarii erit cum ipso.* Pretium, quod in venditione vendenti se solvebatur, erat in proportione annorum servitutis, quae a venditionis die ad iubilaeum pertingebat, ac pro singulis diebus computabatur pretium illud, quod erat mercenarii merces diei. Servus erat mercenarius, qui pro certo annorum numero uni domino se obstrinxerat. Porro, pretio tempore venditionis ea proportione computato, pro redemptione restituebatur emptori pretium correspondens annis, qui supererant usque ad iubilaeum, quibus emptor servi labore cariturus iam erat. v. 51 « *Si plures fuerint anni, qui remanent* [*usque ad iubilaeum*], *secundum hos reddet et pretium* » *de argento emptionis suae.* v. 52 « *Si pauci, ponet rationem* », computabit « *cum eo* », sc. emptore, « *iuxta annorum numerum* [*et*] *reddet* [*emptori quod reliquum est annorum*] », *redemptionem suam*, v. 53 « [*quibus ante servivit mercedibus imputatis*] ». Pro quo *Hebr.* repetit ultimum v. 50 incisum : *Sicut mercenario de anno in annum ipsi* merces *computabitur.* « *Non affliget eum violenter in conspectu tuo* » (cf. v. 43. 46). v. 54 « *Quodsi per haec redimi non potuerit* », si solvendo hæc impar, « *anno iubilaeo egredietur cum liberis suis* ». v. 55 « *Mei enim sunt servi filii Israel, quos eduxi de terra Aegypti* ».

c. Brevis summa officiorum in Deum Lev. 26,1 sq.

Est ea simul prioris partis (cap. 25) clausula et ad alteram partem transitio. Ornatur triplici « Ego Iahve ». Vide, quae de ea p. 525 dicebamus.

Cap. XXVI v. 1 « *Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum* » (19,4) « *et sculptile* » (Ex. 20,4), « *nec titulos erigetis* » (Gen.

28,18. 22; Ex. 24,4), « *nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester* ». v. 2 « *Custodite sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus* ».

אבן כושכית (cf. Num. 33,52) versiones non tam vertere quam explicavere. Sed Ez. 8,12 חדרי כושכית sunt muri depictas habentes imagines, et Ps. 72 (73),7 et Prov. 18,11 vox exprimit imaginationes cordis. Ergo bene *Vulg.* : *insignem lapidem*, i. e. insignitum picturis seu symbolis. Prov. 25,11 est textus valde obscurus.

2. *Cultus Iahve praestiti vel neglecti praemia et poenae* Lev. 26,3-45.

Uti collectio legum Ex. 20,1-23,19 et altera per totum fere Deut. concluduntur Ex. 23,20-33 et Deut. 28 solemni adiuratione adnexis promissionibus et minis, ita leges Lev. 11,1-26,2 clauduntur pericope 26,3-45, quae primum v. 3-13 benedictiones servaturis legem, dein v. 14-45 poenas indicit neglecturis. Collectio Ex. 20,1-23,19 quod potissimum constaret legibus iam in deserto observandis, promittitur Ex. 23,20-33 Dei in subigenda terra promissa auxilium : Lev. 25 cum egerit de anno sabbatico et iubilaeo nonnisi in terra promissa observandis, Lev. 26,3-45 recenset benedictiones poenasve, quae Hebraeos terram promissam incolituros maneant. Ex quo, ut quisque videt, non est fas concludere pericopen hanc intra terrae promissae fines esse compositam.

Totum caput in illa ludit usitatissima formula « Custodite mandata mea etc. ». Quae v. 3 per modum conditionis ita enuntiatur : « Si in statutis meis ambulaveritis, et praeceptа mea custodieritis, et ea feceritis » ; v. 14 facundius ita repetitur : « Si non audieritis me, et non feceritis omnia praecepta mea ista, et si statuta mea despexeritis, et si iudicia mea abiecerit anima vestra, et non feceritis omnia praecepta mea, sed ad irritum perducatis pactum meum etc. » ; brevius v. 18. 21. 23. 27. 40. Reapse mandatorum observatione *foedus* constat (cf. Ex. 24) ; mandatorum vero potissima utique ea sunt, quae ad sabbatum et divinum cultum spectant, quod patet cum e v. 1 sq., tum e v. 34. 43 innuente poenas inflictum iri imprimis ob neglecta sabbata, et cf. Ex. 31,16.

a. Cultus Iahve praestiti praemia Lev. 26,3-13.

Arg. — Promittuntur observaturis legem bona temporalia : abundantia, pax, victoria, praesens Dei e sanctuario auxilium, « quae bonorum spiritualium typus exstitere » (*Bonfr.*).

v. 3 « *Si in praeceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis* », quae maxime conducant ad fertilitatem terrae. Pluralis גשמים, inquit *Kn.*, solorum scriptorum recentiorum proprius est. Praeter h. l., vocis plu-

ralis solum habetur 1 Esdr. 10,9. 13, qui duo versus unum efficiunt testimonium. Pluralis h. l. explicatur cum e sermone poetico, tum exinde quod pluviae cadentes *temporibus suis* necessario sint numero plures. v. 4 « *Et terra gignet germen suum* », — יבול etiam v. 20; Deut. 11,17; 32,22; sed item Iob 20,28; Ps. 66 (67), 7; 84 (85), 13 : sensus videtur esse proventus — « *et pomis arbores replebuntur* ». v. 5 « *Apprehendet* [*messium*] *tritura vindemiam et vindemia occupabit sementem* ». « Triturae tempus durabit usque ad tempus vindemiae, etc. » (*Vat.*). « Designatur summa illa fertilitas a posteriori, ex signo : cum enim tanta est frugum copia, ut rustici vix se occupationibus suis metendo, terendo, colligendo, « vinum exprimendo, seminando expedire possint, quin statim ab uno ad aliud opus vocentur, magnae ubertatis indicium » (*Bonfr.*). « *Et comedetis panem vestrum* » — totum victum, cibum et potum (*Sylv.*) — « *in saturitate, et absque pavore* » (25,18 sq.) « *habitabitis in terra vestra* ». Semel v. 4 et 5, et ter v. 6 vox *terra* repetitur : describuntur sc. benedictiones obtinendae, si in *terra* promissa Dei leges observentur. v. 6 « *Dabo pacem in finibus vestris; dormietis et non erit, qui exterreat; auferam* », exterminabo « *malas bestias* », — Ex. 23,29 eae promittebantur non fore nimium multiplicandae — « *et gladius non transibit terminos vestros* ». Hostes in fines vestros non incurrent (*Men.*). v. 7 « *Persequemini inimicos vestros et corruent coram vobis* » *gladio*. v. 8 « *Persequentur quinque de vestris centum* [*alienos*] », « pauci plurimos » (*Bonfr.*), « *et centum de vobis decem millia : cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro* ». Cf. Deut. 32,30; Ios. 23,10. v. 9 « *Respiciam vos* » « vultu benigno » (*Sylv.*), « *et crescere faciam : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum* », eius promissa implendo. v. 10 « *Comedetis vetustissima veterum* », *Hebr. vetera, quae veteraverunt*. Cum veteriora ante recentiora sint consumenda, illud summae abundantiae est indicium. « *Et vetera novis supervenientibus proiicietis* », *Hebr. efferetis*, non necessario ut illa abiiciatis, sed etiam ut consumatis, divendatis. v. 11 « *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea* », « neque dedignabor habitare apud vos » (*Vat.*). v. 12 « *Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus* ». v. 13 « *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicum vestrarum* », *Hebr. vectes iugorum vestrorum :* intellige ligneos illos vectes humeris plurium captivorum impositos, quibus illi affixi deprimebantur — « *ut incederetis recti* ». Ita cum *Syr.* et *Ps. Ion.* videtur intelligendum ἅπαξ λεγόμενον קוממיות; *LXX* omisso tropo μετὰ παῤῥησίας.

b. Cultus Deo denegati poenae Lev. 26,14-45.

Arg. — Uti praecepta observaturis v. 3-13 benedictiones, ita v. 14-45 neglecturis poenae praenuntiantur, gradatim pro obstinatione augendae ita, ut primo v. 14-17 inflictas aliae consequantur v. 18-20 septuplo maiores, aliae item v. 21 sq., aliae v. 23-26, aliae v. 27-40, Deus tamen usque sit paratus poenitentibus veniam concedere et gratiam v. 41-45.

v. 14 « *Quodsi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea* », pro quo pronomine *Hebr. illa,* ea sc. quae ante scribebantur et nunc cap. 26 concluduntur, v. 15 « *si spreveritis leges meas, et iudicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum* », v. 16 « *ego quoque haec faciam vobis* » : — *LXX* οὕτως, eadem vobis rependam, irritabo pactum, contemnam etc. — « *visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros et consumat animas vestras* », i. e. *vitam* vestram. Bene *Vulg.* בהלה vertit *velociter;* quem sensum omnino exigit Ps. 77 (78), 33 et facile admittunt Is. 65,23 et Ier. 15,8. Morbos illos (cf. Deut. 28,22) interpretantur phthisin (non *egestatem, Vulg.,* sed cf. *LXX*) et inflammationem (qui reapse est sensus radicis קדח). Qui praenuntiantur eo esse invalituri, ut visum obscurent vitamque adimant. Observatione legis Ex. 23,25 (cf. 15,26) infirmitates corporum arcendae erant. Praeter morbos autem erunt hostium ferales incursus et rapinae : « *Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur* ». v. 17 « *Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subiicicmini his qui oderunt vos, fugietis nemine persequente* ».

v. 18 « *Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra* », v. 19 « *et conteram superbiam duritiae vestrae* », — ita etiam *LXX;* sed voces hebraeae sensu maxime nativo edicunt *gloriam roboris* (*Chald.*), et secundum contextum referendae sunt ad florentem agriculturae conditionem, non cum *Calm.* ad tabernaculum neque cum *Malv.* ad imperium seu rempublicam — « *daboque vobis coelum desuper sicut ferrum, et terram* » *vestram* « *aeneam* ». v. 20 « *Consumetur incassum labor vester, non proferet terra* » *vestra* « *germen nec arbores* » *terrae* « *poma praebebunt* ». Poena haec longe est severior ea, quae extremo v. 16 indicebatur.

v. 21 *Porro,* « *si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra* », v. 22 « *immittamque in vos bestias agri, quae consumant vos et pecora vestra* », — longe vividius *Hebr. : quae orbabunt vos, et pecora vestra ex-*

terminabunt — « *et ad paucitatem cuncta* » — *Hebr. vos* — « *redigant ,desertaeque fiant viae vestrae* », tam ob hominum paucitatem quam metu ferarum (*Sylv.*).

v. 23 « *Quodsi nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi* », v. 24 « *ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos* » *ego quoque* « *septies propter peccata vestra* ». Sequitur plaga belli longe severioris eo, quod v. 16 sq. attingebatur, additam habens pestem et famem. v. 25 « *Inducamque super vos gladium ultorem foederis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium* », v. 26 « *postquam confregero baculum panis vestri* » (Ps. 104 [105], 16; Ez. 4,16; 5,16; 14,13; cf. Is. 3,1), — sustentaculum panis : nulla iuvat humana fortitudo, ubi Deus omnem comeatum praecidit — « *ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus* ». « Eo deveniet rerum caritas, ut clibanus sufficiat coquendis panibus decem familiarum, et matresfamilias panem hunc domesticis suis et filiis distribuant ad pondus et mensuram, ut singuli minus quam pro voluntate accipiant. Numerus decem valet pro numero indefinito » (*Calm.*). « *Et comedetis, et non saturabimini* ».

v. 27 « *Sin autem nec per haec audieritis me, sed ambulaveritis contra me* », v. 28 « *et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam septem* [*plagis*] » — corrige *septies*, uti v. 18. 21. 24 — « *propter peccata vestra* », v. 29 « *ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum* » (Deut. 28,53-57). v. 30 « *Destruam excelsa vestra* », illa sc. ubi non verus Deus sed falsa numina colebantur (*Bonfr.*; cf. Num. 33,52), « *et simulacra confringam* ». Secundum 2 Par. 34,4 חמנים in altari stabant, ergo columnae aut statuae formam induebant. Cf. 2 Par. 14,5 (4); Is. 17,8; 27,9; Ez. 6,4. 6. « *Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum* ». Nervosius *Hebr. : et dabo cadavera vestra super cadavera truncorum vestrorum*, quo *truncorum* nomine Deut. 29,16 sq.; 3 Reg. 21,26; 4 Reg. 17,12 et saepe apud Ez. veniunt falsi dei, et audacter statuae subversae *cadavera* dicuntur. « *Et abominabitur vos anima mea* » v. 31 « [*in tantum, ut*] *urbes vestras redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra* », « sive quae idolis, sive quae mihi dedicastis », inquit *Men.* At verba monet *Bonfr.* ad solum Iahve sanctuarium restringi sequentibus : « *nec recipiam* [*ultra*] *odorem suavissimum* », « i. e. quo placari solebam » (*Sa*). Reapse *Hebr.* suffixum adscribit : *vestrum*. Magnum populo est infortunium si sacrificia, quibus numen placet, desecratis locis sanctis offerri iam nequeant. v. 32 « *Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint* », « severitatem

divinae punitionis admirantes » (*Bonfr.*). v. 33 « *Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium* », non : *emittam post vos occisores gladio* (*Chald.*), non enim opus est gladio in eos, qui ante subacti in exsilium abducuntur; sed : postquam dispersero eos in gentes, « districto gladio post eos minabor » (*Dillm.*), ne pedem referre audeant. Unde consequetur : « *eritque terra vestra deserta, et civitates vestrae dirutae* ». v. 34 per prosopopoeam terra dicitur sibi complacere, cum proprie complacentiae sit incapax (*Sylv.*), estque acerba ironia : terra, quae antea neglectis annis sabbaticis sine intermissione subigebatur, abductis in exsilium incolis fruitur sabbatis suis : « *Tunc placebunt terrae sabbata sua cunctis diebus solitudinis suae : quando fueritis* » v. 35 « *in terra hostili, sabbatizabit et requiescet in sabbatis solitudinis suae, eo quod non requieverit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea* ». Ceterum adverte, secundum Is. 40,2 רצה descendere ad significationem *persolvendi,* ergo : persolventur terrae sabbata sua, anni sabbatici quibus illa contra fas compulsa est segetes producere. v. 36 « *Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem* » — ורך ἅπαξ λεγόμενον; *LXX* praeferenda lectio δειλίαν prae δουλίαν. רכך sensum habet *tenerum esse,* hinc *timidum esse* — « *in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient* » folium volans « *quasi gladium : cadent nullo persequente* », v. 37 « *et corruent singuli super fratres suos* », « ut saepe accidit in fuga praecipiti » (*Calm.*), « *quasi bella fugientes* », *nemine persequente;* « *nemo vestrum inimicis audebit resistere* ». v. 38 « *Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet* ». Pro secundaria verbi אבד significatione *perire* retinenda est primaria *vagari* (cf. Is. 27,13; Ps. 118 [119], 176; Deut. 26,5 etc.). Non in unam coloniam coalescetis : dispergemini et absorbebimini. v. 39 « *Quodsi et de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis* », i. e. propter illas, « *in terra inimicorum suorum, et propter peccata patrum suorum et sua affligentur* », v. 40 « [*donec*] *confiteantur iniquitates suas et maiorum suorum, quibus praevaricati sunt in me, et* » item confiteantur, quod « *ambulaverunt ex adverso mihi* ». Recte *Vulg.* inseruit *donec,* v. 40 intimius iungens praecedentibus : v. 41 quippe novus orditur contextus recapitulans praecedentia. Sententia suggerit, non posse aut certe vix posse humanam insolentiam indefinite divinis flagellis resistere.

Ultima v. 40 verba, illos ambulasse contra Deum, ansam praebent brevi formula repetendarum divinarum v. 28-39 minarum, cui dein promissio veniae poenitentibus concedendae expressius quam v. 40 subiungatur. v. 41 « *Ambulabo igitur et ego* » — idem אף אני habes v. 28 — « *contra eos, et inducam illos in terram hostilem* », — ad-

mitti etiam potest altera constructio (*Cai.*) verba accipiens ut dependentia a v. 40 : confitebuntur, quod (ipsi) ambulaverunt contra me, (ideoque) et ego (merito) ambulaverim contra eos, et induxerim illos etc. — « *donec erubescat incircumcisa mens eorum : tunc orabunt pro impietatibus suis* ». Sed habetur idem verbum רצה, quod v. 34, quodque v. 43 Vulg. vertit modo *complacebit sibi* et modo *rogabunt,* sed habet *persolvendi* sensum. Porro, sicut v. 34. 43 terra persolvit annos sabbaticos neglectos longiori tempore remanens inculta atque ita requiem praetermissam persolvens, sic peccatores peccata persolvunt pro illis satisfacientes, ferentes poenas et peccata contritione retractantes. Verborum או אז variae suggerebantur explicationes violentae. Sententiam intellige interrogativam : Ambulabo et ego contra eos... aut tum humiliabitur incircumcisa mens eorum et persolvent impietatem suam? Ubi enim hoc fecerint, desistet Deus ab illis affligendis v. 42 : « *et recordabor foederis mei, quod* [*pepigi*] *cum Iacob et* » *etiam cum* « *Isaac et* » *etiam cum* « *Abraham* ». Triplex est veluti foedus, triplici titulo sacrum, solis posterorum impietatibus nequaquam irritandum : debetur id fere patriarcharum fidei, ut posteros impios tamdiu Deus flagellis prosequatur, donec poenitentes ei opportunitatem praebeant, ut foederis cum patriarchis initi reminiscatur. Patriarchis quippe aliqua promisit Deus, quae non tota pendeant a posterorum fide, sed absolute impleri debent, v. g. in eorum semine benedicendas esse omnes gentes. Recordatus porro foederis illico recordatur Deus etiam terrae : « *terrae quoque memor ero* », quam promiserat Deus patriarcharum semini, fertilem, fluentem lacte et melle.

Terrae mentio revocat auctorem ad terrae promissae desolationem descriptam v. 28-39, iamque distinctius pronuntiat, non solum *post* flagella se poenitentibus veniam esse largiturum, sed imo flagella inflicturum *eo fine,* ut ad poenitentiam adducantur. v. 43 « *Quae cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis* », seu potius *persolvet* ea (cf. v. 34), « *patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis* », seu verius illa *persolvent* (cf. v. 41), « *eo quod abiecerint iudicia mea, et leges meas despexerint* ». v. 44 « *Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos neque* [*sic*] *despexi, ut consumerentur et irritum facerem pactum meum cum eis* ». *Hebr. : non nihil aestimavi eos neque despexi.* Perfectis res futura vividius describitur. « *Ego enim sum Dominus Deus eorum* ». Si homo essem pacto illis devinctus, possem illis a pacto resilientibus resilire etiam ipse. Sed cum pacto speciali titulo factus sim eorum Deus, volo non solam in eos iustitiam, sed item misericordiam exhibere; quam exhibebo illos, donec resipiscant, plectendo.

v. 45 « *Et recordabor foederis mei pristini, quando eduxi eos de terra Aegypti in conspectu gentium, ut essem Deus eorum* ». Cf. argumentum Ex. 32,11 sq. « *Ego Dominus* ».

« *Haec sunt iudicia atque praecepta et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi* ». Haec clausula certe refertur ad cap. 25 sq., cum haec individue cohaereant inter se et 25,1 in monte accepta esse referantur. Articulus tribus nominibus praefixus clausulae tribuit hunc sensum : hae sunt leges *omnes*, quas etc. Hinc cum ob praecedentium contextum, tum ob temporis indicationem Num. 1,1 clausula videtur referenda ad leges omnes praecedentes, saltem inde a Lev. 11, fortasse etiam ad eas Lev. 1-7. Dices, neque sic includi leges omnes in monte Sinai datas, cum illico Lev. 27 aliae subiungantur, quae 27,34 in monte Sinai datae esse referuntur. Sed potuit Moyses adhuc in monte Sinai constitutus leges usque ad extremum cap. 26 describere, eique libello vere subnectere clausulam : hae sunt leges omnes etc. Quo libello absoluto alias illi Deus leges communicavit, quare Moyses adscripta 27,34 altera clausula significavit, leges etiam Lev. 27 ad legislationem Sinaiticam spectare. Cf. quae dicebamus ad 1 Reg. 7,13.

J. Libri legum appendix : Lex de redemptione votorum et similium Lev. 27.

Lex v. 1-25 agit de solis votis (נדר), et quidem de sola eorum facultativa redemptione. Poterat quis, uti patet, voto stare, v. g. matris votum de se editum acceptare, quod fecit Samuel ; poterat quis in ipso voto redimendi facultate se abdicare, quod fecit Iephte, sed tum votum vertebatur in exsecrationem (חרם). Ad votum sive implendum sive redimendum ut homo obligaretur coram lege, necessarium videtur fuisse, ut illud ore pronuntiaverit : cf. 5,4 ; Deut. 23,23 (24) ; Iud. 11,35 ; Eccle. 5,5 ; Num. 30,11 (*Dillm.*). Votum erat de re aut animata v. 2-13 aut inanimata v. 14-25 : tam v. 2 quam v. 14 ordiuntur ab expressione איש כי, dum membra subordinata voce ואם producuntur. Animata erant aut homo v. 2-8 aut animal v. 9-13 ; inanimatorum potissima tantum recensentur, sc. domus v. 14 sq. et ager v. 16-25, in quibus facilius voti redemptio sapienter expetebatur, quam in minoribus, quae commode, uti promissa fuerant, ita exsolvebantur.

Appendix v. 26-33 de quibusdam agit, quae vota non erant, sed de quibus *redimendis* poterat exsurgere quaestio : de primogenitis v. 26 sq., de consecratis v. 28 sq., de decimis v. 30-33.

v. 34 testatur hanc legem datam esse per Moysen in monte Sinai.

Tamen ad collectionem immediate praecedentem non pertinet, ut patet inde quod cap. 26 evidenter sit praecedentium epilogus, et quod cap. 27 consuetis ib. clausulis (« Ego Iahve » et aliis) destituatur.

1. *Lex de redemptione votorum* Lev. 27,1-25.

a. De redemptione animatorum Lev. 27,2-13.

v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Homo, qui votum fecerit* [*et sponderit*] *Deo animam suam*], *sub aestimatione* [*dabit pretium*] ». Pro נפשת (cf. 4 Reg. 12,4 [5]) *Vulg. LXX* videntur legisse נפשו; sed non agi de solo homine vovente animam *suam*, ostendit v. 6 qui est de infantibus. *Anima* intelligitur sive hominis sive animalis. *Hebr. : Homo, qui consecraverit votum, aestimatione sua, animas Iahve;* et apodoses habes v. 3-13. Illud *votum* determinatur primum adiecto *quoad aestimationem*, agitur quippe h. l. de sola votorum aestimatione intuitu praestandae redemptionis; determinatur secundo adiecto *animas Iahve*, quod primum de animatis agatur.

α. De redemptione hominis Lev. 27,3-8.

v. 3 « *Si fuerit masculus a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarii* »; v. 4 « *si mulier, triginta* »; v. 5 « *a quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit vinginti siclos, femina decem* »; v. 6 « *ab uno mense usque ad annum quintum pro masculo dabuntur quinque sicli, pro femina tres* »; v. 7 « *sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos, femina decem* ». v. 8 « *Si pauper fuerit et aestimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote et, quantum ille aestimaverit* [*et viderit*] *eum posse reddere, tantum dabit* ». 50 sicli = 141·50 fr., 30 sicli = 84·90 fr.; 20 sicli = 56·60 fr.; 15 sicli = 42·45 fr.; 10 sicli = 28·30 fr.; 5 sicli = 14·15 fr.; 3 sicli = 8·49 fr.

Inaequalitatum inter homines aliae sunt naturales, uti sexus et aetas, aliae non naturales, uti divitiae et paupertas. Harum sola paupertas v. 8 attingitur. Inaequalis pro diverso sexu vel aetate constitutae « taxae » non ea potissima est ratio, sexum virilem et aetatem adultam aptiora esse ad laborem (*Bonfr.*). Qua opinione inductus est *Mar.*, ut « taxam » scripserit « quotannis » fuisse pendendam. Id certe textus non habet. Infans vero unius mensis certe ad laborem est prorsus ineptus (*Cai.*). Praefertur porro sexus virilis femineo ob innatam nobilitatem secundum 1 Cor. 11,7 sqq. : « Vir siquidem imago et gloria est Dei, at mulier est gloria viri ex ipso sumpta nec ante ipsum formata » (*Proc.*); « etiam Deus subiecit feminam viro in paradiso » (*Tost.*). Praefertur aetas media aetati tenerae vel decrepitae, quia in illa perfectior est humana natura universim spectata.

β. De redemptione animalis Lev. 27,9-13.

v. 9-13 agit de animalibus seu distinctius *pecoribus* בהמת, etenim v. g. canem Deo voto promittere sacrilegii affine habebatur. v. 9 « *Animal autem, quod immolari potest Domino*, [*si quis voverit,*] *sanctum erit* ». Clarius *Hebr. : Et si pecus* (voverit), *de quo potest aliquid dono offerri Domino, omne quod dederit de eo Domino, erit sanctum.* Porro ex ea sanctitate sequitur v. 10 : « *et mutari non poterit, i. e. nec melius malo nec peius bono : quodsi mutaverit, et ipsum* [*quod mutatum est*], *et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino* ». Ideoque nullus redemptioni erit locus. v. 11 « *Animal immundum, quod immolari Domino non potest,* [*si quis voverit,*] *adducetur ante sacerdotem* », v. 12 « *qui iudicans utrum bonum an malum sit statuet pretium* »; non « statuet pretium medium inter bonum et malum » (*Kn.*), nam hoc pretium medium poterat semel pro semper definiri, neque oportebat singula produci animalia ; sed huius individui animalis pretium definiet. v. 13 « *Quodsi dare voluerit is qui offert, addet supra aestimationem quintam partem* »; non ut, si animal 40 siclis aestimaretur, daret 50 (*Calm.*), cum 10 non sit quinta pars 40, sed ut pro 50 solveret 60 (*Sylv.*). Quem excessum, comparans 5,16, *Calm.* vocat « mulctam » : stricte loquendo mulctae locus non erat in negotio explicita lege approbato. Ratio impositi excessus ea videtur fuisse, ne facile voventes de redimendo voto cogitarent, et ut aliquam vovens solveret compensationem pro concesso sibi praeceteris praeemptionis iure (*Tost.*).

b. De redemptione inanimatorum Lev. 27,14-25.

α. De redemptione domus Lev. 27,14 sq.

v. 14 « *Homo si voverit domum suam et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos, utrum bona an mala sit, et iuxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum* », — *constabit* (*LXX* σταθήσεται) *et hinc* — « *venumdabitur* ». Cf. 25,30. v. 15 « *Sin autem ille, qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem aestimationis supra, et habebit domum* ».

β. De redemptione agri Lex. 27,16-25.

In vovendis agris ratio habenda est legis iubilaei. Cum enim ipsi agri Dei sint, necnisi eorum fructus ab Hebraeis alienari possint, hinc etiam Hebraeus nequit ipsum agrum voto addicere Deo, sed solum

fructum usque ad proximum iubilaeum. v. 16 « *Quodsi agrum possessionis suae [voverit]* », — *Hebr. : de agro.* De agro non suae possessionis, sed ab alio empto agitur infra v. 22 sq. — « *[et] consecraverit Domino, iuxta mensuram sementis aestimabitur [pretium]* », « et consequenter iuxta quantitatem agri, quo enim est ager maior, eo plus vel minus seminis impendi debet, ut seratur » (*Ians.*). « *Si triginta modiis hordei [seritur terra], quinquaginta siclis venumdetur argenti* ». Pro *30 modiis* unum חמר habet *Hebr.*, quod aequat 10 ephi (Ez. 45,11) et secundum Rabbinos 30 sata (cf. quae dicebamus ad Gen. 18,6). Ergo unum chomer aequat 393·9 lit. Modius igitur h. l. sancto *Hier.* idem est atque satum, dum ad Matth. 13,33 satum docet aequare modium cum dimidio. 50 sicli creduntur efficere 141·50 fr.

Hinc oritur quaestio, hi 50 sicli datine sint semel tantum an quotannis (*Bonfr., Men., Calm.* etc.). Segetes inter duo iubilaea, demptis annis sabbaticis, erant 42. Facile supponi potest ex uno chomer seminis natos esse quotannis 20 chomer segetis : ergo, demptis singulis annuis coris seminis, 798 choros annis 42, i. e. 314332 litr. Si 50 sicli semel tantum solvebantur, pro 141·50 fr. emebantur 314332 litr., et pro 1 fr. emebantur 2221 litr. Id haud potest admitti. Si adstruas 50 siclos pensos esse quotannis, exceptis annis sabbaticis, ergo pendebantur $50 \times 42 = 2100$ sicli seu 5943 fr. : pro 1 fr. emebantur 52 litr. Cur tam exiguo, ne dicam indigno pretio voluit Deus sacerdotes privari segetibus, quas ex votis perceperant? Ut tempore famis hae segetes facilius et certius in turbas diffluerent; ne sacerdotes fierent aequo ditiores neque importunius urgerent laicos ad eiusmodi vota emittenda.

v. 17 « *Si statim ab anno incipientis iubilaei voverit agrum, [quanto valere potest,] tanto aestimabitur* », tota illa argenti vis pendetur. v. 18 « *Sin autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad iubilaeum, et detrahetur ex pretio* » completo, quod v. 16 statuebatur, id quod correspondeat annis a iubilaeo proxime celebrato elapsis. v. 19 « *Quodsi [voluerit] redimere agrum ille, qui voverat, addet quintam partem aestimatae pecuniae, et possidebit eum* ». Cf. v. 13.15. v. 20 « *Sin autem [noluerit] redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus [ultra eum, qui voverat], redimere non poterit* ». *Hebr. : si non redemit etc., et si vendit.* At quomodo potest, qui iam abdicavit agrum in manus sacerdotis, eundem vendere alteri? Sensit *Vulg.* hic, uti alias apud Hebraeos, diversum esse subintelligendum subiectum : si vovens non redimat, et sacerdos vendat tertio, expirat redemptionis ius, imo omne voventis ius, ita ut neque anno iubilaei recipiat agrum, sed is apud sacerdotes permaneat. Ne multi hac ratione in sacerdotum manus transirent agri, Hebraei sine dubio ipsi erant cauturi. Haec vero lex ad redimendos agros incitabat, et ita singulis tribubus et

familiis suam servabat possessionem. v. 21 « [*Quia*] *cum iubilaei venerit* [*dies*], *sanctificatus erit* » *ager* « *Domino et possessio consecrata; ad ius pertinet sacerdotum* ». Dele *quia*. Pro *et possessio consecrata*, *Hebr. : sicut ager exsecratus* (חרם), qui sc. nullatenus redimi poterat (v. 28). Sat accurate sensum v. 20 sq. ita exprimit *Men. :* « Si quis agrum suum voverit nec redemerit, a sacerdotibus, cum annus iubilaei advenerit, non recipiet agrum suum; et si sacerdotes ante annum iubilaei vendiderint agrum illum, redibit anno iubilaei ad ipsos sacerdotes, non autem ad priorem dominum ».

Agitur iam de agro non haereditario sed emptitio. v. 22 « *Si ager emptus* [*est*] » — dele *est* — « *et non de possessione* [*maiorum*] *sanctificatus fuerit Domino* », v. 23 « *supputabit sacerdos iuxta annorum numerum usque ad iubilaeum pretium, et dabit ille qui voverat eum Domino* » — *ipso die* addit *Hebr. :* ergo illico totum pretium solvit redemptione non facultativa sed coacta. Secus enim, ob possessoris perpetuum ius redemptionis, inane esset votum. Infert vero *Dillm.*, in casibus v. 16-19 licuisse possessori, non totam *ipso die* pecuniae vim solvere, sed paulatim et successive. v. 24 « *In iubilaeo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum et habuerat in sorte possessionis suae* ».

v. 25 « *Omnis aestimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet* » (גרה, cf. Ex. 30,13).

2. *Appendix ad legem de redemptione* Lev. 27,26-33.

Ea lex generali regula v. 25 concludebatur. Appenduntur aliqua, quae vota quidem non erant, sed in quibus poterat exsurgere quaestio de redemptione. Ubi v. 26. 28 voce אך, *tantummodo* ordiuntur, quae exceptionem indicat. Adverte etiam textus apud *Sam.* divisiones, minorem post v. 25. 27, maiorem post v. 29. 33.

a. De primogenitis Lev. 27,26 sq.

Arg. — Primogenita pecorum sacrificalium ita ad Deum pertinent, ut redimi nequeant, nisi ob defectum aliquem sacrificiis sint inepta.

v. 26 « *Primogenita, quae ad Dominum pertinent* », — *Hebr. : quae Domino primogenita nascuntur in pecoribus*, ergo de his solis agitur — « *nemo sanctificare poterit* [*et vovere*] : *sive bos sive ovis fuerit, Domini sunt* ». Voce שה tam *caprae* quam oves includuntur. v. 27 « *Quodsi immundum est animal* » primogenitum, « *redimet qui obtulit, iuxta aestimationem tuam, et addet quintam partem*

pretii » (cf. v. 13. 15. 19) : « *si redimere noluerit, vendetur alteri, quantocunque a te fuerit aestimatum* ». Animalia, quae secundum speciem immunda erant (camelus, sus etc.), neque voto neque alia ratione Deo consecrabantur; solus asini primogenitus Ex. 13,13 redimendus scribitur. Sapienter igitur *Tost.* censet, v. 27 agi de primogenitis mundorum animalium per accidens et ob aliquem defectum immundis.

b. De consecratis et exsecratis Lev. 27,28 sq.

Arg. — Consecrata, i. e. ea quae ita aliquis vovit, ut ius simul redemptionis abdicaverit, non redimuntur; homines a legitima auctoritate exsecrati interimantur; de exsecratis iis, quae homines non sunt, nihil haec lex statuit.

E v. 28 efficitur, sicut animalia et fructus, *ita etiam hominem* potuisse, et quidem a *privato* homine, tradi tamquam חרם ליהוה. E Num. 18,14; Ez. 44,29 (חרם בישראל) sequitur eiusmodi non fuisse destruendum, sed sacerdotum usui reservandum. H. l. dicitur « sanctum sanctorum ». Imo v. 21 dicebatur ager, quem noluisset vovens (נדר) redimere, anno iubilaei ita proprius fieri sacerdotum, uti ager חרם. Ergo hoc genus חרם seu *consecratorum* videtur fuisse eorum, quae vovebantur abdicato etiam redemptionis iure, quod in ordinariis votis rerum non minimarum semper reservabatur. Quorsum vero potuerit quis hac ratione consecrare *hominem*, sive se ipsum solum, sive se ipsum cum uxore, sive natos, sive servum non hebraeum, silente scriptura non valemus definire. — Sed aliud genus חרם habet v. 29 quod non dicitur a quolibet (איש) potuisse offerri, neque adscriptum habet ליהוה. An porro aliquid momenti in eo etiam deprehendatur, scribi v. 28 hiphil, v. 29 e contra hophal (cf. Ex. 22,20 [19]) verbi חרם, non ausim definire. Ex. 22,20 חרם declaratur esse is qui deos alienos colat; item Deut. 7,26, qui aliquid ad idola pertinens appropriaverit; Deut. 13,15 sq. (16 sq.) urbs Israelitica idololatra fit חרם cum omnibus, quae in ea sunt. Cf. Ios. 6,17 sq.; 7,1 sq.; 1 Reg. 15,21. Haec *exsecrata* vix poterant dici « sancta sanctorum »; non fiebant privata cuiusvis voluntate, sed vel vi legis divinae, vel oraculo cuiusdam prophetae.

v. 28 « *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit sive animal sive ager, non vendetur nec redimi poterit* ». « Poterant autem omnia ex hoc voti genere Deo consecrari, quae in praecedentibus simplici voto voveri poterant : homines, animalia, agri etc., nihil enim hic excipitur » (*Bonfr.*). « *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino* ». Cf. quae dicebamus p. 507. Iam gressus fit a consecratis ad exsecrata v. 29 : « *Et omnis consecratio, quae offertur ab homine* », — sed בין האדם eundem sensum habeat oportet atque v. 28 באדם, ergo : quicunque homo exsecratus fuerit — « *non redimetur, sed morte morietur* ».

c. De decimis Lev. 27,30-33.

Arg. — Decimae redimi possunt; non tamen animalium sacrificalium decimae, quae sacrificiis reservantur.

Dum primogenita v. 26 tota ab ipsa nativitate Dei sunt ideoque nequeunt redimi, decimae hominis sunt, ab ipso utique Deo pendendae, ideoque redimi possunt; sed ne facilius redimantur, quinta pretii pars superaddenda scribitur. v. 30 « *Omnes decimae terrae, sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt et illi sanctificantur* ». v. 31 « *Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum* ». Decimae tamen animalium sacrificalium non possunt redimi, sed sacrificiis vel sacerdotum usui reservantur v. 32 : « *Omnium decimarum bovis et ovis et caprae, quae sub pastoris virga transeunt* », — pastor sc. elevata virga numerabat — « *quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino* ». Decima solvebatur semel quotannis (Deut. 14,22). Animalia decimis tribuebantur, prout sub pastoris virga transibant, nullo homini permisso delectu v. 33 : « *Non eligetur nec bonum nec malum nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur* [*Domino*] *et non redimetur* » (cf. v. 10).

v. 34 « *Haec sunt praecepta, quae mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai* ».

NOTA.

Ea, quae p. 73 dicebamus de nominibus *Iah* et *Iahve*, egregie confirmat *Fr. Hommel* : Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung. München 1897. p. 115, comparatis virorum nominibus propriis cum biblicis, tum babyloniis, arabibus, chananaeis. Censet, exstitisse perantiquum nomen divinum *Iahu* vel *Iah*, nequaquam e *Iahve* abbreviatum; hoc nomen Ex. 3,14 mutari in *Iahve*, nova ab *essendo* illi addita significatione. — Cum Commentarius noster vix non totus e praelo prodiisset, incidimus in librum *W. H. Green*. Universitatis Princetoniensis N. I. in America Septentrionali Theologiae Professoris : The Hebrew feasts in their relation to recent critical hypotheses concerning the Pentateuch. New York 1885. In linguam germanicam vertebat O. Becher : Die Feste der Hebräer etc., Gütersloh 1894. Scite et solide refellit auctor recentiorum criticorum placitum, leges de festis apud Hebraeos longis post Moysen temporibus crevisse atque crescendo mutatas esse.

INDEX.

INTRODUCTIO.

1. Exodi et Levitici conspectus generalis 1
2. De Hebraeorum sacris praemosaicis 3
3. Moysis acta in Aegypto Ex. 1,1-12,36 (ubi etiam de nominibus divinis) . . 7
4. Iter ex Aegypto in Sinai Ex. 12,37-23,33 9
5. Novorum sacrorum institutio Ex. 24-Lev. 10 14
6. Liber Legum Lev. 11-27 16
7. Exodi et Levitici interpretes. 25

MOYSIS ACTA IN AEGYPTO Ex. 1,1-12,36.

Ramesses — Merenpthah. 29

A. Praeambulum actorum Moysis Ex. 1 sq. 30

Hebraeorum in Aegypto incrementa et oppressio Ex. 1. — Vitae Moysis initia Ex. 2,1-22. — Praeambuli clausula Ex. 2,23-25.

B. Moysis vocatio Ex. 3,1-4,18 43

Dei apparitio et generale propositum Ex. 3,1-12. — Divini consilii plenior explicatio Ex. 3,13-4,17 : nomen Iahve assumptum, mandatum ad populum datum et ad Pharaonem, signa Moysi pro populo concessa, Aaron socius attributus. — Pericopae clausula Ex. 4,18.

C. Moysis cum Pharaone acta Ex. 4,19-12,36 59

I. Certaminis praeambula Ex. 4,19-7,7 59

Moyses e Madianitide redux et ab Israelitis exceptus Ex. 4.19-31. — Eius a Pharaone petita reiecta, angariae auctae, Hebraeorum in Moysen indignatio Ex. 5,1-6,1. — Moyses a Iahve confortatus (cum additamento de Moysis originibus) Ex. 6,2-7,7.

II. Moysis cum Pharaone concertatio Ex. 7,8-12,36 79

Portentum virgae divinae missionis argumentum Ex. 7,8-13 81

Plagae novem priores Ex. 7,14-10,29 83

Plaga decima Ex. 11,1-12,36 : plaga annuntiatur Ex. 11. — Lex de primo Phase et de annuo Phase fertur Ex. 12,1-28. — Plaga describitur Ex. 12,29-36. 110

EX AEGYPTO IN SINAI Ex. 12,37-23,33.

A. De Ramesse in Socoth Ex. 12,37-13,19 129

Hebraeorum profectio Ex. 12,37-42. — Lex de admittendis ad celebrandum Phase Ex. 12,43-51. — Lex de primogenitis, cum Moysis monitione de celebranda divinitus effecta liberatione Ex. 13,1-16. — Itineris ratio (fortasse serius adscripta) Ex. 13,17-19.

B. De Socoth in Etham Ex. 13,20-22 141
C. Transitus Maris Rubri Ex. 14,1-15,21 142
D. De Mari Rubro in Mara Ex. 15,22-26 162
E. De Mara in Elim Ex. 15,27 165
F. De Elim in desertum Sin Ex. 16, ubi de manna 165
G. De deserto Sin in Raphidim Ex. 17 sq. 178

Aqua e petra elicita Ex. 17,1-7. — Victoria de Amalecitis reportata Ex. 17,8-16. — Iethronis acta in Raphidim Ex. 18.

H. De Raphidim in desertum Sinai Ex. 19-23 187

I. Theophania praeparatur Ex. 19,1-15. 187

Deus consilium suum aperit et praeparationem indicit.

II. Theophania describitur Ex. 19,16-20,21 193

Theophaniae initium Ex. 19,16-25. — Decalogus Ex. 20,1-17. — Theophaniae conclusio Ex. 20,18-21.

III. Theophania completur : Liber Foederis Ex. 20,22-23,33. 207

1. Novella ad secundum mandatum Ex. 20,22-26 211
2. Novellae de aliis mandatis Ex. 21,1-23,19 213

De servis Ex. 21,2-11. — De laesionibus corporis Ex. 21,12-36. — De damnificatione Ex. 22,1-17. — De tribus delictis capitalibus Ex. 22,18-20. — De advenis, viduis, pupillis, egenis, magistratibus Ex. 22,21-28. — De iis, quae Deo debentur, mature persolvendis Ex. 22,29 sq. — De sanguine non comedendo Ex. 22,31. — De iustitia in iudiciis servanda Ex. 23,1-9. — De sabbato et anno sabbatico Ex. 23,10-12. — De abhorrendis deorum nominibus Ex. 23,13. — De tribus festis maioribus Ex. 23,14-17. — De sacrificiis etc. Ex. 23,18 sq.

3. Epilogus novellarum Ex. 23,20-33 245

NOVORUM SACRORUM INSTITUTIO Ex. 24-Lev. 10.

A. Mandatum novorum sacrorum procurandorum Ex. 24-31 252

I. Divini alloquii praeambula Ex. 24 252

Seniores cum Moyse ascendunt foedus sancituri Ex. 24,1-11. — Moyses solus ascendit divinam sanctionem obtenturus Ex. 24,12-18.

II. Divina de novis sacris procurandis alloquia Ex. 25-31 257

1. Alloquium maius Ex. 25,1-30,10 258

Dona pretiosa congerenda Ex. 25,1-7. — *Res sacrae* : arca, mensa, candelabrum Ex. 25,8-40. — *Sanctuarium* : habitaculum, taberna-

culum, operimenta, parietes Ex. 26,1-30. — *Exteriora sanctuarii :* vela, altare holocaustorum et atrium Ex. 26,31-27,19. — *Iahve in sanctuario consuetudo :* lampas, vestes sacrae, sacerdotum ordinatio, iuge sacrificium et perpetuus thymiamatis honor Ex. 27.20-30.10.

2. Alloquia minora Ex. 30,11-31,18 301

Sanctuarii expensae, labrum aeneum, oleum unctionis, thymiama, opifices adhibendi; sabbatum et tabulae, foederis argumenta.

B. Populi superstitio et reconciliatio Ex. 32-34. 309

Vitulus aureus. — *Triplici supplicatione* Moyses, ut populo vita, ut angelus ductor, ut Iahve gratiosa in sanctuario consuetudo concedatur, impetrat; ut Iahve faciem contueri ipse permittatur, non impetrat.

C. Mandati de novis sacris procurandis exsecutio Ex. 35-Lev. 10 335

1. Sacrorum effectio Ex. 35-39. 335

Sabbati commendatio, dona pretiosa congerenda, designati opifices Ex. 35,1-36.7. — *Sanctuarium :* habitaculum, tabernaculum, operimenta, parietes, vela Ex. 36.8-38. — *Vasa aurea vel deaurata :* arca, mensa, candelabrum, altare thymiamatis cum thymiamate et unctionis oleo Ex. 37. — *Vasa aenea :* altare holocausti, labrum aeneum Ex. 38,1-8. — Atrium Ex. 38.9-20. — Computus Ithamar Ex. 38,21-31. — *Vestes sacrae* Ex. 39,1-30. — Totum opus Moysi oblatum et ab eo benedictum Ex. 39.31-43.

2. Sanctuarii erectio Ex. 40 352

3. Thora Sacrificiorum Lev. 1-7 355

Series prior : holocausta, minchae, pacifica Lev. 1-3. — Sacrificia pro peccato et pro delicto Lev. 4.1-6,7. — *Series posterior*, prioris complementum : de sacrificio quotidiano leges tres Lev. 6,8-23. — De sacrificiis cruentis novellae tres Lev. 6.24-7.21. — Appendices et subscriptio Lev. 7,22-38.

4. Sacerdotum consecratio Lev. 8-10 400

Sacerdotes aaronici consecrantur Lev. 8. — Eorum prima sacrificia insigni miraculo honestantur Lev. 9. — Sacerdotii aaronici neglectus portento punitur Lev. 10.

LIBER LEGUM Lev. 11-27.

A. Thora Munditiei Lev. 11-15 415

I. Lex de animalibus mundis et immundis Lev. 11. 419

Lex de pecoribus, aquatilibus, alitibus Lev. 11.1-20. — Ad eam legem additamenta : appendicula ad legem de alitibus multipedibus, appendicula de quibusdam pecoribus, additamentum de reptilibus Lev. 11, 21-45. — Legis subscriptio Lev. 11,46 sq.

II. Lex de immunditia puerperae Lev. 12 435

III. Lex de lepra Lev. 13 sq. 437

De lepra hominum et vestium Lev. 13. — De legali mundatione leprosi Lev. 14,1-32. — De lepra domorum Lev. 14,33-53. — Legis subscriptio Lev. 14,54-57.

IV. Lex de impuritate sexuali Lev. 15 453
De fluxu seminis virilis nimio vel impedito Lev. 15,1-15. — De seminis effusione non morbida Lev. 15,16-18. — De menstruatione Lev. 15,19-24. — De fluxu sanguinis praeter menstruationem Lev. 15,25-30. — Legis subscriptio Lev. 15,31-33.
B. Solemnitas expiationis quotannis instituenda Lev. 16 459
C. Lex de mactationibus Lev. 17 466
Mactationes faciendae ad ostium tabernaculi Lev. 17,1-7. — Appendices tres et appendicula una Lev. 17,8-16.
D. Thora Sanctitatis Lev. 18-22 472
I. Lex de re matrimoniali Lev. 18 477
Exordium Lev. 18,1-5. — Copulae vetitae Lev. 18,6-23. — Epilogus Lev. 18,24-30.
II. Legum congeries Lev. 19 486
Series prior, constans septem binariis legum Lev. 19,3-18. — *Series posterior*, constans septem articulis inaequalibus legum Lev. 19,19-37.
III. Variorum scelerum poenae Lev. 20 495
Poenae coeuntium cum mulieribus ethnicis et consulentium magos Lev. 20,1-6. — Poenae attentantium coniugia illicita : exordium, poena capitis, poena mortis civilis, epilogus Lev. 20,7-26. — Poena divinantium Lev. 20,27.
IV. Leges de munditia sacerdotum et victimarum Lev. 21 sq. 501
Statuta quoad luctum et nuptias, tam pro simplicibus sacerdotibus quam pro pontifice Lev. 21,1-15. — Statuta de irregularitatibus permanentibus et temporaneis, cum appendicula de sacerdotum convictoribus Lev. 21,16-22,16. — Statuta de victimis Lev. 22,17-30. — Clausula legis Lev. 22,30-33.
E. Catalogus festorum Lev. 23 512
(Sabbatum serius adscriptum), Phase, pentecoste, novilunium septimi mensis, dies expiationis, festum tabernaculorum.
F. Ordinatio de oleo lucernarum et de panibus propositionis Lev. 24,1-9 . 520
G. Blasphemi supplicium, et lex de blasphemia et percussione Lev. 24,10-23. 521
H. Libri Legum epilogus Lev. 25 sq. 524
Cultus Iahve praestandus : annus sabbaticus Lev. 25,1-7. 19-22; iubilaeum Lev. 25,8-18. 23-55; summa officiorum in Deum Lev. 26, 1 sq. — Cultus Iahve praestiti vel neglecti praemia et poenae Lev. 26,3-45.
J. Libri Legum appendix : lex de redemptione votorum etc. Lev. 27 . . . 542

Index schematum.

Mensium nomina antiquiora 115
Schema legum Ex. 21,1-22,30 210
Schema Thorae Sacrificiorum Lev. 1,1-7,38 355
Schema Thorae Munditiei Lev. 11-15 416
Schema legis de animalibus etc. Lev. 11 419
Schema Thorae Sanctitatis Lev. 18-22 472

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V012
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS
3 0311 00015 7789

BS
475
.C6C8 31060
AUTHOR Cornely, Rudolph, 1830-1908
V.12 CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.
TITLE

DATE DUE | BORROWER'S NAME

~~220.6~~ C 977c ~~v.5~~

~~LIBRARY~~ ~~1946~~

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 7789